

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Introductio Ad Libros Canonicos Bibliorum Veteris Testamenti Omnes

Præcognita Critica Et Historica, Ac Auctoritatis Vindicias Exponens

Introductio Ad Libros Historicos Bibliorum Veteris Testamenti, Præcognita
Critica Et Historica, Ac Auctoritatis Vindicias Exponens

Carpzov, Johann Gottlob

Lipsiæ, MDCCXIV.

VD18 90517652


urn:nbn:de:gbv:45:1-18317




Landesbibliothek Oldenburg

Theol. II B h/2







INTRODVCTIO
A D
LIBROS HISTORICOS
BIBLIORVM
VETERIS TESTAMENTI,
PRÆCOGNITA CRITICA ET HISTORICA,
AC
AVTORITATIS VINDICIAS
EXPONENS.

ADORNATA STUDIO
IOH. GOTTLOB CARPZOVII,
S. THEOL. PROF. PVBL. EXTR. ET ECCLE-
SIASTÆ THOMANI.

LIPSIÆ,
APVD HÆRED. FRIDER. LANKISIL.
AN. MDCC XIV.



INTRODUCTIO
AD
LITTERAS HISTORICAS
BIBLIORVM
VETERIS TESTAMENTI
PRÆCOGNITA CRITICA ET HISTORICA

AVTORIS INDICIAS



ADORNATA STUDIO
IOH. GOTTL. CARPZOVII
S. THEOL. PRÆF. PUBL. EXTER. ET ECCLES.
SICISTÆ THOMANI.

LIPSIÆ
APUD HÆRED. FRIDER. LAMBERTI
AN. MDCC. XIV.



L. B.

Gratiam & pacem a fonte salutis
CHRISTO!



Vod in more positum Viris doctis video, ut lucubrationum suarum, quas cum orbe erudito communicant, rationem ac modum statim in limine exponant, causasque scribendi edisserant, id impræsentiarum datum mihi esse negotii intelligo, dum P. I. Introductionis Biblicæ in lucem emitto. • Mirari enim forte poteras L. B. post tot doctissimorum Scripturæ interpretum *Præloquia*, *Præcognita*, *Prolegomena*, *Apparatus*, *Bibliothecas*, *Thesauros*, *Criticas*, *Enchiridia*, aliaque id genus literarum monumenta, quibus divini Codicis prænotiones copiose traduntur, novam me moliri Introductionem, & post Homerum, quod ajunt, Iliadem velle scribere, in animum induxisse. Sed nec actum me egisse, nec operæ ac otii, quod a sacri muneris occupatione non equidem nimium suppetit, fecisse jacturam intelliges, si consilii causas, & primam operis occasionem, tum & instituti cognoveris rationem.

Tertius hic labitur annus, ex quo honesti quidam, & sanctioribus mancipati studiis me convenirent Iuvenes, modeste contendentes, ut quæ circa asserendam Scripturæ Sacræ auctoritatem, eamque a *μισοβιβλων* & Pseudo-Criticorum strophis vindicandam, tum circa librorum sacrorum appellationes varias, Scriptores, argumenta, scopum, chronologiam & partitionem



tenenda Theologiae consecraneo essent, ipsos edoceram, demum etiam praecipuos adjicerem Doctorum, nostra pariter ac diversarum religionum castra sequentium, commentarios. Annui eo libentius pio ipsorum desiderio, quo impensius a teneris inde ungviculis sacras literas & amavi & trivi. Hinc prima cura de autore erat, cujus ductum secuti recta via ad metam pergeremus. Sed, ut verum fatear, adeo vel prolixos nimis & praegrandes mole, ut collegii, quod dicunt, & explanationis modum excederent; vel in iis tantum operosos & occupatos, quae ad Systemata potius Theologiae, quam ad Isagogen faciunt Scripturae; vel vindicias solas absque autoris, scopi, chronologiae investigatione, aut vice versa hanc absque vindiciis, & autoritatis assertionem tradere; vel demum in alio plane decurrere campo, & data saltem occasione, ac *ὡς ἐν παρόδῳ* ea, quae huc spectant, attingere eos deprehendi, ut qui votis nostris ex asse responderet, nullus reperiretur. Quae ne gratis asseruisse videatur, e re futurum existimo, si brevem talium Scriptorum recensionem inire, & quae cuique ratio, quis tractandi modus sit, paucis aggrediar indicare.

Vbi quidem e nostratibus primo loco b. AEGID. HVNNIVS occurrit, cujus *epitome Biblica, vel summarium, comprehendens summas breves & argumenta capitum totius sacrae historiae Vet. Test. Canonicae*, Tom. III. Opp. Lat. p. 1356. seqq. legitur: Sed praeterquam, quod in Iobi historia desinit, nec adeo per universum Veteris Testamenti codicem vagatur; singulorum saltem capitum argumenta in summam & epitomen redigit, plura vero non addit. Succedit Vir summus & circa sacras literas de ecclesia Christi immortaliter meritus, MICHAEL WALTHERVS, qui in *Officina Biblica* toties recusa, Scripturam adeuntibus adeo praetulit facem, ut nostras longe supergrediatur laudes. Heideggero sane in concinnando Enchiridio suo suppetias adeo tulit, locis ut compluribus vitula ejus arare non dubitaverit, studiose licet dissimulato nomine





mine Waltheri. Verum cum longe ulterius illa pateat, quam præfens fert institutum, totaque P. I. illam, quæ de Scriptura Sacra est, tractationem, eo ordine ac modo, quo in Systematibus aut Locis communibus Theologorum fieri consuevit, copiose exhibeat; contra vero P. II. qua singulos ordine libros discutit, de eorum scopo, chronologia & autoritate divina nimis concise agat, & latius in observationibus Philologicis & Exegeticis se diffundat, objectiones vero Criticorum recentium, maximam partem post Venerandi Theologi obitum demum exortorum, nec non Commentarios plane taceat; inservituram quidem labori nostro existimavimus, manuuctionis autem, quam explicatione nostra Auditoribus tradere possemus, defungi vice non posse censuimus. Paulo curatius institutum nostrum presisse videtur b. LAVRENTIVS FABRICIVS, Dantiscan. Hebraicarum literarum quondam in Academia Wittebergenſi Professor Publicus, in *Partitionibus Codicis Hebraei*, quarum in bibliopoliis cum nullam superesse copiam intelligeret Vir de politiori literatura & Philologia bene merentissimus Thomas Crenius, *Thesauſo librorum Philologicorum* I. p. 217. insertas ab interitu vindicavit, notisque subinde adspersis illustravit. Verum in his quoque de Scriptore uniuscujusque libri, deque autoritate divina, & iis, quæ cum novis Criticis disputari solent, denique de commentariis altum silentium est. Magni ABRAHAMII CALOVII *Prolegomena Commentario in Genesin præmissa*, tum illa quoque, quibus *Biblia Illustrata* circa libros singulos instruxit, magno quidem nobis adjumento fuisse grata mente profitamur; verum non id agebat Incomparabilis Theologus, ut apparatus Biblicum strueret, sed ut solida textum illustraret exegesi, & a Grotii detorsionibus liberaret atque assereret. Hinc mirum non est, obiter ab ipso tradita, nonnunquam etiam leviter saltem tacta fuisse, quæ ampliorem hic requirunt declarationem. Sic & cum πένν, b. IOH. GERHARDI *Exegesi Loci* I. de Scriptura S.



comparatum est, cujus §. 119. seqq. singulos ordine libros Scripturæ, sed perquam concise, pro ratione instituti sui, collustrat, & ampliorem aliis excurrendi aperit campum. Pariter D. IOH. HENR. MAJI *Dissertationes IV. de Scriptura S.* latifundium nostrum non exhaustiunt, sed in genere saltem in demonstranda S. Codicis *ἱστορία*, ejusque in arcam testamentariam repositione, canonis constitutione, & germanica b. Lutheri translatione versantur. Tandem novissime Anonymus quidam Vir eruditus, & in lectione commentariorum apprime versatus *Personalia ac vitas Scriptorum Biblicorum* germanico idiomate Ratisbonæ An. 1708. seqq. evulgare cœpit, & ad Psalmorum usque pervenit volumen, reliqua se adjecturum pollicitus, si vitam Deus & otium concesserit. In quibus concinnandis non possum quidem non Viri laudare industriam, qui tamen si eo, quo circa Mosen & Josuam cœperat, tramite perrexisset, majorem sine dubio iniisset apud lectores gratiam, quam dum in sequentibus partibus, quicquid unquam in adversariis suis repererat, vel ab aliis congestum deprehenderat, miscella turbataque farragine in unam coniecit massam, multa sæpe folia & integras Dissertationes ex aliorum Commentationibus, iisque nonnunquam tritisimis ac ubivis obviis, de rebus quoque plane huc non spectantibus, transcripsit, totum Spanhemii de Iobi Historia tractatum, cujus tamen & seorsim abunde, & in Operibus junctim editis copia est, operi suo inferuit, intolerabili porro citatorum mole lectori satis illuſit, eo-que effecit, ut jam in IX. partes opus excreverit, quod tamen in unum, nec grande nimis cogi poterat volumen, si vel decies ibi dicta & repetita demantur, vel judicii falce ἀποδιένου reſecentur, vel sua quæque Scriptoribus restituantur. Quæ dum ex vero pronuncio, quod ἀνταψία docet, nolim quidem ejus me adversarium profiteri, cum minas undique & certamina spiraret, alios tanquam impares tanto negotio superciliose despicat, & jam absque adversario, quod sciam, prælium conferat, quo

quo vel invitos in assensum rapiat, vel saltem minis & conviciis terreat & compescat, ne quod de satura ipsius sentiunt, libere profiteri ausint.

Jam ad Pontificios pedem promovens, multos quidem eorum in hac desudasse arena deprehendo, ita tamen, ut & ecclesiæ suæ, abjecte nimis de Scripturæ autoritate, integritate, textu authentico & puritate statuentis, hypothesibus velificentur, & ea subinde immisceant, quæ plane abludunt a scopo, rursusque omittant, quæ quam maxime huc faciebant. SIXTI SENENSIS, Ordinis Prædicat. *Bibliotheca sancta* sua quidem laude spolianda non est, cum multa in compendio exhibeat, quæ in spissis aliorum Voluminibus frustra quæras; sed maxima libri pars in iis cum cura occupatur, quæ ad exegetin potius ejusque vindicias, tum & ad librorum sacrorum expositores spectant, quam quæ lectorem necessaria præcognitorum imbuunt cognitione. NICOLAVS SERARIVS, celebris inter suos, nec omnino ineruditus Scriptor, *Prolegomena Biblica* peculiari volumine condidit, quibus tamen Romanæ ecclesiæ in Scripturæ integritatem, textumque authenticum calumnias coacervasse, magnoque asseruisse conatu satis habet, ad librorum autem distinctam non progreditur considerationem. Quam accuratius pensi habuit IACOBVS BONFRERIVS, in præloquiis in totam Scripturam S. quæ commentario in Pentateuchum ex parte præmisit, ex parte subjecit; verum in iis quoque & de adsciscendis in Canonem Apocryphis, & de inurenda Scripturæ obscuritatis nota, & de vario sacrarum literarum sensu, ejusque eruendi modis diversis multum laborat, in Hebraica autem Philologia minus quam exercitatus. Habet quoque ANTONIVS POSSEVINVS in *apparatu sacro* circa plurimos Scripturæ libros nonnulla vel sibi observata, vel potius ex aliis compilata, haud injuria Montacutio (Analect. Eccles. Exerc. V. Sect. 4. f. 177.) *librorum ille carnifex, & omnium Scriniorum, tacitis tamen nomi-*

mini-



minibus, compiler dictus. Obiter tamen illa quoque & absque ordine tradit, aliud omnino agens. Eruditionis itaque & ingenii palmam memoratis jam suæ Ecclesiæ Scriptoribus, omnium iudicio, præripuit PET. DANIEL HVETIVS, Episcopus Abrincensis, in doctissima demonstratione Evangelica, haud ita pridem a Ioh. Tolando in Dissertatione, quam Origines Iudaicas inscripsit, necquicquam sollicitata; cuius Propos. IV. librorum sacrorum Scriptores juxta ac auctoritatem contra Spinofam, Hobbesium, alios asseruit & vindicavit; sed verò cum aliud in erudito opere institutum exequatur, cetera sciens omisit, quæ ad præcognita pertinent sacra. Idem quoque IOSEPHO de VOISIN usu venit, qui licet in observationibus ad proximum pugionis fidei Raym. Martini de librorum Biblicorum distinctione, auctoritate, & Scriptoribus, ex Rabbiorum sententia multa erudite moneat, plenam tamen horum tractationem a præsentī negotio habuit alienam. Eam vero ingenti molimine struere allaboravit CHERVBIVS A S. IOSEPHO, Carmelita discalceatus, dum Bibliothecam Criticæ sacræ circa omnes fere sacrorum librorum difficultates quatuor in folio Tōmis, Lovanii A. 1704 & Bruxellis A. 1705. 1706. editis adornavit. Sed haud abs re monet titulus operis, non ingenii vi, sed patienti labore collectum esse, cum miscellam collectaneorum, parum judiciose digestorum faraginem exhibeat, & bona malis misceat, absque delectu. Conspectus Operis, qui in limine Tomi I. comparet, spem facit, fore ut Tomo ultimo circa singulos Veteris & Novi Testamenti libros quinque expendat, nimirum quis autor, quo tempore scripserit, qua lingua, quanta libri auctoritas, & tandem ejus Synopsis; eo fere modo, quem Lightfoot, la Haye, & alii sequuntur: sed quantum mihi quidem de eo constat, ad metam non pervenit, verum in Dissertatione XIV, quæ est de polyglottis, substitit, morte, quod hariolor, forte præventus, ne ad umbilicum opus perduceret. Quid vero IOSEPHVS MARIA TORRE, Genuen-



Genuensis, ex ordine Prædicator. in *Institutionibus* suis ad *Verbi Dei scripti intelligentiam* præstiterit, definire non ausim, cum oculis illas usurpare integrum mihi nunquam fuerit. In Diario vero Literatorum Italiae (*Giornale dei letterati d'Italia* T. V. A. 1711. p. 404.) opus in quatuor dicitur partes divisum, quarum 1. de Scripturæ S. existentia agat, autore, Canone librorum, de libris Canonicis Veteris & Novi Testamenti, deque libris Apocryphis: 2. de textu Hebraico, Græco, editionibus & versionibus. 3. de obscuritate Scripturæ S. sensu mystico, figuris & interpretationibus. 4. de Sacra Scripturæ perfectione, æconomia, Anti-Christo, traditionibus, hæresiarchis &c. Propius itaque ad mentem nostram accedunt CLAUD. FRASSENII Theologi Parisiensis *Disquisitiones Biblicæ, quatuor libris comprehensæ*, & Lutetii Parisiorum A. 1682. in 4. excusæ; quarum liber tertius de Vet. & Nov. Test. librorum canonibus cum antiquis, tum recentioribus, eorundem librorum distributione, integritate, obscuritate & variis sensibus c. 1--4. porro de cujusque inscriptione, autore, scopo, divisione & controversiis cap. 5 & 6. agit; sed & ille partim nimis frigide & festinanter versatur in iis, quæ majorem tamen requirebant attentionem, partim Ecclesiæ suæ placitis cæco obsequio insistit. Ut taceam, quod ex vero pronunciat D. D. Ioh. Henr. Majus (in præfatione *Examine Historiæ Criticæ N. T. Simonianæ præmissa*) Frassenium ea, quæ apud nostros etiam homines centies repetita inveniuntur, & non absque maximo tædio leguntur, in IV. libris disquisitionum Biblicarum repetiisse. Selectiores utique his observationes subministrat SCIPIO SGAMBATVS, Neapolitanus S. I. *libris III. Archivorum Vet. Testamenti*, quibus singulos Scriptores Sacros a mundi incunabulis ad Christum natum exhibet, eorumque maximam partem supposititia, tum quoque genuina & cum primis sacra atque canonica Scripta recenset, & erudite omnino ex antiquitate

* *

Rabbi-





Rabbinica illustrat, sed id quod res est, Sacri Codicis genuinam indolem, auctoritatem & fidem sicco prateriit pede. RICHARDVS SIMONIVS Congregat. orator. Presbyter in *Historia Critica Textus Vet. & Novi Testamenti*, gallico idiomate conscripta, insignem & eruditionem & industriam ad institutum præsens attulit, multaque præclare observavit: cum vero in id unum omnes intendat ingenii nervos, ut textum originalem dubium, luxatum, mirisque modis turbatum omnibus persvadeat, non tam ducem viæ eligendum existimavi, quam adversarium, cujus detegendæ, profligandæ, & catie pejus ac angve fugiendæ sint insidiæ, auctoritati divini Codicis structæ. Omnium demum optime expectationi meæ respondit LVDOV. ELIAS DV-PIN, qui cum *Novæ Bibliothecæ Autorum Ecclesiasticorum*, gallico sermone adornatæ, Tomo I. Parisiis A. 1693. edito, eruditam *Dissertationem præliminarem de Autoribus librorum Biblicorum* præmisisset, paulo post operæ se pretium facturum ratus, si majori circa libros Biblicos cura dispiceret, peculiari tomo *Prolegomena Biblica* in supplementi vicem Bibliothecæ suæ A. 1701. subjecit, cujus P. I. c. 3. singulos Veteris Testamenti libros; P. II. cap. 2. Novi Testamenti monumenta ordine perlustrat, & quæ circa generalem eorum notitiam observanda erant, nervose ac sæpe satis fideliter tradit, fuseque ab aliis disputata cum judicio in compendium mittit. Attamen cum & ille textum utriusque Testamenti originalem suas passum fuisse corruptelas & labes, ex ecclesiæ Romanæ decreto statuat & tueatur, fontesque corruptelarum ostendere satagas, Apocryphos Canonis operose inferat, & Sententiæ Pontificiorum in Scripturam injuriæ nimis inserviat, auctoritatem quoque Canonicorum Scriptorum ab ecclesiæ testimonio suspendat, non potest ejus lectio studiosæ juventuti tuta satis fide commendari.

Præter






Præter hos Reformatæ quoque religionis doctorum in hoc decurrit stadio industria, quæ præ ceteris BRIANI WALTONI nobis dedit *Apparatum Biblicum* insigni refertum eruditione, & Bibliis Polyglottis Anglicanis Tomo præliminari præmissum, posthac quoque Ioh. Henr. Heideggeri cura Tiguri A. 1673. seorsim excusum. Attamen non in libros ille singulos inquisivit, sed præter Ludov. Cappelli Chronologiam Sacram, Eduardi Breervord tractatum de ponderibus, & alia opuscula integra, sedecim Waltoni in Biblia Polyglotta tradit *Prolegomena*, quæ de lingvarum natura ac origine, de literis seu characteribus, de lingua Hebraica ejusque qualitatibus, de Bibliorum editionibus, versionibus variis, de Masora & id genus aliis argumentis Philologicis copiose agunt, intacta autem relinquunt ea, quorum nos cura jam tangit. Multum præterea huc conferre poterit FRIDERICI SPANHEMII Fil. Tom. I. *Opp.* qui in Historia ecclesiastica a condito Adamo ad æram Christianam pag. 257--480. varia suis locis inspergit, ad biblicorum librorum notitiam apprime facientia; sed cum id ageret Vir doctissimus, ut integram Ecclesiæ & gentis, quæ domicilium ac sedem illorum temporum ecclesiæ præbebat, Iudaicæ historiam componeret, ad librorum contemplationem obiter saltem dilabatur, nec de industria vel pro dignitate satis illos perlustrat. Propius huc spectat IOH. HENRICI HOTTINGERI *Thesaurus Philologicus*, seu *Clavis Scripturæ*, qui ex recondita Hebræorum doctrina egregie omnino, maxime L. II. cap. I. p. 454. de monumentis canonicis disserit, & insignem nobis subinde opem tulit: vellem tamen & ille ut, quæ de Iudæorum religione, gente, proselytis, festis, adversariis, de ipsorum Theologia, porro de Scripturæ versionibus, de Masora & Kabbala toto libro I. prolixè tradidit, alii servasset tractationi, hac vero Scripturæ clave aditum ad libros Sacros tantum reserasset, majorem-



joremque in singulis iis excutiendis operam posuisset. IOH. COSINI Episcopi Dunelmensis Angli, quid ferat *Historia Scholastica Canonis S. Scripturae* A. 1657 & 1672. procusa, tum & Iohannis Eduardi *discursus de auctoritate, stylo & perfectione librorum Veteris & Novi Testamenti*, Londini, sermone Anglicano, editus in 8. A. 1693. dicere non habeo, cum nulla mihi lucubrationes istas perlustrandi copia unquam sit facta. Vnus itaque superest IOH. HENRIC. HEIDEGGERVS, cuius si lucem aspexisset *Pharos Biblica*, seu *Introductio generalis ad Scripturam Veteris & Novi Testamenti*, in praefatione Enchiridii promissa, haberemus haud dubie instructissimum Bibliorum apparatus, qui pro singulari Viri & eruditione & dexterritate nihil fecisset reliquum. Postquam vero omnis ejus spes cum Autoris obitu decollarit, *Enchiridion* tamen ille Biblicum *ἱερογνημονικόν* A. 1681. Tiguri vulgavit, quo in brevem coëgit epitomen, quæ circa libros singulos *ἁγιωγραφούμενα* censebat. Sed præterquam quod divinam eorum dignitatem nec asserat, nec vindicet (quod quidem in *Exercitationibus Biblicis* posthumis præclare perquam præstitit) tum quoque errores haud leves, maxime in citandis nostræ Ecclesiæ Doctoribus committat, quorum sat prolixum texuit indicem Vir Celeberrimus Thomas Crenius *Animadversion. Philol. P. II. p. 101. seqq.* brevitatis nimium quantum studiosus, multa silentio prætermittit dicenda, & in enarrandis capitum contentis copiosius, quam in examinandis librorum præcognitis versatur, adeoque multa intacta, multa reliquit superaddenda.

Hinc itaque satis, opinor, apparet, nullam adhuc in publicum prostare ad Scripturam Isagogen, ita comparatam, ut remotis peregrinis, & ad rem non facientibus digressionibus, ea præcise exponat, quorum cognitio aditum ad sacram tabularum lectionem & viam sternit. Neque adeo abs
re

re fore credidi, si adhibitis autorum, quos allegavimus, lucubrationibus, tum & consultis præstantissimis interpretum Commentariis ea brevitate, quæ lectori tædium abstergeret, ea quoque copia, quæ sufficeret instituto, introductionem adornarem. Quam dum non prælo, sed auditoribus meis pararem, varia interpellarunt, eamque in sententiam me demum induxerunt, ut quæ cum ingenti temporis dispendio, nec exiguo sphalmatum periculo in calamum dictanda vel describenda erant, typis subjicerem, communique sacra operantium usui destinarem. In qua ita versatus sum, ut inscriptionem & nomenclaturam libri primo omnium examinarem, mox de loco ac sede, quam in Canonis codice tenet, dispicerem, tum vero ad Scriptorem pergerem, & in eo investigando Spinosa aliorumque retunderem *φλυαρίας*, quibus nimiam libris sacris novitatem affingendo, eorum simul elevant autoritatem. Posthæc in argumentum libri & scopum inquisivi, eumque dum a multis cum libri usu confundi viderem, ab utilitate ejusdem varia distinxī, & cum primis luculenter demonstrare annisus sum, quo pacto ad Christum totius Scripturæ nucleum, vel manifestis oraculis respiciant, vel recte alludent singuli divini codicis libri. Hinc ad autoritatem eorum canonicam progressus, eamque cum interna Spiritus S. virtute quivis ipse sibi conciliet, argumentis externis & κατ' ἀνθρώπων conatus sum stabilire, criminationibus Spinosa, Simonii & aliorum, quibus dignitatem eorum convellere allaborant, profligatis. Tum quoque de Chronologia, quæ ad intelligendam Scripturam insigne confert momentum, paulo dispexi curatius, eamque quoad licuit, ex ipsa Scriptura delineavi, in ceteris doctissimi Vsserij ductum secutus, exceptis Iudicum & Estheræ temporibus, in quibus ab eo discendum mihi erat. Tandem libri generalis subnectitur Partitio, & singulorum capitum contenta memoriæ causa in brevem



vem rediguntur Tabulam & synopsis, quæ uno intuitu totius libri structuram & ordinem ob oculos ponit. Ultimo tandem loco commentarios diversarum subiecti religionum, iisque formam ac editionis locum & annum addidi, ut eo plenius de iis constaret lectori. Hunc fere per omnia servavi modum tractandi, procul habens, quæ Exegeticae aut Philologicae, vel demum Polemicae aut doctrinales erant, quaestiones. Pariter quæ de affectionibus Scripturæ, integritate, immunitate ab omni corruptela, de versionibus item, de Masora & similibus in Systematibus Theologicis, vel in b. Glassii Philologia & toties traduntur alibi, sciens volensque præterii, ut ab instituto aliena. Desiderare autem quis forte poterat, ut eorum, quæ circa Geographiam sacram, circa pondera & mensuras, circa Reipublicæ Iudaicæ faciem, pro temporum diversitate diversam, circa templi aut tabernaculi structuram, circa vestimenta aut vasa sacra, interpretibus crucem figunt, primas quoque lineas hic duxissemus. Sed mens non erat falcem in alienam immittere messem, aut ea immiscere, quæ ad antiquitatem Iudaicam vel ad ipsam spectant locorum difficultum exegesis, vel denique ad *ἐκκλῆσιονομικὴν* conciliationem. Aliam plane & singularem hæc talia poscunt tractationem, quæ in obscuro sita & explicata, vix integris voluminibus a doctissimis Philologis eruta satis & explanata sunt. Adeat vero, qui de Geographia sacra & antiquissima cognoscere cupit, Sam. Bocharti *Phaleg & Canaan*, Frid. Spanhemii *Geographiam sacram & ecclesiasticam* Tom. I. Opp. statim in principio obviam, plurimisque in appis Geographicis instructam, & Nicol. Sansonii *Geographiam sacram*, Clar. Clerici cura recusam; qui de temporum ratione plura desiderat, Ioh. Seldeni legat *de anno civili Iudeorum*, August. Varenii *de annis Sabbathicis & Iubilæis Iudeorum*, & Nic. Mulleri *de Iudeorum anno lunæ-solari, & Turcarum anno mere-lunari*
tra-



tractatus: qui de Festis, Ioh. Ionstonum, Ioh. Meyerum, Theod. Thummium & Auguft. Pfeifferum consulat, de Festis Iudæorum ex instituto agentes. Vt quæ de sacrificiis, ritibus, templo, de nummis, mensuris, ponderibus & pretiis nummorum, aliisque antiquitatibus prolixè & erudite disseruerunt viri docti bene multi, silentio nunc prætermittam. Ea enim omnia extra orbitam posita, nec nobis censui tangenda. De cetero vero in citandis autorum suffragiis, tum demum verba ipsorum allegavi, cum vel a veritate aberrantes confutandi essent, vel assertionibus nostris insigne afferre robur, vel clariorem affundere lucem viderentur: eum vero, qui multorum est, sectatus morem non sum, ut librorum ac nominum allegationibus integra folia compleant, iisque nescio quam lectionis variæ ac eruditionis vanam aucupentur gloriolam; unum tamen & alterum e potioribus nominavi, ut haberent lectores, quem adire & consulere possint, sicubi ampliorem desiderent informationem; tum &, ut sententiam meam eruditorum firmarem consensu; denique, ut, per quos profecerim, quorum usus sim suppetiis atque labore, grata ac memori mente, quod ingenui & Christiani hominis esse existimo, hoc ipso profiterer: Vbi vero producendi in aciem erant sententiæ alicujus vel primi autores vel assertores, paulo in citandis eorum nominibus fui liberalior.

Sic perorata causa tractandique methodo, superest ut, cur imperfectum opus, ejusque pars prima saltem in lucem prodeat, ratio reddatur. Et per me sane vel in scriniis delitescere omnis hæc opella, vel pars hæc I. successuras domi expectare, secumque una in publicum producere potuisset, ut integrum & numeris suis absolutum sisteretur opus. Sed cum inopinata negotiorum moles nuper in me devoluta, horas, quæ ceteris elaborandis & poliendis dicandæ fuerant, sibi

ven-

vendicarit, & quod reliquum est, his superaddere nunc non permiserit; erant tamen, quæ editionem si non integri, affecti saltem libelli urgerent. Paranda enim Auditoribus erant exempla, quibus in Scholis nostris Biblicis tamdiu uterentur, donec reliqua succederent; & quod caput rei est, iis quoque, quibus proxima post Deum debetur a me pietas, reddenda erat temporis atque laborum ratio, & standum promissis, quibus obsequia ipsis mea adstrinxeram. Absque his fuisset, integrum omnino dedissemus tractatum, in quo tamen, qua licuerit contentione atque studio pergam, ut hanc propediem Pars II. quæ Poëtica est, eamque III. Prophetica excipiat, adeoque totum V. T. sistatur illustratum. De Novo nondum constitui, experimentum prius hinc capturus, num Lectoris desiderio juxta ac expectationi respondeant nostri conatus; quod si intellexero, calcar mihi addetur, pari industria ad explicanda Novi Fœderis præcognita pedem promovendi.

Quod superest, mecum habitare, meoque me metiri modulo ac pede didici, ut nec parandæ famæ, captandæque gloriæ aptum hunc laborem, nec omnium satisfacturum votis præsumam. Cumque labi & in tanta rerum, multis retro Seculis a nobis distitarum, caligine hallucinari ab humana forte alienum non sit, ab omni eum lapsu vix promittere ausim immunem. Quare modeste & humaniter monentibus me non modo locum daturum sancte polliceor; sed & si habeant Viri docti, pii & verbi divini amantes, quæ ad opellæ facere possint emendationem, rogatos, qua par est, observantia velim, ut mecum benevole communicent, & in quibus Partes subsecuturæ ad lectorum commoda instrui queant felicius, benigne suppeditent. Quod ut in beneficii locum habiturus, ita in ingratum illud aut morosum, vel sententiæ præfractæ tenacem se contulisse nunquam experientur.

Si



Si qui demum alto conatus nostros supercilio despiciant, ea cumprimis de ratione, quod non ad seculi morem novis opinionum portentis turgent, sed trito jam aliis tramite incedant, ii nec lectionem aut approbationem libri invitis sibi obtrudi existiment, & id de me sibi persvadeant, non tam nova quam vera me sectari, & iis saltem pretium operæ statuere, quæ ad sacrarum literarum & statuminandam auctoritatem, & juvandam facilitandamque faciunt lectionem; iis vero Criticorum commentis plane non delectari, quæ vel meris nituntur conjecturis, & tam facili repudiantur negotio, quam adstruuntur, vel dignitatem sacrarum literarum in discrimen adducunt, aut labis vel corruptelæ eis maculam adspargunt. Demum vero studiosæ Juventuti, iisque scripsisse me cogitent, qui vel a tanta librorum suppellectile instructi non sunt, ut varias mutuo conferre Doctorum sententias in promptu habeant, vel eo non abundant orio, ut singulorum excutere opuscula & sententias sub examen vocare possint, sed paucis foliis comprehensa cupiunt ea, quæ circa generalem sacrarum voluminum præcognitionem sunt tenenda. His si utilem me navasse operam, si ecclesiæ Dei aliqua ex parte inserviisse, si ad Scripturæ Sacræ expeditiorem lectionem aliquid me contulisse intellexero, sat amplum id laboris præmium statuam, Deoque O. M. cujus omne istud est, quod exequimur, gratias decernam immortales. Quem tibi L. B. mihique propitium & sospitatorem ex animo precor. Vale.



CON-





CONSPECTVS CAPITVM.

De Scriptura S. in genere	CAP. I.	pag. 1.
De Veteri Testamento in genere	CAP. II.	p. 20.
De Pentateucho sive Lege Mosaica	CAP. III.	p. 38.
De Genesi	CAP. IV.	p. 55.
De libro Exodi	CAP. V.	p. 82.
De Levitico	CAP. VI.	p. 100.
De Numerorum libro	CAP. VII.	p. 120.
De Deuteronomio	CAP. VIII.	p. 134.
De Libro Iosuaë	CAP. IX.	p. 145.
De Libro Iudicum	CAP. X.	p. 166.
De Libro Ruth	CAP. XI.	p. 195.
De Libro priore Samuelis	CAP. XII.	p. 211.
	CAP.	

CON-





CAP. XIII.	
De Libro posteriore Samuelis	p. 233.
CAP. XIV.	
De Libro priore Regum	p. 239.
CAP. XV.	
De libro posteriore Regum	p. 274.
CAP. XVI.	
De Libro priore Chronicorum	p. 279.
CAP. XVII.	
De Libro posteriore Chronicorum	p. 300.
CAP. XVIII.	
De Libro Esdræ	p. 304.
CAP. XIX.	
De Libro Nehemiæ	p. 335.
CAP. XX.	
De Libro Estheræ	p. 350.

*Quæ per Typographi incuriam sphalmata irrepserunt, L. B. pro
æquitate & in nos benevolentia sua haud gravatim corriget,
eorumque Syllabum Partibus seqq. subjunctum expectabit.*

Inuol





*Iuvat pagellam vacuum b. WALTHERI Sen. ornare epigram-
mate, cui ex animo adstipulamur:*

BIBLIA noster amor, dulcissima BIBLIA, dia
BIBLIA deliciæ, lautitiæque meæ!

Divitias habeant locupletes, Regnaque Reges,
Divitias habeam BIBLIA Sacra meas.

BIBLIA semper amo, Sacra BIBLIA semper
amabo,

Castus amor *ἁγίου*, Sanctus amor *ἁγίου*.

Ἔργον erunt mihi BIBLIA, erunt eademque
πάρεργον.

Dulce erit in BIBLIIS vivere, dulce mori.

CHRISTE, Tibi in BIBLIIS vivam moriarque
beatus,

BIBLIA te sacra habent, dantque docentque
pios.

Sancte Liber, venerande Liber, Liber optime,
salve,

O animæ nostræ BIBLIA dimidium!

Totum imo dicenda meæ sacra BIBLIA mentis,

CHRISTVM quæ datis, o BIBLIA noster
amor!

INTRO-





Q. D. B. V.

INTRODVCTIO AD LIBROS BIBLICOS VETERIS TESTAMENTI.

CAPVT I.

De Scriptura Sacra in genere.

Varia Bibliorum nomina §. 1. Librorum in Canonicos & Apocryphos distri- Summari-
butio §. 2. Codicis universi in Vet. & Nov. Testamentum partitio §. 3. um capitis.
Varia Bibliorum versiones & editiones §. 4. Commentatores Pontificii:
Rabanus Maurus. Glossa interlinearis & ordinaria. Lyra. Paulus
Burgensis. Matth. Doring §. 5. Hugo de S. Victore. Hugo de S. Charo.
Guil. Estius. Eman. Saa. Joh. Steph. Menochius. Jac. Tirinus. Joh.
Gagneus. Biblia magna. Biblia maxima §. 6. Jac. Gordomus. Felicia-
nus Capito. Franc. Luc. Bruggensis. Anton. de Escobar & Mendoza-
Corn. a Lapide. J. B. du Hamel §. 7. Reformati: Joh. Calvinus. Franc.
Junius. Joh. Piscator. Biblia Herborenscia. Ludov. de Dieu. Ludov.
& Jac. Cappelli. Joh. Coccejus. Biblia Belgica. Sixtin. Amama. Joh.
Deodatus. Sam. Maresius. Paul. Tossanus. Hugo Grotius. Critici sa-
cri: Matth. Poli Synopsis: ejusdem annotationes Anglico sermone scri-
ptae in Scripturam §. 8. Lutherani: Lutherus. Ejusdem ab insultibus
Simonii vindicatio. Joh. Brentius. Luc. Osiander. Biblia Vinariensia §. 9.
Dan. Cramerus. Andr. Osiander. Joh. Quistorpius. Phil. Henr. Fried-
libius. Theod. Hackspanius. Abrah. Calovii Biblia Germanica; &
illustrata Anti-Grotiana. Summaria Württembergensia. Sal. Glassii En-
chiridion. Mich. Waltheri Harmonia Bibl. Andr. Prückneri vindicia
Bibl. Aug. Pfeifferi dubia vexata. Joh. Sauberti observationes post-
huma §. 10.

A

§. I. Varia



De Scriptu-
ra S. in ge-
nere.
Appellatio.

2

INTRODVCTIO AD LIBROS BIBLICOS

§. I.



Aria sacer codex sortitus est nomina, apud Hebraeos pariter ac Christianos scriptores. Illis **מִקְרָא** *lectio* dicitur ex Neh. VIII, 8. **תּוֹרָה** *doctrina, institutio*, cui Salvatoris congruit allegatio Joh. X, 34. XV, 25. **מִכְתָּב / כְּתָב** *scriptura, scriptum*, ex Exod. XXXII, 16. cui **γῆραφῶς** Joh. XIX, 37. & τῶν γῆραφῶν respondet appellatio Matth. XXII, 29. Joh. V, 39. **סֵפֶר יְהוָה** *liber Domini* ex Jes. XXXIV, 16. **מִגִּלָּה** *volumen* e Ps. XL, 8. **מִקְדָּשׁ יְהוָה** & **בֵּית מִקְדָּשׁ** *sanctuarium Domini, & domus sanctuarii*, quam variae Bibliorum editiones in fronte titulum gerunt: **קְדֻשָּׁתִי** *scripturae sanctitatis*, quod Apostolus per **ἱερά γραμματα** 2. Tim. III, 15. & **γῆραφῶς ἀγίας** reddidit Rom. I, 2. **סֵפֶר הַקְדֻשָּׁה** *libri sanctitatis*: **עֶשְׂרִים וְאַרְבָּעָה** *viginti quatuor* scil. libri, uno systemate comprehensi: allegorice quoque **כֶּתֶב** *Spōsa*, ob eximiam, qua gaudet, perfectionem salutatur. פְּסוּקָה proprie quidem finem versiculi, & metonymice ipsum versiculum; sed & per synecdochē universam Vet. Test. scripturam designat, unde בעל פְּסוּקָה Eliae Levitae *Doctorem Biblicum* notat. De singulis v. Hottinger. *Thesaur. Phil. Lib. 1. cap. 2. Sect. 3. p. 88. sqq.* Christianis tritissimum τῶν βιβλίων *Bibliorum* nomen est, non tam ex Syracidis Prologo, quod vult Menochius, quam ex Græcorum Patrum usu, Chrysostomi cum primis, cui perquam frequens est, petiitum. Porro διαθηκὴ γῆραφα *testamentaria scripta* libri sacri audiunt; *Codex Dei* apud Augustinum in Ps. LXIII. *Instrumentum* apud eundem, & Tertullian. *lib. de pudic. c. X. & contra Marcion. lib. 4. c. 3.* denique κανὼν, *regula*, autoritate Pauli nuncupatur Gal. VI, 16. Phil. III, 16. Conf. Rivetum *Isagog. c. 1. To. II. Opp. p. 853.* Suicer. *Thes. Eccles. suis II.* &c, quod ad canonis appellationem attinet, Virum Illustr. Petr. Dan. Huetium *demonstr. Evang. Prop. IV. p. 533. §. 1.*

II.

Distributio
1) in libros
Canonicos
& Apocryph.

Et hæc postrema quidem *Canonis* denominatio perpetuo ecclesiæ usu adeo Scripturæ est appropriata, ut genuini ejus primæque autoritatis libri a secundariis, qui *Apocryphi* sunt, hæc nomenclatura discernantur. Ut enim Patres nonnulli ecclesiæ, cum primis Occidentalis, Apocryphos quoque libros, sacros interdum dixerint, divinos & Canonicos; ingentem tamen, quæ inter utrosque intercedit, autoritatis differentiam hac

ἀλλοτρίαν



ἀκυρολογία eos haud sustulisse, probe observat b. Gerhard. *Exeg. Loci de Script. S. §. 107.* Quin primam potius & per multa secula continua- tam fert ætatem distinctio in libros *κεκανονισμένους in canonem adscriptos, & ἀκανονίστους extra canonem constitutos*, Athanasio in *Synopsi*, aliisque Patri- bus usurpata, quibus canon tunc librorum sacrorum collectionem & cata- logum notat, legitimo synagogæ vel ecclesiæ consensu determinatum & comprobatum. Hinc & ἀκανονίστα βιβλία Concilio Laodicensi sunt libri, publica ecclesiæ autoritate in canonem non recepti, cum *Can. 59.* ita de- cernit: ὅτι ἡ δὲ ἰδιωτικὴ ψαλμὸς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἡ δὲ ἀκα- νονίστα βιβλία, ἀλλὰ μόνον τὰ κανονικὰ τῆς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθή- κης· quod non oportet privatos *Psalmos in Ecclesia legi, nec libros non ca- nonicos: sed solos canonicos Vet. & Novi Testamenti*, qui sequenti *Can. 60.* sigillatim recensentur. Duo quippe ad canonicum Scripturæ librum ἀνυμήματα Theologi requirunt: *Θεοπνευστίαν* nimirum 2. Tim. III, 16, & solennem ad perpetuum normantemque ecclesiæ usum destinationem. Unde Damascenus *lib. IV. de orthodoxa fide c. 18.* apocryphos, v. g. Sapien- tiam, Syracidem &c. a canonicis distinguens, ἐν ἀρχαῖς μὲν καὶ καλὰ, in- quit, ἀλλ' ἐκ ἀρεθιζομένων, ἡ δὲ ἐκείνη ἐν τῇ καθολικῇ, *pulchri quidem & bo- nesti* (hi libri sunt) *sed non numerantur* (inter canonicos) *neque pone- bantur in arca*, quod, quando ab autoribus suis ecclesiæ offerebantur, digni olim habiti non sint, qui cum reliquis canonicis, ab ecclesia ap- probatis, in arcam ecclesiasticam reponerentur.

III.

Canonis porro universi systema, divina Pauli autoritate 2. Cor. III, 14. in *Vetus & Novum Testamentum* dispescitur. Non sensu legali, qua- si lex nova in N. T. proponatur, quod Papistæ juxta cum Judæis conten- dunt; nec foederis respectu, quasi in V. T. legale, in Novo Evangelicum Dei cum hominibus pactum proponatur, quod Augustino aliquando visum est in *exposit. Epist. ad Galat. T. IV. Opp. p. 347.* Ut enim V. T. non tam legem ipsam & pactum legale, quam dispensationem illam divinam circa religionis & politiæ Israeliticæ dispositionem designat; Novum non ipsum pactum gratiæ, sed dispositionem divinam circa novam do- ctrinæ Evangelicæ administrationem & promulgationem per totum or- bem novis sacramentis sancitam, observante b. Calovio *Bibl. Illustr. proleg. p. 2.* & omnino *ad Ebr. VIII, 13. T. IV. p. 1285. sq.* significat: ita non minus in libris V. T. de foedere Evangelico, quam in libris N. T. de foedere legali agitur & docetur. Unde idem Augustinus *lib. 3. contra*



De Scriptu-
ra S. in ge-
nere.

4

INTRODVCTIO AD LIBROS BIBLICOS

duas epistolas Pelagii, ut & lib. XX. de Civ. Dei cap. 4. Mosaica & prophetica usque ad Johannem scripta, rectius *Vetus Instrumentum*, pariter ac Evangelica & Apostolica scripta *Novum Instrumentum* verius quam Testamentum dici censet, quandoquidem utraque de utroque Dei testamento agant. Sola itaque temporis ratio hic loci habetur, quatenus Vetus Test. chronologice tempora ecclesiae ante, Novum tempora post incarnationem Christi denotat, & Johanne baptista limite utrumque determinatur. Libri proin V. T. illi sunt, quos Moses & Prophetæ ante natum Christum; libri vero Novi Test. illi, quos Evangelistæ & Apostoli post Christum in carne exhibitum conscripserunt. Hinc alibi denuo Augustinus, Testamentum Vetus de Christo exhibendo, Novum de exhibito agere; Novum in veteri latere, Vetus in Novo patere, asserit. Confer b. Carpzov. *Disp. in 2. Petr. I, 19. sqq. cap. II. Aph. 3. p. 798.* & b. Schröder. *de principio Theolog. Sect. I. qu. 9. 10. p. 69. sqq.* Patrum vero in hac duo Testamenta allegorias citavit Gerhard. *Disp. Isagog. I. c. 4. §. 3.*

IV.

Affectio-
nes.

Versiones &
Editiones.

Quæ nunc de divina Scripturæ inspiratione, Canonis porro integritate, textus originalis authentica dignitate, aliisque, quæ Scripturæ sunt, affectionibus proferri in medium possent, ad Systemata Locosque Theologicos pertinere, nec adeo hujus loci esse existimamus. Propius forte ad institutum nostrum accederet, si varias Bibliorum *versiones*, ac quid de singulis sentiendum, & *editiones*, ac quid in singulis præstitum sit, recenseremus: sed verendum, ne sic in limine statim dicendorum obruamur copia, & post Homerum Iliada scribere aggrediamur, eum viri doctissimi tam copiose in hoc argumento, tamque versati sint solide, ut spicilegio vix locum reliquisse videantur. E multis nominasse sufficiat Joh. Henr. Hottingerum, qui *Bibliothecarii Part. II. tot.* de Bibliorum authenticis exemplaribus, tam MSCtis quam impressis, de Polyglottis, de variis in vernaculas linguas translationibus &c. & *Thesauri Phil. L. I. cap. 3. p. 249. sqq.* de paraphrasibus Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Persicis, Græcis ac Latinis de industria agit; Brianum porro Waltonum, Anglum, qui *Prolegom. in Biblia Polyglotta IV. V. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI.* in versiones Bibliorum Orientales, tum & in Vulgatam Latinam paulo curatius inquirat: & e nostris b. Christ. Kortholtum, qui *tract. de variis Scripturæ editionibus Kilonii 1686. edito*, de versionibus, Chaldaica c. 3. Syriaca c. 4. Græcis c. 5. LXXviri c. 6. Latinis in genere c. 8. Vulgata Latina c. 9 - 14. Latinis aliis c. 15. Samaritana c. 16.

Ara-



Arabica & Turcica c. 17. Æthiopica c. 18. Persica c. 19. Armenica c. 20. Ægyptiaca f. Copta c. 21. Italica c. 22. Gallica c. 23. Hispanica c. 24. Germanica c. 25. Belgica c. 26. Britannica f. Anglo-Saxonica c. 27. Danica c. 28. Suecica, Finnica, Lappica, Islandica, Gothica c. 29. Polonica, Lithuanica, Livonica, Russica c. 30. Bohemica, Hungarica, Slavonica c. 31. erudite perorat. De *b. Lutheri versione Germanica* integram contexuit *historiam* Magnif. D. D. Joh. Friedr. Mayerus Hamburgi A. 1701. editam, ultra quam vix est, quod desideres; adjecta dissertationum de translationibus Bibliorum Germanicis ante Lutherum, sive editis, sive ineditis, & de notis veterum Biblicis, mantissa. Demum nuper admodum Jacobus le Long. Parisin. Congregationis Oratorii D. J. Sacerdos & Bibliothecæ domus Parisiensis Præfectus *Bibliothecam Sacram s. Syllabum omnium ferme Sacra Scriptura editionum ac versionum* stupendo sane labore construxit, a Viro Clar. Christ. Fried. Boernero S. Th. D. & humaniorum literarum in Acad. Lips. Professore P. auctam, notisque illustratam. Cujus P. I. c. 1. Biblia Polyglotta, c. 2. Biblia linguis Orientalibus edita, c. 3. Græca, c. 4. Latina: P. II. c. 5. Gallica, c. 6. Italica, c. 7. Hispanica, c. 8. Biblia linguis Romanensibus exarata, c. 9. Germanica, c. 10. Danica, Suecica, Anglo-Saxonica, Anglica, c. 11. Slavica, c. 12. Islandica, Wallica, Hibernica, Cantabrica, Lithuanica, Finnica, Lapponica, Hungarica, c. 13. Mexicana, Mixteca, Virginiana &c. secundum varias, quibus in lucem prodierunt, editiones recensentur, adjectis haud raro *emendationibus* & observationibus ad editionis historiam aut indolem spectantibus. Codicum præterea MSCtorum, quotquot hodie innotuerunt, indicem locupletissimum suo loco exhibet: tum etiam Concordantias Biblicas variis linguis concinnatas, & variantium lectionum Syllogas opus laboriosissimum sistit.

V.

In universa Biblia non tam prolixos commentarios, quam notas & observationes concisas doctorum virorum industria nobis dedit. Quorum eruditam recensionem D. D. Mayerus instituit in dissertationum Decade, cui *Bibliotheca Biblica* nomen fecit. Hos inter, ut Patres prætereamus, quorum nullius integer in omnes utriusque Instrumenti libros commentarius ad nostram transmissus est ætatem, primo loco nominamus RABANVM MAVRVM Abbatem primo Fuldensem, post DD. Pontificiorum: Archi-Episcopum Moguntinum, scriptorem seculi IX. cujus in universam Scripturam commentarii lucem nondum omnes adspexerunt, MSCti vero in Bibliothecis latent inediti, quorum exactum dedit catalogum



De Scriptu-
ra S. in ge-
nere.

Nic. Serarius *Moguntiacar. Rerum Lib. IV. p. 631. sq.* Sequitur GLOSSA, tum *interlinearis*, in obscuriorum saltem vocabulorum explicatione hærens, & *Anselmo Laudunensi*, Doctori vergente XI. & ineunte XII. sæc. florenti vulgo adscripta; tum *ordinaria*, amplior paulo & ex variis antiquis Doctores collecta, eaque juxta Guil. Cave eidem *Anselmo*, juxta alios vero *Walafrido Straboni* Monacho Fuldensi, Rabani Mauri discipulo, sæc. IX. sub Ludovico Pio inclarescenti, accepta ferenda. Excepit utramque NICOLAUS de LYRA, ex Lyra Normanniæ vico oriundus, Ordinis Minor. S. Francisci frater, A. C. 1340. fato functus, qui in Scripturam universam *Psallias* perpetuas, in quibus sensum literalem, adhibitis sæpius Rabbiorum observationibus & glossis indagat; præterea quoque *Moralia*, postillis, quibus ut plurimum junguntur, paulo prolixiora reliquit. His PAULUS de S. MARIA, ab Episcopatu, cui præerat, BURGENSIS dictus, ex Judæo Christianus, *additiones notabiles* adjecit, quibus Lyrani Aristarchum agens, plurima ejus loca sæpe non infeliciter sub censuram vocavit. Contra vero eum Lyrani in se patrociniū causamque suscepit MATTHÆUS DORING, vel ut aliis audit, DORNIC, Saxo, Ordinis Minorum frater, *replicas* Burgensi opponens, ausu tamen feliciore quam successu. Singulorum horum labores (Rabano Mauro excepto) textui Vulgato juncti, sex prodierunt tomis in Valle Engadi S. Engethal A. MDVIII. Conrado Leontorio procurante, qui peculiari tomo, eoque VII. repertorium Alphabeticum sententiarum præstantium, ex glossis atque commentariis dictis collectarum addidit. In singulis quid desiderari possit, prolixè satis monuit Rich. Simonius *Hist. Crit. V. T. L. III. cap. XI. p. 414. sqq.*

VI.

HUGO de S. VICTORE natus Comes de Blankenburg, postea Canonicus & Abbas in cœnobio S. Victoris (unde ipsi nomen hæsit) ad muros Parisi. Ordinis Augustini, ac propter excellentem doctrinam *Didascalus*, & ob assiduam Augustini lectionem & imitationem *lingua Augustini*, item *Augustinus alter* dictus, suam in explanandis Scripturæ libris quamplurimis operam haud infeliciter collocavit. Extant inter Opp. ejus Parisiis A. 1525. & Venetiis A. 1588. excusa, tomo primo *de scripturis & scriptoribus sacris prænotationes: annotationes elucidatorie in Pentateuchum, Judices, libros Regum ac Psalmos aliquot: in Ecclesiasten homilia 19. annotat. elucidatoria in Threnos, Joëlem & Abdiam: annotationes elucidat. allegoriarum in totum V. T. exceptis Prophetis & libris*



bris sapientialibus: annot. elucid. allegoriarum in quatuor Evangel. annotationes literales & quæstiones in Epistolas Pauli. HVGGO de S. CHA-
RO alias de S. THEODORICO dictus, natione Burgundus, Ordinis Prædicat. Presbyter Cardinalis Tit. S. Sabinæ A. 1260. defunctus, *edit in universam Scripturam Commentarios juxta quadruplicem sensum, Scholastico i. e. brevi sermone absque ullo fuco secularis eloquentiæ, ait Possevinus in Apparatu S. p. 770.* In Psalmos seorsim scripsit; quanquam incertum & sub judice adhuc lis sit, an illa in Ps. commentaria Hugonis sint, an Alexandri Alensis? Prius d. l. affirmat Possevinus. Primus porro Concordantiarum Biblicarum inventor vulgo creditur, quas cum Conrado Alberstadio Monacho, conjunctis quingentorum Monachorum e diversis cœnobiis operis, in Alphabeticum ordinem digessit & collegit. Vide Sixt. Senens. *Biblioth. s. lib. IV. p. 254.* Calvis. *ad A. C. 1240.* Genebrardum *ad A. C. 1254.* Opera ejus omnia in universa Biblia V. & N. T. septem tomis Venetiis recusa sunt in fol. 1600. quibus To. 8. rerum ac verborum locupletissimus index accessit. Majorem tamen eruditionis laudem procul dubio meretur in *annotationibus in difficiliora loca totius scripture* GVIL. ESTIVS, Duacensis Academiæ Cancellarius & Primarius Theol. Professor, qui A. 1613. vivis excessit; porro EMANVEL SAA, Lusitanus, Soc. Jesu Theologus & in Urbe Professor, *in brevioribus notationibus* in totam Scripturam, quibus Ebræos & Græcos potissimum idiotismos explicare annitur, *gaudens brevitate, accurate autem seligens & suo loco disponens e Patribus atque e Glossa tum interlineari, tum ordinaria, quæ ad institutum faciebant, sed dubia & obscura ressecans,* ex Possevini judicio *Appar. s. p. 503.* JOH. STEPHAN. MENOCHIVS Jesuita in *scholiis*, s. brevi explicatione sensus literalis in utrumque Testamentum; JACOBVS TIRINVS Jesuita & Collegii Antverpiens. Vice-Rector, *in brevi & nervosa totius Scripture explicatione*, quam tamen in locis controversis ex merito castigavit Sam. Maresius in *Anti-Tirino* suo; & JOH. GAGNÆVS, Doct. & Cancellarius Academiæ Parisiensis, qui quamquam non in universum codicem S. sed in epistolas saltem Apostolicas & Apocalypsin animadversiones conscripserit, nobis tamen hic loci prætereundus non est, quod Joannes de la Haye Parisiensis Lector, Concionator Regius & in Gallia Minorum Procurator Generalis, eundem superioribus quatuor suo loco adjecit, opusque satis magnificum, quod BIBLIA MAGNA inscripsit, quinque tomis Parisiis A. 1643. ex integris dictorum interpretum commentariis consarcinavit.



cinavit. Ufu longe insigniori, quam quem altera ejusdem *de la Haye* collectio præstat, A. 1660. sub. tit. BIBLIORVM MAXIMORVM, novendecim voluminibus in lucem protrusa, in qua omisso textu authentico sola Vulgata exhibetur, ita tamen, ut cuilibet commati versiones Orientales non modo, sed & Slavonicam, Gothicam, Italicam, Hispanicam, Gallicam interdum, in Latinum idioma translatas subiciat, easque cum textu Vulgato contendat, tandemque Lyrani, Estii, Menochii, Tirini & Gagnæi annotationes subjungat. Cujus sumptuosi licet, at sterilis ac jejuni omnino operis quis scopus, qui nævi sint, accurate delineat laudatus D. Kortholt. *c. l. cap. 31. §. 13. sqq. p. 388. sqq.* Confer etiam Rich. Simon, *c. l. p. 417.*

VII.

Præter supra dictos JACOBVS GORDONVS Jesuita, Tolosani & Burdegalensis Collegiorum Rector, *commentaria ad sensum literæ in Biblia universa* conscripsit: opus in tres tomos divisum & Lutetia Parisiorum excusum A. 1632. In notis geminum præfixum sibi scopum habet: primo, ut ostendat, quis sit literæ germanus ac dogmaticus sensus, quem mystico longe anteponeit; deinde, ut Hæreticorum, quos vocat, & Novatorum corruptelas retundat, omniaque ad Catholicum sensum revocet. In quibus ita versatur, ut ad nonnulla loca satis sit copiosus, e contrario vero capita bene multa vix paucis verbis illustret, vel sicco prorsus pedepætereat. Ad hæc de verbo Dei & librorum Canonorum variis editionibus, Ebraica, Græca, Latina, ad finem V. T. ex instituto agit: ad initia vero librorum *παράλληλα* s. historiæ sacræ cum regnis rebusque gestis profanis collationem instituit; tandemque opus totum tabulis Geographicis & Chronologicis passim exornat. Vindicias potius quam commentarium exhibet FELICIANVS CAPITONVS Narniensis, & Ord. Servorum Archiepiscop. Avenionensis, in *explicationibus Catholicis Locor. fere omnium Veteris ac Novi Testam. quibus ad stabiliendas hæreses nostra tempestate abutuntur Hæretici*, ut titulus habet, per *Gaudiosum Floridum*, Servitanæ familiæ Theologum, autorisque alumnum in tres partes digestis, eodemque curante primum in lucem editis Venetiis in fol. A. 1579. postea Colonia A. 1605. recusum hoc opus est sub rubr. *Promptuarii Sacri, continentis utriusque Testamenti præcipuorum locorum explicationes, quibus hæretici abutuntur.* De FRANCISCO LVCA BRVGENSEI, Theologo Lovaniensi & ecclesiæ Audomaropolitanæ Decano, eo minus in præsentiarum attinet dicere, quia



quia notationes ejus *Critica in libros Sacros utriusque testamenti, quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca summo studio discutiuntur*. Tomo IX. Criticor. Anglicorum (edit. Francof.) integræ exhibitæ, haud adeo multam textui S. lucem, meo quidem judicio, foenerantur. ANTONIVS de ESCOBAR & MENDOZA *commentarios literales & morales* in V. & N. T. IX. Tomis struxit, Lugduni tribus voluminibus A. 1667. editos, quibus tamen non tam sensum explicat, quam locos communes suppeditat, exiguam forte interpreti sacro opem laturos. Haud dubie in oraculorum sacrorum expositione anteponeendus ipsi est CORNELIVS a LAPIDE Belga, primum in Lovanienſi, tandem in Romano S. I. Collegio Sacrar. literar. Professor, qui in omnes utriusque Testamenti libros satis copiosos edidit commentarios, Jobo duntaxat & Psalmis exceptis; quos tamen etiam in destinatis habebat, nisi morte A. ætatis 71. Chr. 1637. præventus, cœptam pertexere telam prohibitus fuisset. Tomis XII. iteratis sapius vicibus Antwerpia, Colonia, Parisiis ac Lugduni recusa ejus Opp. lucem adspexerunt. E recentioribus nominandus cumprimis est I. B. du HAMEL, Presbyter & Professor Regius Parisiens. qui Biblia S. vulgatæ versionis selectis annotationibus, ex optimis quibusque interpretibus excerptis illustrata, Parisiis Tomis II. in fol. A. 1706. evulgavit. Autoris itaque ingenio non annotationes ipsæ, quas aliunde se mutuatum in præfatione ultro fateretur, sed earum ex optimis Commentatoribus congestio & delectus debentur, in quo mediam inter scholia plus satis contracta, & Commentarios paulo longiores viam insistere cupiens, difficiliora saltem loca exposuit, omissis quæ obscuritate non laborant, discrepantesque Autorum, sicubi in diversum abeunt, sententias brevissime recensuit; curiosas vero, quæ doctorum exercent ingenia, circa textum dissertationes, ab instituto suo alienas, habuit procul. In limine cujusque libri Autorem, ætatem, argumentum exhibet. Prolegomena IV. absolvuntur dissertationibus, quarum prima de Scripturæ auctoritate & integritate; secunda de textus Hebraici antiquitate, auctoritate, integritate & mutationibus, quas ex Romanæ ecclesiæ sententia est expertus; tertia de versionibus, LXXviri, aliisque Græcis, de Syriaca & Chaldaica, & Latinis ac Vulgata imprimis; quarta de stylo & caractere Scripturæ S. iisque, quæ ad multiplicem Scripturæ sensum & varias exponendi rationes spectant, differit. In calce operis duæ adjectæ sunt tabulæ, una quæ Chronologiam, altera quæ Geographiam sacram complectitur universam.

B

VIII.



De Scriptu-
ra S. in ge-
nere.
Reformatio-
nis:

10

INTRODVCTIO AD LIBROS BIBLICOS

VIII.

Reformatorum agmen dux gregis JOH. CALVINVS ducit, Pastor & Sacrar. literar. Professor Genevensis, qui exceptis libb. Judicum, Ruth, posteriore Samuelis, utroque Regum & Chronicorum, Estheræ, Nehemiæ, Esdræ, Proverbiis porro, Ecclesiaste, Cantico & Apocalypsi, reliquos omnes ita interpretatus est, ut Genesin commentario illustrarit, reliquos IV. Mosaicos in harmoniam redegerit; in Josuam, Psalmos, Jesaiam, Johannem Evangelistam, Acta, omnesque N. T. epistolas commentarios; in priorem Samuelis & Jobum homilias; in XII. prophetas minores, Jeremiam, XX. priora capp. Ezechielis, atque Danielelem prælectiones struxerit; Evangelistas demum 3. priores in harmoniam rursus disposuerit. Quæ omnia in Operum Calvinii edit. Genevensi A. 1617. Tomos V. in nitidissima Amstelodamensi autem A. 1667. tomos VII. priores conficiunt, quibus in utraque editione duo adhuc tomi didacticorum & polemicorum, aliorumque opusculorum accedunt. Post hunc FRANCISCVS JUNIVS Theologiæ & Ebrææ Linguae Professor primo Heidelbergensis, deinde Lugdunensis, brevibus sed eruditis scholiis universa Biblia, a se atque Emanuel. Tremellio jussu & autoritate Friderici Electoris Palatini, in Latinum translata, illustravit: interpres Scripturæ Scaligero tantus visus, ut *ab Apostolorum temporibus parem Theologum hactenus nullum viderit seculum*, referente Thoma Gatakerò *Cinni L. II. cap. 9. Opp. p. 315.* qui ibid. Eduardi Livelaï in præfat. ad annotationes in Prophetas quosd. minores sententiam allegat: *Tremellio & Junio qui multa deberi negat, ne ille aut judicii expertus, aut invidus est.* Observarunt tamen eruditi, Junium in singulis fere impressionibus multa immutasse, ita ut postrema Bibliorum ejus editio a prima innumeris in locis plurimum variet. Eandem porro plus vice simplici castigavit JOHANNES PISCATOR, Philosophiæ sacrarumque literarum in schola Herbornensi Professor, qui novam Scripturæ versionem Latinam, ad eos libros, quorum Junio-Tremelliana ipsi non probatur, adornavit, eamque *analyti Logica, scholiis & observationibus locorum doctrinæ* singulis capitibus deductorum instruxit, quibus a Matth. Polo elogium meruit, ut *scholia Piscatoris acuta sape & solida expertum se esse fateatur præfat. ad T. I. Synops. Crit.* Germanicam porro versionem novam, jussu & auspiciis Johannis Comitis Nassaviens. idem Piscator contexuit & evulgavit, singulisque capitibus difficiliorum locorum succinctam explicationem pariter ac usus practicos subjunxit. Quæ

Pisca-



Piscatoriana Biblia scaterere vitiis & blasphemis & erroribus infinitis, affirmat b. Menzerus *T. III. Gissens. Diss. XV. §. 6. p. 435. neque aliud fuisse novæ illius translationis publicandæ consilium, quam ut dogmata Zwingliana & Calviniana longe lateque disseminarentur.* Universis Bibliis (quæ communi nomine HERBORNENSIA appellantur) geminus accessit index, multo laboris & temporis impendio a Piscatore compositus, a quo sibi caveant juniores, monet b. Hülsemannus *Method. Studi Theolog. p. 286.* ob corruptelas singulis ferme vocibus studio affectas. Huic Piscatoris labori censuram opposuit Paul. Röderus, sub rubr. *Biblia neu verdeutsch/ von dem Calvinisten Johann Piscatorn und seinen Gehülffsen; der gemeinen Lutherschen entgegen gehalten/ und nach dem Grund des Christlichen Glaubens und der fürnehmsten Haupt-Sprachen/ beyde auf die Probe gesetzt* &c. cum approbat. *Facultat. Theol. Jenensis* in 4to A. 1607. Nec defuit causæ suæ Piscator, vindicias Röderianæ censuræ opponens sub tit. *Apologia i. e. Vertheidigung der neuen Herbornischen Bibel/ wider das Laster-Buch Paul Röders/ Pfarrers zu Roßberg/ Herbornæ* in 4to A. 1608. Confer etiam de Bibliis Herbornensibus b. Himmelium in *Harmon. Calvino-Papist. part. I. p. 18.* Porro LUDOVICVS de DIEU Leidenfis Theologiæ Professor, vir ex Gerh. Joh. Vossii *Harmon. Passion. L. II. c. 8. p. 308.* elogio, *probitate & doctrina eximius*, animadversiones maximam partem philologicas, insigni eruditione refertas, in quibus ex Chaldaeorum Targumim, Syrorum & Arabum, aliorumque versionibus, ut & Hebræorum Commentariis & recentiorum observationibus difficiliora quæque loca illustrantur, in libros utriusque Testamenti omnes reliquit, junctim sub *Critica Sacra* titulo Amstelodami A. 1693. in fol. reculas, ita ut ad calcem Apocalypsis accesserit Syriaca, ex MSCto Syriacis & Hebraicis typis, cum sua versione olim a *de Dieu* evulgata. Sed & par nobile fratrum LUDOVICVS & JACOBVS CAPPELLVS, quorum ille natu minor Hebraicæ linguæ & Theologiæ Professor in Academia Salmuriensi, hic Pastor & Professor Sedanensis, sacras literas eruditis uterque observationibus discussit. Et Jacobi quidem, demum post obitum, *observationes in selecta Pentateuchi loca, & in reliquos Vet. Test. libros universos*, fratris filius A. 1689. *observationes vero in Nov. Testam.* frater ipse Ludovicus A. 1657. in lucem emisit. Ludovici vero *notæ critica in plerosque libros V. T. Commentarius in octo capp. Geneseos*, a secundo nimirum ad nonum usque, *Commentar. in cap. LIII. Jesaja*, nec non in *Abdiam, Micheam, Nabumum,*



Habacucum, Sophoniam, Aggeum, Zachariam, Malachiam, porro *notæ criticae in Apocryphos libros plerosque, & spicilegium notarum in libros Novi Test.* hodie extant. JOHANNIS COCCEJI quo minus mentionem hic faciamus, causa est, quod plurimos Ver. Test. libros, historicos maxime, intactos reliquit. Potiori jure BELGARVM ad novam versionem Belgicam NOTÆ perpetuæ huc referendæ sunt, a præstantissimis Belgii Reformati Theologis, ex Synodi Dordracenæ decreto, consignatæ. Cujus versionis & annotationum historiam, auctores, censores, sumptus, fata fuscè persequitur Vir. Clariss. Henr. Ludolf. Benthem im *Holländischen Kirch- und Schulens-Staat P. I. cap. 7. 10-10 p. 225. sqq.* & Joh. Leusdenius in *Philologo Ebræo-Mixto p. 70. sqq.* Apparatum huic versioni subministrabat SIXTINVS AMAMA, litterarum Hebraicar. in Acad. Franequerana Professor, in *Anti-Barbaro Biblico*, quo, dum aliquot centurias crassissimorum errorum circa particularium Scripturæ locorum interpretationem sub censuram vocat, Vulgatamque inprimis castigat, dictis simul plurimis utriusque Instrumenti dubiis insignem affundit lucem. Ubi vero b. Lutherum ejusque Germanicam versionem indignius habet, insignem sapissime Germanicæ linguæ imperitiâ prodit. Ceterum dicta illa Scripturæ diligentius expensa Syllabus ad calcem operis digito indice monstrat. Præclarum operis elogium in Riveti reperies *Isagog. ad Script. S. cap. XI. num. 7.* ejusdem vero argumentum, scopum & usum ipse exponit Amama, apud Thomam Crenium *Animadvers. Philol. & Histor. P. III. cap. 3. p. 83. sqq.* Memoratas Belgarum annotationes, una cum JOHANNIS DIODATI, Professoris Theol. Genevensis succinctis observationibus, versioni Italicæ Bibliorum ab ipso concinnatæ olim junctis, veteri Genevensi versioni Bibliorum Gallicæ adjecit SAMVEL MARESIVS, Theologus Groningensis, suisque easdem explicationibus & glossis auxit, editis duobus volumin. in fol. Amstelodami A. 1669. In notis *ἀντιβάρων* passim desiderare eruditos, observant Act. Erudit. Lips. mens. Jun. A. 1707. p. 242. & p. 243. addunt: *in illustranda novis observationibus vi & proprietate phrasium sacrarum rariorem esse, & non nisi ubi summa urgere necessitas videretur & fere invitum a versione priore discessisse, licet hanc paulo plus luminis exigua mutatione quandoque sensibus sacris affundi potuisset.* Pari fere instituto PAVLVVS TOSSANVS, Theologus primo Heidelbergensis, post Hanovienſis Pastor, versioni Germanicæ Lutheri suas, una cum Diodati & Belgarum integris, marginales notas

notas



notas per universum Codicem Sacrum adspersit. Verum peculiari disputatione, quæ *tomi VII. Giesfens. 17. est p. 417. sqq.* b. Joh. Winkelmannus has Tossani notas ad examen vocavit, gravissimorumque de baptismo, de Cœna Domini, de persona Christi & de electione errorum, quos in margine ad seducendum simplicem lectorem assuerit, quibusque multa Scriptura dicta depravarit, postulans, *Tossanum Biblia Germanica Lutheri, contra ipsius mentem, propagandorum errorum Zwinglii & Calvinii organum & quasi vehiculum effecisse, §. 7. conqueritur.* Adderem his HVGONEM GROTIUM, si de religione, quam serio & constanter amplexus fuerit, satis constaret; eo tamen nomine hic allegandum, quod in universum Codicem S. eruditas omnino, si Philologiam & antiquitatem spectes, Judæis autem sapius, Socinianis haud raro, & nonnunquam Pontificiis nimium faventes, quin & profanas alicubi, annotationes congestit. Hos demum omnes & libri mole, & rerum ubertate atque copia CRITICI SACRI superant, opus collectionem interpretum in scripturas præstantiorum, *Sebast. Munsteri, Pauli Fagii, Francisci Vatabli, Claudii Badvelli, Seb. Castalionis, Isidori Clarii, Andr. Masii, Joannis Drusii, Phil. Codurci, Rod. Bayni, Franc. Forerii, Edovardi Livelei, Dav. Hæschelii, Hug. Grotii, Jos. Scaligeri, Laurent. Vallæ, Erasmi Roterodami, Nicol. Zegeri, Is. Casauboni, Cappellorum, Joh. Præci,* aliorumque novem tomis, juxta Londinensem editionem, in Francofurtensi in septem redactis exhibens; impensas tanto operi (quod docet præfatio) suppeditante *Cornelio Bee*, industriam vero in recensendis colligendisque commentationibus & operam collocantibus *Jo. Pearsonio* Archidiacono Suriensi, *Anton. Scattergood*, ecclesiæ Lincolnienfis Canonico, *Franc. Gouldman*, ecclesiæ Okendon australis in Comitatu Essexiensi Rectore, & *Rich. Pearson* Coll. Regii Socio. Septem tomi priores (Francofurtensis exemplaris quinque) perpetuam Commentariorum in singulos Bibliorum libros singulaque capita veluti catenam, duo posteriores autem varios tractatus Philologicos & ad antiquitatem sacram spectantes sistunt. Accesserunt in Belgica operis editione interspersa suis locis, & ex *Jo. Drusii notis majoribus*, ex *Carnwrigibi, Sixtini Amama*, aliorumque observationibus collecta augmenta, quæ Francofurtenses Bibliopolæ *supplementorum tomis II.* excerpta, continua serie exhibent, præterea *Nortoni Knachtbullii animadversiones in libros Novi Test.* sub finem libri annectunt, promissos vero III. & IV. supplementorum tomos, una cum instructissimis, quos polliciti sunt, indicibus, adhuc debent. Diffitendum



tamen non est, insigniorem adhuc usum præbere MATTHÆI POLI Theologi Londinensis *Synopsin Criticorum aliorumq. S. Scripturae interpretum*, V. voluminibus comprehensam, in quam ex Criticis sacris, ex Bibliis Joh. de la Haye, aliisque seorsim editis non Reformationum solum, sed & Pontificiorum atque nostratum Theologorum commentariis, sententias & expositiones diversas retulit, perpetuoque in canonicos omnes Scripturæ libros commentario enarravit. Iniquior equidem, quam par erat, operi censor obtigit Marcus Meibomius, Ex-Professor Gymnasii Amstelodamensis, qui *præfatione specimenis secundi novarum in S. Hebræo Codice interpretationum & explicationum suarum*, Amstelodami A. 1678. editi, post alia conviciorum plaustra in hæc tandem verba erumpit: *Perniciosus vulgo concionatorum usus est Synopses Criticorum, nisi disputationum tomus, præsertim in V. T. brevi edatur. Quod certe auxilium & beneficium ab ecclesiæ Anglicanæ antistitibus flagitant sacra literæ. - - Quid ergo? dicit aliquis; nullamne tam immensi operis utilitatem reperis? Nullam equidem aliam reperio, quam quæ ex largissimo indice percipitur, præsertim quod ad Vetus Test. attinet. Scire enim curiosus inquisitor pauca lectione poterit, quænam plerorumque commentatorum & interpretum de difficili loco sententia sit. Nam qui rationes auctorum cognoscere volet, cur ita vertent aut explicarint, integra eorum commentaria adibit. Synopsin enim dumtaxat dedit Polus. Offa plerumque, carne plenioris explicationis & nervis rationum nudata. Sed invidiam Meibomio, ingentisque lucrispem elusam hoc expressisse iudicium, ipsa præfat. citat. haud obscure indicat, uberiusque Benthemius exponit Holl. Kirch-und Schulens Staat P. II. cap. 4. §. 89. p. 378. Qui etiam §. 125. p. 461. Melchior. Leydekkerum Theologum Professor. Trajectinum haud paulo magnificentius de his Poli sentire lucubrationibus testatur. Idem porro POLVS annotationes in Biblia Sacra, idiomate Anglico duobus ingentibus voluminibus, quibus componendis etiam A. 1685. immortuus est, reliquit, quibus non alienas, ut in *Synopsi*, sententias recenset, sed suam de cuiusque loci sensu mentem expromit, *εὐαγγιον* conciliat, & dubia solvit. Prodierrunt Londini A. 1688. & recensentur in Actis Erudit. Lips. Supplem. Tom. I. Sect. 4. p. 184. sqq.*

IX.

Lutherano-
rum.

Sed nec nostra ecclesiæ dexterrimis Scripturæ interpretibus destituitur, quos inter primas tenet Megalander LVTHERVVS, qui non modo plurimos Codicis S. libros, Genesin nimirum T. IV. & IX. Altenb.

&



& T. VI. Lat. Witeb. Exodum usque ad cap. XX. T. III. A. f. 524. 599. Deuteronomium T. V. A. f. 1031. 599. Psalmorum plurimos seorsim, Con-
heleth T. V. A. f. 1181. Hoseam T. VIII. A. f. 593. Joëlem T. VI. A. f. 919.
Amosum T. VI. A. f. 1000. Obadjam T. VI. A. f. 1036. Jonam T. III. A. f. 351.
Micham T. VIII. A. f. 67. Nahum T. VII. A. f. 662. Habacuc T. III. A. f. 418.
Zephaniam T. VIII. A. f. 676. Haggæum T. VII. A. f. 697. Zachariam T. IV.
A. f. 276. Malachiam T. VII. A. f. 701. Evangelium Johannis T. VI. f. 1122.
Epistolam ad Galatas T. I. A. f. 151. & T. VI. A. f. 509. priorem Petri
T. II. A. f. 405. ejusdem posteriorem T. II. f. 464. & Judæ T. eod. f. 486.
integræ vereque aureis Commentariis explicavit; præter hæc vero ce-
tera quoque Scripturæ capitula scriptis suis & homiliis variis illustravit,
ut perpetui uberrimique in universa Biblia Commentarii vicem præstent,
si ad ductum indicis laboriosissimi, quem D. Sagittarius tomis Alten-
burgensibus T. X. cap. 3. f. 185. adjecit; ut & illius, quem b. Calovius
Pædia suæ Theologica subnexuit *Seet. III.* tom. Lutheri evolvantur. Na-
sus equidem Criticus ille, cui nihil ad palatum est, quod non ab ipsius
profectum est ingenio, *Richard. Simonius* b. Lutheri nostri Exegeticis
quoque laboribus multam adspargere labem conatur, simplicitatem eo-
rum, immistasque peregrinas nec ad rem facientes excursiones & quæ-
stiones Theologicas criminatus. Verba Aristarchi in *Hist. Crit. V. T.*
L. III. Cap. 14. p. 432. ita habent: *Il n'a rien d' élevé ni de sçavant dans*
ses Commentaires sur la Bible: tout y est bas & simple: & comme il avoit
étudié la Theologie, il a plutôt composé une Rapsodie de questions Theolo-
giques, qu'un Commentaire du Texte de l' Ecriture. Sed salva res est, to-
tumque Simonii judicium hominis in religionem & veritatem odium
spirat. Quam enim ille in vitio ponit simplicitatem, nos laudi ducimus
Commentatori, cujus profecto non est flosculos sectari, prolixis rhetori-
cationibus suspensos lectorum animos tenere, vel inani subtilitate tex-
tum obscurare, sed plane, perspicue, simpliciter verborum enarrare sen-
sum. Numnam Origenis in allegorisando subtilitas, an Hieronymi in
explanando textu Sacro simplicitas majorem in ecclesia meruit applau-
sum? Quamquam ingenium prorsus Lutheri commentariis denegare
nemo possit, nisi expertus ingenii ipse. Quæstiones vero Theologicas,
quas non sane a textu alienas, sed ad exhaustiendum ejus latifundium
apprime facientes, interpretationibus suis inseruit noster, grata mente
exosculamur, istudque scripturam explicandi genus jejunis illis & sterili-
bus glossis, quæ in minutis hærent, & præter aridam paraphrasin vix
aliud



aliud quid tradunt, longe anteponendum censemus. Verum cum suæ sectæ hominibus transigat hanc controversiam Simon, cum Lorino, cum Pererio, cum Eman. de Naxera, cum Georgio Ambianate & sexcentis aliis, quibus late vagari solenne est, & sæpe longe petitis disquisitionibus lectorem in devia abripere. Sed sufficiant, quæ dicta sunt; nunc e diverticulo in viam. Jungendus Lutheri JOHANNES BRENTIVS esset, Theologus Württembergensis, magnus scripturæ interpres, & de ecclesia Christi octo tomis commentariorum in varios utriusque foederis libros, Tubingæ A. 1576. evulgatos, insigniter meritis, ipsique Megalandro charus, quod Lutheri ad Brentium literæ, *præfationi ejus in Amosum præmissæ* testantur; nisi complures prorsus intactas præterisset Codicis S. partes: cujus proin mentionem ad singulos, quibus explanandis operam dedit, libros sumus facturi. Utriusque autem vestigia felici perquam successu LVCAS OSIANDER, Tubingenfis Theologus preslit, qui versionem Vulgatam e fontibus non emendavit modo, sed & perpetua paraphrasi sensum literalem orthodoxe, nervose, perspicue reddidit, infertis hinc inde locorum communium præcipuis. Magno Hülsemanno nostro ita sane se probavit hic labor, ut & ob simplicitatem styli, & propter synopticam errorum demonstrationem, quibus obnoxia est Vulgata Latina, singulari eum encomio ornarit *Prælect. in F. C. Art. I. c. 6. §. 5. p. 237.* Quin & b. Calovio hæc paraphrasis ob retentum unicum literalem sensum, in Psalmis prophetis cumprimis, Vinariensium paraphrasi præferenda videtur *Bibl. Illust. in Ps. 89. p. 1071. b.* Sed ipse quoque Simonius, quid reprehenderet in hoc labore, non reperiit, nisi quod non satis assecutum esse Latinum interpretem immerito criminetur Osiandrum, *disquisit. Critic. de variis Bibl. editionibus sub finem cap. 23.* Insigne hoc opus tribus in fol. tomis constans, suavis & autoritate b. D. Jac. Welleri, M. Dav. Fortnerus in vernaculam transfudit, versionique Lutheri Germanicæ una cum scholiis ejus adjecit paraphrasin, notis seorsim a textu collocatis, Lüneburgi Anno 1650. Commemoranda hoc loco etiam sunt BIBLIA, Ducum Saxo-Vinariensium, maxime Sereniss. Ernesti Pii auspiciis, a Theologis ea ætate principibus adornata, scholiisque perpetuis sensum literalem in vernacula succincte explanantibus illustrata, & ab auspice ERNESTINA; ab oppido & sede principum, qui auspicem Ernestum attingebant, VINARIENSIA; a loco ubi typis exscripta sunt, NORIMBERGENSIA dicta. Quorum autores ex b. Calovii in *prolegom. ad Bibl. Ill. T. I. p. 13.* recensione non pige-
bit

bit adscribere : *Autores operis*, inquit, *quantum ad nos pervenit fama*, hifuerunt : b. D. D. Joh. Gerhardus *Genesin, Daniele & Apocalypsin elaboravit* : b. D. Olsnerus P. P. *Erffurt. Leviticum : libros historicos partim b. D. Himmeliu, partim b. Hubmeierus, Superint. Heldburgensis, nimirum libros Regum & Paralipomenon, partim M. Schlevogt, utpote Esdras & Nehemiam : M. Dilherrus Jobum : Psalterium vero & libros Salomonis b. D. Sal. Glassius : (ipso teste Philol. S. mantissa p. 1491.) b. D. Weber Superint. Ordans. Esaiam ; b. D. Andreas Keslerus Ezechielem, ut & libros Apocryphos, excepto Syracide, quem b. D. Mengerling illustrasse dicitur : b. D. Groshain Prof. Erffurt. Matthæum exposuit : M. Prætorius Superint. Schleusing. Marcum & Lucam : M. Mylius Concionator Aulicus Cranichfeld. Johannem : b. Joh. Major Superint. Jenens. Acta Apostolorum & Epistolas Johannis : b. Joh. Himmeliu Epistolas ad Romanos & Corinthios : b. D. Nic. Zapffius Superint. Epistolas minores Paulinas : M. Neander, Pastor Lobsted. Epistolam ad Hebræos. De reliquis libris Bibliis, pergit b. Calovius, non constat, a quibusnam elaborati sint, quod forte a Revisoribus operis factum ; hos autem fuisse trigam illam Johanniticam, b. Gerhardum, b. Majorem, & b. Himmelium, ut & b. Glassium accepimus ; e quibus vero præcipuas partes & directionem Adamantio Germanico, b. Gerardo nostro, Theologo incomparabili fuisse demandatas, e præfatione operis, scopum, contenta & usum exhibente, Jene 25. Junii Anno 1640. data novimus. Ceterum adversus Erbermanni suggillationes has Bibliorum annotationes defendit, commentatorumque fidem ac industriam asseruit b. D. Joh. Musæus in præf. ad tr. de conversione, & in Vindiciis Bibl. Lutheri.*

X.

Paulo aliter se habet b. D. DANIEL. CRAMERI, ecclesiæ b. Mariæ Pastoris & Professoris Pædagogii Stetiniensis, explicatio Biblica (*Biblische Auslegung*) qua non interlineariter, sed post grandiores capitum pericopas annotationes literales, ususque practici versioni Lutheri latus cingunt, ad usum moralem præcipue & homileticum facientes. Porro ad disputationum Theologicarum exercitium accommodatæ potissimum sunt annotationes marginales b. D. ANDRÆ OSIANDRI, Lucæ filii, Theologi & Cancellarii Tubingensis, & ecclesiæ Præpositi, quibus Scripturam omnem juxta Vulgatam, sed a Parente emendatam versionem in difficilioribus locis explicavit, & utilissimis observationibus, ex Patrum orthodoxorum & præstantissimorum istius seculi Theologorum lucubrationibus, nec non ex Form. Concordiæ excerptis illustravit,

C

vit,



vit. Præclare quoque de sacris literis meritus est JOANNES QVI-
STORPIVS, Theol. Professor & Superintendens Rostochienſis, *anno-*
tationibus biblicis in univerſum Codicem A. 1648. in 4. editis, varia eru-
ditiſſime refertis. Nec ſua fraudandus eſt laude PHIL. HENRIC.
FRIEDLIBIVS, eccleſiæ Jacobinæ apud Stralſundenſes Paſtor & Mi-
niſterii ibidem Senior, qui edito Stralſundi A. 1649. *obſervationum biblica-*
rum tomo, in ſeptem claſſes diſtincto, 1. idiotiſimos in fontibus occur-
rentes, 2. contradictiones apparentes, 3. exceptiones, 4. objectiones,
5. adagia, 6. circumſtantias perſonarum, locorum, temporum, 7. quæ-
ſtiones enucleans & evolvens, utilem multis operam præſtitit. Præter-
eundus porro non eſt THEODORICVS HACKSPANIVS
Theologiæ & linguæ Hebrææ Profeſſor Altorſſinus, qui *notis Philologica-*
Theologicis varia & difficilia Scripturæ loca, juxta ſeriem librorum bibli-
corum ad Evangelium uſque Johannis diſcuſſit; quas poſt autoris obi-
tum tribus voluminibus in 8. Norimbergæ A. 1666. Georg. König evul-
gavit, Theologus iidem Altorſſinus. Laudem eæ, ex b. Calovii judicio,
merentur, ubi non ſingularitatis vel novitatis Calixtinæ labem ferunt,
cui quippe adeo fuit deditus autor, ut in taxanda b. Lutheri verſione ni-
mis maluerit eſſe liberalis, quam a Calixtinis peſſimi commatis princi-
piis deſcedere. Vide Calovii *Comment. in Gen. V. 24. p. 618. ſq.* Haud
ingratam porro concionatoribus operam navavit b. D. JOHANNES
OLEARIVS Sen. Concionator Aulicus Primarius, Conſiliarius Eccleſiæ
& Superintendens General. Magdeburgo Saxonicus, explicatione Biblio-
rum Germanica, tribus in fol. tomis Lipſiæ A. 1678. excuſa. Libris ſin-
gulis præcognita, appellationem, contenta, partitionem, ſcopum & cano-
nicam autoritatem breviter explanantia præmittit; pericopis autem ca-
pitum, phraſeos e fontibus petitam explicationem, uſum præcticum &
monita doctorem eccleſiæ, ipſiusque b. Lutheri ſubjungit. Tandem et-
iam ad magnum devolvimur ABRAHAMVM CALOVIVM,
Theologum & Superint. General. Wittenbergenſem, qui & vernaculam
verſionem noſtram interlineari, maximam partem ex b. Lutheri ſcriptis
deprompta illuſtratione, locisque parallelis, & obſervationibus textua-
libus, tribus tomis in fol. A. 1681. Wittenbergæ in lucem emiſſis ſolide
explanavit: & *Bibliis Illuſtratis* Hugon. Grotium, cujus integras operi ſuo
inferuit notas, ſicubi monſtri quid alit, ſub cenſuram vocavit, præterea
vero, ubi Grotius nihil annotavit, textus difficilioreſ, dubiaque geographi-
ca, genealogica & alia adeo evolvit ſolide, ut ſuo ſane merito Theologiæ
con-

consecraneis quam commendatissimum hoc opus esse debeat, Francofurti quatuor in fol. tomis exscriptum A. 1672. Quod enim Joh. Clericus *P. III. artis Criticæ p. 396.* suppresso licet nomine Calovium suggillat, eumque nunquam emtores inventurum fuisse mordacibus scriptis censet, nisi iis callide integrum opus Grotianum in Scripturam Sacram inseruisset, nimia in Grotium venerationi, vel calumniandi potius libidini, Clerico familiari, acceptum est ferendum. Longe sane honorificentius & pro eo, ac par erat, de hoc Calovii opere Matthæus Polus judicat *Tom. II. Synopses Crit. Biblic. in præfat. ad Lectorem* candidè factus, Calovium multa Psalmorum & aliorum librorum loca, a toto fere orbe Christiano tum veteri tum novo de Christo jure meritoque intellecta, a nonnullis temere in alienum sensum detorta, erudite solideque vindicasse. Sed locum quoque hic sibi vendicant SUMMARIA BIBLICA WÜRTEMBERGENSIA, auspiciis Sereniss. Ducis Würtemberg. Eberhardi III. a gravissimis Theologis, D. Joh. Jac. Heinlino, Abbate Bebenhusano, D. Jerem. Rebstockio, Abbate cœnobii Blaubeyrensis, & D. Joh. Conr. Zellero Superint. Generali & Abbate Bebenhus. in usum publicarum ecclesiæ Würtembergensis prælectionum adornata, & novissime A. 1709. Rev. Facult. Theologicæ Tubingensis accessionibus, novaque præfatione aucta & instructa, cum Lipsiæ VI. voluminibus in 4. nitide recuderentur. Textum quidem ipsum qua concepta verba non sistunt, commoda tamen paraphrasi eum ita eloquuntur, ut sicubi nodus occurrat, perspicue ille & breviter solvatur, sensusque capitum nervose planeque edisseratur. Posthæc cuilibet capitis parti usus adduntur practici, non nudo porismate indicati, sed uberiore declaratione per meditationes, argumenta, exempla & similia deducti, ut Laicorum licet ædificationi destinatus liber sit, haud exiguum tamen concionatoribus quoque utilitatem præstare possit. Eodem fere instituto, sed longe contractiori modo b. D. SALOMON GLASSIUS *Enchiridion S. Scripturæ Practicum* (Bibliisches Handbüchlein) jussu Seren. Ducis Ernesti Gothani concinnavit, quo post b. Joh. Sauberti summaria, ex Vinariensibus Bibliis repetita, cuilibet capiti porismata practica subnectit: opusculum nimia brevitate laborans, & in quo frustra omnino, quod ad textus explicationem faciat, quæres. Quod superest, b. D. MICH. WALTHERO Theologo & Superint. generalissimo Cellensi, in *Harmonia Biblica*, non tam notis textum illustrare, quam ἐναρξιοφανόμενα conciliare & dubia tollere: M. ANDRÆE PRUCKNERO, qui Co-



miti a Castello a Sacris erat, in quinque *Vindiciarum Biblicarum* partibus, textum a corruptelis adversariorum liberare & asserere: b. D. AVGVSTO PFEIFFERO in *dubiis vexatis* diffiilia V. T. loca, tum voces quoque peregrinas, textui Græco Novi Test. immistas, eruere & enodare constitutum fuit. Tandem etiam D. JOHANNIS SAVBERTI Theologi & Antistitis Altorffini *operibus posthumis* editor D. Joh. Fabricius, Theol. Helmstadiensis, selectiorum Scripturæ dictorum explicatio- nes ejusdem inseruit, numero haud adeo multas, varia eruditione refer- tas, novitate tamen haud usquequaque laudabili conspersas.

CAPVT II.

De Veteri Testamento in genere.

Summari-
um capituli.

Librorum Sacrorum in arcam ecclesiasticam repositio, eorumque in loco pu- blico asservatio. Canonis Veteris T. per Esdræ constitutio asseritur §.1. Genebrardi canonis compositio triplex rejicitur. Sententia & argumenta Theologorum Batavor. de hac questione examinantur. Fa- bula de vestitute ab Esdra per miraculum canone refutatur. Esdræ ἀποκάλυψις Bononiense suspectum §.2. Librorum V. T. numerus & ordo §.3. Eorundem distinctio p. Judaica in Legem, Prophetas & Ha- giographa; p. Christiana §.4. Textus Sacri in Sedarim, Parafshas, Haphtaras, Capita & versus distinctio §.5. Divina V. T. autoritas a Manichæorum impugnatione & objectionibus vindicatur, & argu- menti demonstratur §.6. In calculo S. quales anni? mensum in Scri- ptura designatorum explicatio. Anni apud Hebræos initium duplex. Illustriores totius V. T. epochæ vel Periodi §.7. Tabula Synoptica in omnes V. T. libros §.8. Commentarii Rabbinici in totum V. T. R. Salom. Jarchii, Aben Esræ: Aben Melechi: Alscheichii: Abarbene- lis: Dav. Kimchii: R. Levi ben Gersom. Jalkut, ejusque commentator R. Abraham ben Sam. Gedaliah §.9.

§. I.

Canonis V.
T. constitu-
tio.

Augustum non modo Scripturarum auspiciis Deus ipse tabu- larum legis inscriptione fecit, sed & Moses, fidelis Dei servus in tota domo ejus, non sine expresso Domini sui mandato & instinctu (Exod. XVII, 14. XXIV, 4. XXXIV, 27.) ad exarandos libros



libros sacros animum operamque contulit, legisque universæ a se con-
scriptum volumen, Pentateuchi nomine nobis cognitum, Levitis, vel Sa-
cerdotibus potius filiis Levi, juxta Deut. XXXI. 9. tradidit, ad latus arcæ
fœderis reponendum & publice asservandum, Deut. c. l. v. 26. Num in-
tra latus, num extra vel juxta latus arcæ fœderis? porro, num in pecu-
liari ad hos usus destinata arca, an vero in capsula quadam, arcæ fœderis
ad latus annexa, asservatus hic liber legis fuerit, varia & anceps est inter
Hebræorum non modo Magistros, sed & Doctores Christianos discepta-
tio, ex significatione voc. *ספר ברית* c. l. definienda. Late eam pro-
sequuti sunt, allatis, quæ in utramque partem urgeri solent, argumentis &
testimoniis, Buxtorffius in *historia arcæ fœderis cap. III. p. 32. c. V. p. 55.*
Huetius *Demonstr. Evang. Prop. IV. de canone libror. sacr. §. 8.* & D. Joh. Henr.
Majus erudita *de libris Canon. in arca fœderis reconditis* dissertatione, quæ
ejus *de Scriptura S.* dissertationum secunda est, & p. 51. sqq. legitur. No-
stram impræsentiarum hanc litem non facimus, observasse contenti, quod
usus inde invaluerit, ut quoties per Prophetas virosque Θεοφρονέμενους
conscriptus quidam & canoni destinatus esset liber, publica ille autorita-
te in sanctuario asservaretur, ut in casu dubio ad authentica illa exem-
plaria recurrere & provocare liceret. Inde sane canonicos Scripturæ V.
Testamenti libros æstimatos & ab Apocryphis distinctos fuisse, quod illi
in vel juxta arcam fuerint repositi, hi vero ab ea exclusi, ex allegato su-
pra *cap. I. §. 2.* Damasceni loco manifestum est; & multo magis ex ve-
tustiore longe Epiphaniî testimonio, qui *l. de mensuris & ponderibus c. 4.*
p. 162. T. II. opp. de Sapientiæ & Syracidis libris loquens: αὐταὶ χηρί-
μοι μὲν εἰσι, καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν ἢ ἀναφέρονται.
Διὸ δὲ ἐν τῷ Ἀγῶν ἀνετέθησαν, τῷτε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ· ἵνα μὲν
utiles & fructuosi illi sint, in scripturarum numerum nequaquam referri
solent. Unde nec in testamenti arca collocati sunt. Recte in postremis
verbis Petavius interpres infitalem particulam versioni suæ inseruit, &
ad marginem: *negatio forsitan deest*, observavit; quam mendose in Græ-
co deesse, e nostris b. Dorscheus *Theol. Zachar. P. II. p. 79.* e Reformatis
Suicerus *Thesauri Esclæs. I. col. 2. voc. Ἀγῶν.* invicte demonstrarunt. In-
de porro canonici libri ἐν δαδίθετοι γράφαί Patribus audiunt, ut Epipha-
nius, paulo ante citata verba, ait: καὶ ὅτως αἱ ἐκκοσιεπτὰ βιβλοὶ αἱ ῥηταὶ
καὶ ἐν δαδίθετοι, atque ita viginti septem libri germani & canonici sunt: quia
in sacrarium illi & canonem reponebantur: distincti eo nomine ab ἀπο-
κρύφοις, ita dictis, quod arcerentur ἀπὸ τῆς ἀγίας κρύπτης, a crypta illa

C 3

yel



vel capsula sacra, qua reliqui canonici asservabantur. Integer hic ho-
nos libris canonicis constitit, usque dum in Chaldaeam captivus popu-
lus deportaretur. Postquam vero tempore captivitatis Babylonicae sa-
cra omnia misere turbata, ipsumque vastatum & eversum templum esset,
tandem regis Artaxerxis autoritate Esdras cum Duce Zorobabele sub fi-
nem captivitatis Hierosolymas missus est, ut ecclesiam Judaicam omnem-
que cultum divinum, in Chaldaea insigniter depravatum, ad divinae le-
gis regulam restauraret, Esdr. VII, 6. sqq. Qui primam sibi & ultimam sa-
crorum voluminum curam ratus, seu ut *c. l. v. 10.* textus habet, totus oc-
cupatus *לְדַרֵּשׁ אֶת-תּוֹרַת יְהוָה* in inquirenda lege Domini, cum col-
legis ceteris, viris Synagogae magnae, quos inter Haggæum, Zachariam,
Malachiam & Nehemiam numerant Hebraei, codices biblicos undique
collegit, ordinavit, ab heterogeneis, quæ irrepsierant, scriptis segregavit,
& in unum corpus ac Systema, quod *Vetus Testamentum* vocamus, pri-
mus omnium redegit, a quo tempore nullus amplius liber in canonem
Veteris Test. est relatus. Confer huc omnino laudatum sæpius Buxtorf-
fium *Tiberiad. c. X. & XI.* Cum autem in urbis templique vastatione
Chaldaica, arca pariter ac libri Scripturae penes arcam foederis collocati
incendio conflagraverint, quod b. Carpzovius *disput. quonam arca per-
venerit? Cap. II. §. 14. p. 88.* affirmat; vero videtur simile, novam arcam
servandis libris canonicis post reditum fabricatam, & in sanctissimo tem-
pli secundi loco a Synagoga magna collocatam, inque ea compositum
ab Esdra & Synagoga magna canonem asservatum ad Messiae usque tem-
pora fuisse, quibus adhuc, vel Christo ipso iudice, scriptae legis custodes
& depositarii Judæi erant, *ὅτι ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τῆς θεῆς*, ut Paulus
docet Rom. II, 2. Quid? quod hodiernum ejus rei vestigium in Synago-
gis Judæorum deprehendatur, scrinium asservandae legi sacrum, Tertul-
liano *Judaicum armarium* appellatum.

II.

a Genebrar-
do multipli-
cata.

Contra vero ea, quæ dicta sunt, Genebrardus triplicem comminisci-
tur Systematis V. T. constitutionem, a totidem Synodis factam: quarum
primam ad Esdræ tempora annumque O. C. 3610. refert, eamque libros
22. quos Canonicos veneramus, composuisse; secundam tempore Elea-
zari circa annum O. C. 3860. Hierosolymis coactam, Tobiam & Eccle-
siasticum superioribus adjecisse; tertiam circa Johannis Hyrcani tempo-
ra A. O. C. 3950. libros Judith, Tobiae atque alios confirmasse, Maccha-
baicos vero primum canoni intulisse autumat. Omni tamen non modo
anti-



antiquitatis testimonio, sed & similitudine veri in hoc commento adeo destituitur, ut, Riveto iudice, ne apud suos quidem fidem inveniat. Sed de Apocryphorum, quos dicimus, canonica autoritate solliciti Serarius, Guilielm. Bailius Jesuita, aliique Pontificii doctores, geminum ut plurimum canonis compositionem statuunt: Esdrinam alteram, quam & nos admittimus; alteram recentiore, quæ eandem cum ceteris autoritatem Apocryphis conciliarit, in qua tamen demonstranda & evincenda mire æstuant, operamque omnino ludunt. *Inconcussam enim hactenus & tam apud Christianos quam Judeos ἀναμνησθέντος fuit principium, simul & semel Canonem V. T. autoritate prorsus divina constitutum esse ab Esdra & נִסְתָּ גִּרְלָהּ אֲשֶׁר כִּנְסָה viris Synagoga magne recte infert Hottinger. Theol. Philol. lib. I. c. 2. quest. 1. p. 111.* Alio & diverso sub prætextu contra Esdrinam canonis compositionem Clericus insurgit, *Theologorum Batavorum nomine, Simonii adversariorum in sentimens sur l'histoire Critique du Vieux Testament*, fidem sollicitans primo Judæorum, quorum traditione sola hæc sacrorum voluminum in unum Systema collectio Esdræ tempore facta constet, cum tamen nugivendulos esse, rerum domi gestarum ignaros, in fingendis vero & obtrudendis mendaciis audacissimos eos, innumeris probari queat traditionum exemplis; deinde & sanctorum Patrum, qui nimis improvide Rabbinos, cæcos duces, secuti eandem fabulam magno applausu in ecclesiam introduxerint: Sed sit licet sublesta Talmudicorum fides in aliis, hæc tamen de Esdræ circa libros sacros inquirendos studio traditio divina nititur autoritate. Esdr. VII, 10. quam temere in dubium vocare sine profanæ impietatis nota haud licet. Unde nec sancti ecclesiæ Patres eo nomine vapulant, quando ea a Judæis acceperunt, quorum vestigia tam manifesta in sacris literis deprehendebant; quanquam in eo imponi sibi passi sint, ac si corruptas vel deperditas Scripturas Esdras per miraculum restituerit, de quo paulo post. Potissimum in ultimo argumento robur videtur situm, quo Esdræ temporibus Canonem collectum fuisse haud posse colligunt inde, quoniam res Esdra posteriores in Scriptura continentur. Imo & Nehemiam multo plures collegisse libros, quam qui in nostro conspiciantur canone, per 2. Macch. II, 13. Verum, ut prius gratis dicitur, nec dum evictum est; ita ex Macchabaico loco librorum diversorum in Bibliothecam collectio, non vero canonis constitutio conficitur. Quem tandem componendi canonis modum iidem Theologi Batavi p. 216. sq. conjiciunt, privatæ eum priorum hominum industriæ forte deberi, qui, quæ ex majorum suorum

libris

a Clerico in
dubium vo-
cata.

De Vet.
Test. in ge-
nere.

libris superfuerint, conquiſiverint, donec ſequioribus temporibus capita Synagogarum decreverint, ut non tantum libri legis, quemadmodum factum poſt reditum ex captivitate Babylonica fuerit, ſed Prophetarum etiam volumina legerentur; meris iſte conjecturis nititur & eo tendit, ut incerta, dubia & anceps Scripturæ S. autoritas reddatur. Publicam autem, non privatam, canonis compoſitionem fuiſſe oportuit, ſiquidem ut liber aliquis canonicus ſit, non ſufficit, eum eſſe divinitus inſpiratum, ſed hoc inſuper requiritur, ut divinitus ordinatus atque conſecratus, ac traditus ſit eccleſiæ pro regula fidei & morum, ut *cap. præc. §. 2.* jam obſervavimus, fuſiusque deducitur a D. Joh. Henr. Majo *difſert. III. de Scriptura S. cap. 2. §. 5. p. 102.* qua diatribe hanc anonymorum ſententiam, prolataque in medium argumenta ex inſtituto expendit, ſolideque proſtigat. Neque tamen capropter fides adhibenda fabulæ eſt, magno patrum, Irenæi nimirum, Tertulliani, Baſilii, Auguſtini, Theodoreti conſenſu licet receptæ, & libri Apocryphi 4. Eſdr. c. XIV. teſtimonio nixa: Eſdram ſive ſolum, ſive una cum Synagoga magna libros ſacros, urbe a Chaldaïs expugnata, temploque Salomonis in cenſo, igne abſumptos, prorsusque deperditos, divino aſſatu reſtituiſſe univerſos: cum vel maxime etiam in captivitate Babylonica ſcholas, in quibus Moſes & Prophetæ prælegebantur, habuerint Judæi; & poſt Chaldaicam illam templi ruinam, ac ante Eſdram, Daniel in libro Jeremiæ numerum annorum captivitatis Judaicæ ſerutatus fuerit Dan. IX, 1. 2. imo Moſis ſervi Dei v. II. & 13. & Prophetarum v. 6. libros evolverit. Quid? quod ipſe teſtetur Eſdras cap. VI, 18. Judæos reduces factos, etiam ante ſuum in patriam reditum, habuiſſe librum legis, & ex ejus præſcripto cultum & ordinem eccleſiaſticum inſtaurari? Vide poſt alios b. Dorſcheum *Theol. Zach. P. II. Loc. 1. qu. 2. §. 53. p. 81. ſqq.* & qui, quæ ad hanc controverſiam ſpectant, ſumma diligentia & fide congeſſit & diſcuſſit b. D. Dav. Chriſtiani *Diſſp. Anti-Jeuſitic. de Scriptura S. V. tota, p. 193. ſqq.* Eſdræ vero ἀπορύεαθον in civitate Bononienſi, in templo S. Dominici hodiernum aſſervari, nemini facile perſuadebit Finus Adrianus in *ſtagello Judæor. lib. IV. cap. 2.* conſutatus Hottingero *cit. loco queſt. 2. p. 115. ſqq.*

III.

Librorum
numerus.

In prima iſthac, quam modo diximus, canonis V. T. collectione XXIV. numerarunt libros Eſdras & Collegæ: V. Moſaicos & legales; VIII. propheticos, Joſuæ ſcilicet, Judicum, Samuelis, Regum, Jeremiæ, Jeſaiæ, Ezechielis, & Δωδεκα inſon; & XI. Hagiographa, Ruth



Ruth nimirum, Psalmos, Jobum, Proverbia, Coheleth, Canticum, Threnos, Danielelem, Esther, Esdras & Paralipomena. Compendii vero causa & in memoriae subsidium ad XXII. juxta literarum alphabeti Hebraici numerum, ultima eos redegit antiquitas, Rutham libro Judicum, & Threnos prophetiae Jeremiae connumerando, ut ex Josephi *lib. I. contr. Appion.* docet Eusebius *lib. III. Hist. Eccles. cap. 10.* Tandem etiam viginti septem a quibusdam numerati sunt Veteris Testamenti libri, nullis quidem universo codici vel additis vel demtis, sed variata saltem partium computatione, quam multiformem exhibet Buxtorff. *Tiberiadus c. XI. p. 25. sq.* & Sixtus Senensis *Biblioth. S. p. 3-8.* Ceterum libros, quos etiamnum citra contradictionem canonicos veneramus, calculo suo confirmant uniformiter, recensent, & ab Apocryphis distinguunt Athanasius in *Synopsi Scripturae*, quae accuratam librorum Biblicorum recensionem tradit & edit. *Comelin. T. II. Opp. p. 61. sqq.* legitur: Gregorius Nazianzenus *Carmine XXXIII. περὶ τῶν γνησίων βιβλίων τῆς Θεοπνεύστῃ γραφῆς*, edit. *Paris. A. 1630. T. II. p. 98.* Epiphanius *l. de mensuris & ponderibus c. IV. T. II. Opp. p. 161. sq.* Damascenus *L. IV. de orthod. fide c. 18. p. 347.* Hieronymus in *Prologo galeato.* Concilium Laodicense *Can. 60.* ut alios nunc taceamus.

IV.

Hinc porro ortum trahit Judaica librorum Veteris Test. distinctio Eorundem distinctio. in *תורה legem, נביאים Prophetas, & כתובים* quae Epiphanius d. l. convenientissime *γραφήα* reddidit, seu, ut vulgo audiunt, *Hagiographa.* Qui prolixè multumque in ejus explicatione versatur Abarbenel *præfat. Comment. in Josuam*, fundamentum ac rationem distinctionis in diverso revelationis ac influentiæ gradu constituit & modo. Horum enim supremum Judæorum Doctores Mosi assignant, quocum ore ad os, absque visionum & somniorum involucris Deus collocutus sit, Num. XII, 6. 7. 8. proximum prophetis tribuunt, qui sive dormientes, sive vigilantes, omni sensuum ministerio orbat, vel vocem audierint secum loquentem, vel visiones propheticas in *ἐκστάσει* viderint: infimum, quem *רוח הקודש* dicunt, viris *θεοπνεύστοις* concedunt illis, qui integris manentibus sensibus, instar aliorum hominum loquuti sunt, ita tamen, ut, quamquam somniis vel visionibus propheticis non gauderent, facultatem nihilominus divinam super se quiescentem senserint, qua excitante & suggerente verba laudis & confessionis, vel alia divina juxta ac civilia dixerint ac literis mandarint. Ita R. Dav. Kimchi docet *præfat. in Psalmos*.

D

mos,



De Vet.
Test. in ge-
nere.

mos, & Maimonides *Lib. II. More Nevochim c. 45. p. 317. sqq.* Pentateuchum ergo dicunt sublimissimo revelationis genere editum, ideo legem appellari, quia praecepta divina contineat: prophetis libros historicos, Josuæ, Judicum, Samuelis, Regum, porro Jeremiam, Ezechielem, Jesaiam & δωδεκαπρόφητων adnumerant, eo quod horum autores Spiritu prophetiae acti scripserint: reliquos, Ruth nimirum, Psalmos, Jobum, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum Canticor. Threnos, Danielelem, Estheræ, Esdrae & Chronicorum libros כתובים scriptos, scil. ברוך הקדוש appellant, quod autores eorum e prophetarum ordine ac censu non fuerint, per Spiritum S. tamen oracula ediderint. Quanquam vero negandum non sit, vero haud esse absimile, Christi jam in visibili carne inter mortales versantis ætate hanc librorum canonicorum distributionem cognitam, ipsique Christo usurpatam fuisse, cum Luc. XXI V, 27. 44. omnem Scripturam Mose, Prophetis & Psalmis, i. e. hagiographis absolvi; Matth. XXIII, 35. autem Genesin primum, Chronica ultimum in Hebræo codice locum obtinere, haud obscure indicat: eo tamen, quem ex Rabbīnorum traditione allegavimus, sensu nostratium Theologorum merere calculum non potuit. Nec enim Danielis atque Davidis e censu Prophetarum eliminationem; nec historicorum quorundam ab aliis ejusdem generis, v. g. Ruthæ a Judicum, Chronicorum a Regum, Threnorum quoque a Jeremia, Estheræ ab Esdra &c. divulsionem; nec ipsam inter prophetiam ac Spiritum S. distinctionem probant, ut ex Calovii *Critico S. p. 384.* & Fabricii *Partit. Codic. Hebræi c. 5. p. 259.* (edit. Crenian.) & Reformatorum Hoornbeekii *de convincend. Jud. proleg. p. 41. sqq.* atque Heideggeri *Exercitat. Bibl. VII. §. 70. p. 208.* evidenter apparet. Sunt quidem etiam inter Christianos Doctores, qui distinctionem istam ad saniozem reductam sensum non prorsus repudiant, si per prophetas ii solum intelligantur, qui munus propheticum in erudienda regendaque ecclesia situm obibant; hagiographi vero ii sint, qui, licet prophético in ecclesia munere publico non gauderent, ut Reges, Sacerdotes aut similes, peculiari tamen ad exarandos libros sacros illuminatione Spiritus Sancti instructi essent, ut David & Salomon Reges, Daniel purpuratus, Esdras scriba, Jobus & Nehemias principes: tamen ne sic quidem vitio omni partitionem isthanc carere, laudatus D. Calovius docet *T. I. System. Theol. p. 498. sq.* Hinc nostrates potiozem materiæ rationem habentes, in *legales, historicos, doctrinales & propheticos*: vel per τευχολογίαν in *historicos* a Genesi ad Estheram; *poeticos* a Jobo ad Canticum;



cum; & propheticos a Jesaia ad Malachiam, libros sacros dispecere maluerunt. Test. in genere.

V.

Minores textus sacri distinctiones in סדרים *ordines*, quorum hodie fere exolevit usus; ut & majores illæ lectioni in sacris publicis sabbathicæ accommodatæ sectiones, in Pentateucho פרשיות *Paraschæ*, *Paraschas* in Prophetis libris חפטרות *Haphtaræ* dictæ; ad Masorethas referuntur autores. Non sane postremos illos, Talmude recentiores, quod cum Elia Levita contendit Rich. Simonius *Hist. Crit. V. T. L. I. cap. 28. p. 152. 157. sq.* sed primos, Esdram quippe & Collegas, cum jam Christi & Apostolorum temporibus eam obtinuisse, haud obscure colligi posse videatur ex Act. XIII, 15. & XV, 21. Vide Buxtorff. *de Abbreviat. Append. p. 281. sqq.* ubi indice alphabetico Paraschas sistit, earumque ut & Haphtararum originem describit. Longe vero recentior est usitata nobis in פסוקים / quæ & Latino vocabulo קפיטולרי *Capita* apud Hebræos dicuntur, distinctio; quæ vulgo Hugoni Cardinali, cujus *cap. præc. §. 6.* facta est mentio: ab aliis autem Stephano Langthono Archi-Episcopo Cantuariensi, qui circa A. C. 1200. floruit: rursus ab aliis conversis ad Christianismum Judæis, Græcorum τμήματα s. sectiones imitantibus tribuitur, ut erudite & copiose de hoc argumento disputat nunquam satis laudatus Buxtorffius *Concordant. Hebraic. præfat. * & Fabricius Partition. Codicis Hebræi cap. 7. toto p. 263.* Minimas denique Hebræi textus in פסוקים *versus* distinctiones, quas rursus Simonius recentissimum inventum arbitratur, Esdræ nihilominus ceterisque Synagogæ magnæ viris suos pariter debere natales Rabbini credunt. Quanquam horum aliqui, in lege per versus dispecenda, Mosis quoque auctoritatem & traditionem agnoscant, nec adeo certo sibi consent, allegati in utramque sententiam Buxtorffio *Tiberiad. cap. VIII. p. 10. a. & cap. XI. p. 27. a.* & in *de punctorum antiqu. p. 80. sq.* Sane, si arctissimum, qui inter versuum distinctionem & accentuum consecutionem, porro qui inter accentus & puncta vocalia, in accentuum gratiam sæpe immutata, intercedit consideremus nexum, non possumus non ad sacros scriptores ipsos, primamque & Θεόπνευστον librorum biblicorum consignationem, versuum referre distinctionem: nisi punctorum vocalium in dubium vocare antiquitatem literis coævam velimus, a Buxtorffio, b. Wasmutho, aliisque Theologis nostratibus fuscè multumque demonstratam. Hinc & e Pontificiis Julius Bartoloccius *Biblioth. Rabbin. P. IV. p. 186.* copiosus in eo est,



De Vet.

Test. in ge-
nere.

est, ut utramque & in Capita & in versus distinctionem Esdra longe antiquiorem & textui coævam esse doceat, nec alios præter Scriptores sacros agnoscere autores; unde Eliæ Levitæ traditionem, quasi ante Esdræ tempora universa Scriptura unius instar versiculi fuerit, nullis distinctionum notis determinata, exhibilat, atque ex Nehem. VIII, 8. & Talmud. Cod. *Nedarim cap. 4. p. 37. b.* confutat.

VI.

Divina au-
toritas im-
pugnata

Adversus divinam canonicamque antiqui Fœderis auctoritatem jam pridem insurrexerunt *Manichæi*, Vetus omne Testamentum a malo Hebræorum Deo profectum, &, ut ad fidei confirmationem ineptum, ita bonis moribus plane adversum esse, blasphemantes. Cumprimis *Faustus* ille *Manichæus*, contra quem Augustinus XXXIII. libris strenue rem Christianam defendit, illos libros divinos esse negabat, qui 1) Patriarchas & Prophetas, quos atrocissimorum criminum ipsi reos agunt, laudibus vehant & commendent, v. g. Abrahamum ex impatientia prolis, neglecta uxore, ancillæ commistum; eundemque matrimonii sui nundinatorem, qui duobus regibus Abimelecho & Pharaoni, turpis quæstus causa, uxoris copiam fecerit: Lothum incestuosum: Jacobum germanarum sororum & utriusque famularum, quatuor adeo uxorum, maritum: Judam cum nuru Thamare concumbentem: Davidem adulterum & homicidam: Salomonem trecentarum uxorum & septingentarum pellicum vagum concubito rem; Mo sen in Ægypto homicidam, in exitu prædonem, in bellis crudelem, &c. qui 2) varia complectantur præcepta v. g. de circumcissione, sacrificiis, &c. quæ Christianis observare nefas sit: qui 3) terrena duntaxat & temporalia bona, ac hæreditatem ab animæ commodis longe remotam Dei servis promittant; qui 4) & Christum de ligno pendentem, sanctosque martyres simili mortis genere extinctos Deut. XXI, 23. & virgines ac cœlibes Deut. XXV, 7. diris devoveant. Quibus tamen conviciis verius, quam argumentis abunde satisfecit *dictis libris* Augustinus, ad 1) *lib. XXII. c. Faust.* regerens, Abrahami polygamiam non ad libidinem exsatiandam, sed ad maturandum semen benedictum initam, tunc temporis a Deo toleratam fuisse; nec incredulum promissioni divinæ fuisse, cum hæredem ipsi quidem Deus promiserit, sed ex qua femina, non prædixerit; dum vero Saram sororem dixit, tacuisse aliquid veri, non dixisse aliquid falsi, & affirmando sororem, non negasse uxorem; pariter Jacobi Patriarchæ polygamiam prohibitam tunc non fuisse: Mo sen porro Deo jubente & Ægyptum spo-



spoliasse & bella gessisse, nec adeo savientem, sed Domino obedientem se præstitisse; in occidendo vero Ægyptio futura Ægyptiorum cladi propheticæ prælusisse: Lothi vero ut & Judæ incestum, Davidis adulterium & homicidium, Salomonis libidinem & idololatriam, & quæ sanctorum peccata alia sunt, narrari solum, non approbari, & cum legibus divinis iisdem in libris damnentur, non ad imitationem proponi, sed ad cautionem: plane ut Apostolus monet 1. Cor. X, 6. sqq. Ad 2) resp Augustin. *lib. VI. c. Faust. c. 2.* Manichæos omnino nescire, quid intersit inter præcepta vitæ agendæ & præcepta vitæ significandæ. Legem itaque, quæ umbram habuerit futurorum bonorum, adveniente corpore abrogatam utique ex Pauli monito Ebr. X, 1. Col. II, 16. 17. & tamen divinam fuisse, tamdiu quippe observandam, quamdiu sapientissimo visum fuit legislatori. Ad 3) resp. *lib. IV. contra Faust.* in illis temporalibus figuras fuisse futurorum & spiritualium bonorum, quod clarius adhuc Apostolus docet Hebr. XI, 9. 10. 13. sqq. Ad 4) reponit August. *lib. XIV. c. Faust. c. 3.* Christum utique maledictum pro nobis factum, non proprii peccati patratione, sed alieni imputatione, dum nostri criminis poenam in se suscepit, Gal II, 13. 14. Maledictum autem alterum & ad tempus Veteris Test. tantum pertinere, & ad contemtores profanos conjugii spectare, non vero virgines, quas beatas prædicet Esaias LVI, 4. Paulo aliam ingressus viam, eodem tendebat Adimantus itidem Manichæus, *ἐναγίον φανόµενα*, quibus Novo Test. contravenire Vetus apparet, studiose colligens & invicem committens, unde porro divinos esse negabat, qui Evangelicis & Apostolicis scriptis adversentur, libros. Sed & hos retudit furores peculiari *contra Adimantum* libro Augustinus, sententias amice componens, quæ adversa concurrere fronte hæretico videbantur; quæ levia nec magni ponderis, & ubivis obvia, brevitatis studio prætermitto. Ceterum argumenta pleraque, quibus Vet. Testamenti majestatem concutere annisi sunt hæretici, in compendium redegit & pro capto solvit Sixtus Senens. *Bibliotheca S. Lib. VIII. her. 1. p. 779. sqq.* aliquanto fusius ea proponit & examinat Natalis Alexander *Histor. Eccl. Vet. Test. dissert. XI. Tomo II. p. 32. sqq.* Nostram vero fidem circa divinam V. T. auctoritatem, Christi ac Apostolorum firmat autoritas, qui ad Mosis & Prophetarum scripta, tanquam ad divina oracula in dirimendis fidei controversiis, in instruendis rudiorum animis, in formandis moribus vitæ, nunquam non provocarunt, sermonemque propheticum Thaboria revelatione voceque cœlitus delapsa *βεβαιότερον* pronunciant 2. Petr. I, 18. 19. firmat luculentum



De Vet.

Test. in ge-
nere.

λογίων τῶ Θεῷ, scriptis Vet. Test. a Paulo tributum encomium Rom. III, 2. firmat exacta vaticiniorum (maxime circa Messiam in carne manifestandum) tot seculis eventus suos antevertentium adimpletio, ne in minimis quidem circumstantiis spem fidelium frustrata, irrefragabili sane divinitatis testimonio: firmat cum primis divina & insita his libris virtus, qua lecti vel auditi mentem collustrant, 2. Cor. III, 18. coll. 13. sqq. corda penetrant & convertunt, Act. II, 37. coll. 17. 25. 34. & c. VIII, 32. sqq. & de divina veritate ac origine sua, haud secus ac Novi foederis scripta, testimonium perhibent, 1. Joh. V, 6. Taceo miraculorum ibi commemoratorum majestatem atque gloriam; amicam porro Prophetarum cum Mose, totiusque Novi Test. cum Vetere consensionem & harmoniam; fidem quoque, quam ipsa sibi conciliant & facile apud omnes impetrant prophetica monumenta; legum denique ac praeceptorum, quae tradunt, mirabilem sanctitatem ac sapientiam, aliaque, quae Augustinus & ceteri urserunt Patres, divinitatis argumenta.

VII.

Chronolo-
gia.

Antiquissimorum inde a mundi ortu temporum ratio haud obscuris indiciis, primum per τεκνογονίας intervallo, hinc per Abrahami & seminis ejus peregrinationem, demum per imperii Israelitici vicissitudines in Scriptura Veteris Test. adjectis annorum numeris, distinguitur & designatur. Qualem vero annum, Lunæ-Solarem, num Solarem Politicum sacrae literæ describant, non una omnium est sententia. Priorem prisco ævo obtinuisse, credit cum aliis Wilh. Langius, qui *Lib. I. de annis Christi cap. 9.* sententiam suam ita exponit: *Annus Patriarcharum talis fuisse videtur, ut menses a prima phaſi inciperent, si phaſis haberi poterat; sin minus, tum trigesimus primus a priori phaſi dies, primus mensis sequentis esset; annus vero a messe dependeret, quæ si XII. mense expleto nondum matura esset, integer mensis anno adderetur, adeoque tredecim mensium annus esset.* Contra vero ea Josephus Scaliger nulla anni Lunaris vestigia in Scripturis ante reditum ex Babylone extare, vel inde colligit, quod David & Salomon XII. tantum Praefectos militum & annonæ in aulis suis constituerint, quorum singuli unius mensis curam egerint, & universi annum explerint. At si Lunæ-Solaris fuisset vel Lunaris, tredecim constitui oportuisset, quod anni Embolimæ postulasset ratio. Nec alia desunt firmiora Scripturae documenta, quibus, annum Mosaicum mensibus XII. constituisse, liquido conficitur. Itaque hæsitante licet Dionys. Petavio rectius Scaliger, cumque secuti complures, & nostris præcipue D. Behnius *lib. I.*

Manu.



*Manuduct. Chronol. tit. 2. c. 3. & tit. 3. c. 2. & b. D. Ægid. Strauchius Bre-
viar. Chronol. lib. 4. c. 3. qu. 2.* annos solares intelligi, statuunt, quibus hi-
storiam sacram distinguit Spiritus S. & quos stylo Scripturæ **שני ימי**
annos dierum appellat : ita nimirum dispositos, ut e XII. mensibus 30.
dierum constarent, & 5. *ἐπαγομένοις*, duodecimo mensi, qui 35. dierum
fuerit, additis, summamque 365. dierum in universum expleverint; qua-
lem quippe anni formam etiam Ægyptii veteres, ab Hebræis haud dubie
mutuo acceptam, observarunt, ut Diodor. Siculus *lib. I. Bibliothecæ*, in
Thebæorum computo describendo, Herodotus *in Euterpe s. l. 2.* Strabo
lib. 17. alique perhibent profani Scriptorum. Argumentum, quo isthæc
sententia nititur, diluvii historia sat firmum suppeditat. Cœperunt etenim
pluviae die XVII. mensis secundi, Gen. VII, 11. decrevit autem paulisper
aquarum copia post decursum 150. dierum, v. 24. & c. VIII, 3. quorum
ultimum diem XVII. septimi mensis fuisse, e c. VIII, 4. constat. Cum
itaque quinque menses anni antediluviani 150. dies complexi fuerint,
singulos menses triginta diebus æqualiter definitos fuisse, certum est, nec
aliter de reliquis septem mensibus anni habendum. Unde consequitur,
menses ibi commemoratos cum motu Lunæ paria facere non potuisse,
quod lunaris mensis non nisi e 29. diebus 12. horis circiter constet. Ne
vero vaga esset mensium tempestas, intercalatum anno 120. mensem
integrum Scaliger existimat : & hinc esse, ut tot annorum in pœnitentia
tempore antediluvianis determinando Gen. VI, 3. mentionem Deus
fecerit, quod hæc Seculi Patriarchalis notissima quantitas esset. Quan-
quam hunc embolismum, tanquam nulla vel probabili ratione, vel do-
cumento historiæ nixum rejiciat Campegius Vitringa *in hypotyposi Hist.
& Chronol. Sac. p. 6. §. 21.* Licet vero recentior & in hunc diem usitata
anni Hebræi forma Lunaris sit, sed ad Solarem accommodata, cum
mensibus utantur Lunaribus proprie sic dictis, constituta Neomenia se-
cundum *Φάσεις* Lunares : intercalatio tamen mensis decimi tertii
ἐμβολιαίς, **אדר** alter *Adar* dicti, efficit, ut universo annorum calcu-
lo nihil decedat, etiam si singulorum annorum variet forma. Eundem
vero annorum modum formamque Spiritum S. in computo Biblico
ubique servasse, credibile est, & ad chronologiæ S. certitudinem omnino
necessarium, licet in ordinandis constituendisque sacris, post exitum ex
Ægypto, Deo ipso autore quædam intervenerit mutatio. Ceterum
nomina mensium peculiariora an primis temporibus præsto fuerint, fere
dubitatur, cum in historiâ diluvii & alias passim ab ordine solum deno-
minantur.



minentur. Habes mentionem primi mensis Gen. VIII, 13. Exod. XL, 2. 17. secundi Gen. VII, 11. Num. IX, 11. tertii 2. Chron. XV, 10. quarti Jer. LII, 6. quinti Jer. c. l. v. 12. sexti Hagg. I, 1. septimi Gen. VIII, 4. 2. Chron. V, 3. octavi 1. Reg. XII, 32. noni 1. Chron. XXVII, 12. decimi Gen. VIII, 5. undecimi Deut. I, 3. duodecimi 2. Reg. XXV, 27. Sequior tamen ætas suis menses singulos nominibus signavit hoc modo, ut esset

I. <i>Nisan</i> Neh. II, 4. <i>Esth.</i> III, 1. qui & <i>Abib</i> est, Exod. XIII, 4.	-	-	respondens nostro Martio,
II. <i>Jiar</i> , qui & <i>Ziv</i> , 1. Reg. VI, 1. 37.	-	-	Aprili,
III. <i>Sivan</i> <i>Esth.</i> VIII, 9.	-	-	Majo,
IV. <i>Tbamuz</i>	-	-	Junio,
V. <i>Abb</i>	-	-	Julio,
VI. <i>Elul</i> Neh. VI, 16.	-	-	Augusto,
VII. <i>Thisri</i> , qui & <i>Ethanim</i> , 1. Reg. VIII, 2.	-	-	Septembri,
VIII. <i>Marchesvan</i> , qui & <i>Bul</i> , 1. Reg. VI, 38.	-	-	Octobri,
IX. <i>Caslev</i> Neh. I, 1. & Zach. VII, 1.	-	-	Novembri,
X. <i>Thebeth</i> <i>Esth.</i> II, 16.	-	-	Decembri,
XI. <i>Sibeth</i> vel <i>Schebatb</i>	-	-	Januario,
XII. <i>Adar</i> <i>Esth.</i> III, 7. 13.	-	-	Februario.

Ut ut vero ante Ægyptiacam servitutem Patriarchæ annum a mense *Thisri* & autumnali cardine forte inciperent; posito scilicet, quod mundi creatio in autumnum incidens, eam tempestatem anni primi auspiciem reddiderit; postea tamen ex Dei ipsius jussu Exod. XII, 2. anni auspiciem a vere capiebant Judæi, ita ut mensis *Abib*, qui septimus hactenus fuerat, deinceps primus totius anni constitutus sit; quod *Usserius* observat *Annal. Vet. Test. I. p. 21.* & *Johannes Lightfoot in Spicilegio in Exod. Sect. XVII. T. I. Opp. p. 171.* qui præterea æquitatem legis de mutato & in tempus vernum rejecto anni principio in eo consistere credit, quod annuntiatio Evangelii per Johannis baptismum principium suum, redemptio autem humani generis consummationem ab illo anni tempore esset habitura. Quidam ergo, annum Judæis duplicem fuisse, inde colligunt: *Politicum* a mense *Thisri* incipientem, in nundinationibus rebusque politicis observatum; & *ecclesiasticum*, qui mense *Nisan* cœperit,

rit, juxta quem festivitates celebratae sint. Ita sane Joannes Seldenus, *Test. in peritissimus antiquitatis Judaicae interpres, in dissertat. de anno Civili & genere. Calendario Veteris ecclesiae s. Reipubl. Judaicae cap. 1. p. 4.* statuit: *Anni initium aliud erat, quo Fistorum recurrentium atque id genus aliorum aliquot ratio habita, aliud quo Jubilai ac anni Sabbathici inchoandi. Prius in Vere statuebatur, seu sub initium Abib, seu in Nisan, quod per tempus vernum vagari solebat, & τὸ ἔτος ἀρχὴν seu anni initium etiam a Fl. Josepho (Orig. Judaic. lib. I. c. 4. & lib. 3. c. 10. & alibi) nuncupatur, uti quidem & Philoni (lib. 3. de vita Moysi) posterius in Autumno s. Tisri mense, qui a Nisan septimus est.* Non tamen desunt, quibus haec initii annorum Judaicorum duplicatio improbat, firmo quippe Scripturae vel antiquitatis documento destituta. Gemina quidem in Scripturis anni revolutio occurrit, quarum altera sub æquinoctium vernale constituitur, 2. Chron. XXIV, 33. quo tempore in expeditionem proficiscuntur reges, 2. Sam. XI, 1. id est, juxta R. Dav. Kimchi בער היום *tempore veris*; altera in festum collectionis frugum conjicitur, Exod. XXXIV, 22. quod in autumnum incidebat, Lev. XXIII, 39. dudum vero observavit Scaliger *prolegom. ad Canones Chronologiae Isagogicos* * 2. sq. תשריב השנה *reversionem anni*, vel quod idem est תשריב השנה *revolutionem anni*, non præcise anni finem vel initium, sed τροπὰς ἐνιαυτῶν, quas Græci appellarunt, notare. Quod ad *Æram tandem seu Epocham* attinet, qua in putandis temporum intervallis Veteris Test. usi fuerint fideles, probabile videtur, primorum seculorum simplicitatem vix aliam, quam orbis conditi epocham admisisse, cum ab Historico Sacro non ad certum æræ aliqujus annum res gestæ alligentur, sed secundum Patriarcharum ætatem omnia disponantur, secundum quam mundi atas tum putabatur: donec Abrahami forte succederet, eamque Israelitarum ex Ægypto vindicatorum, & hanc conditi, ac demum ex ruinis restaurati templi exciperet epocha. Ceterum præstantissimis Chronologis, Torniello, Petavio, Usserio, aliisque commodissimum visum est, universum temporis tractum, quo Vetus Testam. circumscribitur, ad illustriores quasdam periodos vel Epochas aut sex, aut septem revocare, ad hunc fere modum, ut

E

I. sit



- I. fit a mundo condito usque ad diluvium - annorum 1656.
Gen. V, 3. sq. VII, 6.
- II. a restaurato mundo usque ad Abrahæ ex
Ur Chaldæorum vocationem - - - 427.
Gen. XI, 12. sqq. XII, 4.
- III. ab ἐπαγγελίᾳ Abrahæ de semine benedicto
data, usque ad Israelis exitum ex Ægypto - - 430.
Exod. XII, 40. Gal. III, 17.
- IV. ab exitu ad jacta fundamenta templi
Salomonici - - - - 480.
1. Reg. VI, 1.
- V. ab exstructo primo usque ad libertatem
exstruendi secundi templi - - - 476.
- VI. a reditu ex Babel usque ad natum Christum - - 531.

Ex quibus ab O. C. ad natum
Christum annorum summa
conficitur - - - 4000.

Singularum Periodorum rationes una cum dubiis, quæ seriem summam-
que temporum turbare videntur, infra examinabimus suis locis.

VIII.

Tabula
Synoptica.

Supereff ut in memoriæ beneficium universam librorum Veteris,
Testamenti structuram tabula Synoptica delineatam exhibeamus, quam
damus sequentem:

Univerfum Vetus Testamentum complectitur libros

I. Historicos, exhibentes res gestas ecclesiæ

α) Patriarchalis, in *Genesi* capp. 50.

β) Israeliticæ, & quidem

(1) sub Theocratia s. imperio divino, ministris imperii

a. Mose, in *Exodo* capp. 40. *Levitico* capp. 27.

Numeris capp. 36. *Deuteronomio* capp. 34.

b. Josua, in libro *Josue* capp. 24.

c. Judicibus, in libro *Judicum* capp. 21. &

Ruth capp. 4.

(2) sub Monarchia s. imperio regio,

in libb. 1. *Samuel*. capp. 31. 2. *Samuel*. capp. 24.

1. *Regum* capp. 22. 2. *Regum* capp. 25.

1. *Chronicor*. capp. 29. 2. *Chronic.* capp. 36.

(3) sub

- (3) sub ἀναρχία s. in captivitate Babylonica, in lib. in genere.
Esther capp. 10.
 (4) sub ἀριστοκρατία s. imperio procerum,
 Præsides Esdra, in lib. *Esdra* capp. 10.
 - - Nehemia, in lib. *Nehemia* capp. 13.

II. Poëticos, quorum

- a) tragicus, liber *Jobi* capp. 42.
 β) eucharisticus, lib. *Psalmodum*, qui 150.
 γ) morales, *Proverbia* capp. 31. *Cobelerb* capp. 12.
 δ) mysticus, *Canticum Canticorum* capp. 8.

III. Propheticos, tradentes vaticinia

- a) mole majora, ut *Jesaja* capp. 66. *Jeremia* capp. 52. cujus
 & *Threni* c. 5. *Ezechiel* capp. 48. *Daniel* capp. 12.
 β) mole minora, ut *Hosea* capp. 14. *Joëlis* capp. 3. *Amosi*
capp. 9.
Obadiah capp. 1. *Jona* capp. 4. *Miche*
capp. 7.
Nabum capp. 3. *Habacuc* capp. 3. *Zephania*
capp. 3.
Haggai capp. 2. *Zacharia* capp. 12. *Malachia*
capp. 4.

IX.

Qui universum Vetus Testam. seorsim explicaverint Commenta- Commem-
 tores, præter eos, quos supra laudavimus, nunc non succurrunt, nisi Rab- tadores
 bini, quorum tamen perpauci omnes & singulos V. T. libros illustrarunt.
 Hos inter ex Judæorum sententia palmam ceteris præripuit רש"י *Raschi*
 h. e. רבי שלמה ירחי R. SALOMO JARCHI, vel ut aliis re-
 stius audit רבי שלמה יצחקי *Rabbi Salomo Isaaci*. Vide Abarbanel
Comment. ad Zephani. III. fol. 276. col. 2. R. Leon de Modene *de ceremonies*
parmi les Juifs preface * * 10. a. & p. 52. Joh. Mollerum in *Homonymosco-*
pia p. 247. & Breithaupt *prefat. in Jaribii Comment. in Pentateuch. a.*
 Commentariis in omnes V. T. libros & maximam Talmudis partem
 scriptis tantam nominis apud suos celebritatem nactus est, ut sapientibus
 sequentis ævi communiter מפרש הדת id est מפרש *interpret*
legis dicatur. Talmudicis tamen interpretationibus & fabulis nimium
 addictus, concisoque & perobsuro stylo gaudens, ænigmata sæpius, quam
 illustrationes in medium profert. Fato functus est A. C. 1105. MSCrum



commentariorum R. Salomonis volumen elegantissimum, quod Joseph Scaliger Bibliothecæ Leidenf Academicæ legavit, commendat Buxtorff. *Biblioth. Rabb* p. 295. Succedit רבי אבן עזרא R. ABRAHAM ABEN ESRA, stylo eleganti, sed ad Philosophicum dicendi genus attemperato, Scripturæ libros omnes satis dextre & erudite exponens, ut solus החכם *Sapiens ille* κατ' ἐξοχήν dici meruerit. Imo, ex Richardi Simonii sententia, vix alium inter Judæos interpretes deprehendas, qui majori cum judicio sensum literalem Scripturæ explicaverit Aben Esra *Hist. Crit. V. T. L. 3. c. 5. p. 374*. Multis tamen in locis valde depravatos esse commentarios ejus, conqueritur Hottinger. *Biblioth. Orient. p. 2*. Porro רבי שלמה אבן מלך R. SALOMO ABEN MELECH Hispanus in universa quoque Biblia commentatus est, inscriptionem notis suis ex Ps. L, 2. mutuatus, מכלל יופי *Michlal Jophi* eas appellans. Sensum literalem ad Grammaticæ ductum eruere, vocumque propriam & accuratam explicationem suppeditare, brevitati simul studens, allaboravit. Magnæ quoque inter suos autoritatis est משה אלשיך R. MOSES ALSCHKEICH, circa finem Sec. XVI. clarus & commentariis in universa Biblia (ut vult Buxtorff. *Biblioth. Rabbin. p. 400.*) de sacris literis meritus. Speciosis cumprimis titulis commentarios suos ornavit: תורת משה *Legem Moysi* ex Jos. VII, 31. commentar. in Pentateuchum & Prophetas priores inscribens: מראות הצובאות *specula militantium* ex Exod. XXXVIII, 8. comment. in Prophetas posteriores: עיני משה *Oculi Moysi* in Ruth: רוממות אל *Exaltationes Dei* ex Ps. 149, 6. in Psalmos: רב הפינינים *Multitudo margaritarum* ex Prov. XX, 15. in Proverbia: דברים טובים *verba bona* ex Zach. I, 13. in Ecclesiasten: חלקת מחוקק *Portio legislatoris* ex Deut. XXXIII, 21. in Jobum, & sic porro. Cumprimis etiam דון יצחק דון אברבנאל DON ISAAC ABARBANEL Lusitanus, A. C. 1437. natus, copiosos in Pentateuchum, Prophetas priores & posteriores, in Daniele & alios Scripturæ libros conscripsit commentarios, Christianis haud omnino absque fructu consulendos. Insigni eum elogio b. D. Pfeiffer. ornat in præfat. Commentario Abarb. in Prophetas priores Lipsiæ A. 1686. excuso præmissa: inter Commentatores Ebraeorum, inquit, si subtilitatem ingenii, dexteritatem judicii, εὐμεθοδίαν, πολυμαθειαν, & παρδιουμειαν spectes, facile eminet Don Isaac Abarbenel, Hispanus, qui ante duo propemodum secula floruit & A. C. 1509. mortuus est, imo, quod alias de Maimonide Scaliger olim dixit, idem nos in alio scriptoris genere de Abar-

Abarbenele asseverare nulli dubitamus, quod scilicet inter interpretes diffu-
siores ferme unus nugari desierit. Secus autem de ipso sentit Julius Bar-
 toloccius *Bibliotheca Rabbin. P. III. p. 875.* scribens: *fuit vir perspicui,*
sed pessimi ingenii: in labore studiorum infatigabilis, jejunii patientissimus,
vigiliis adsuetus, ita ut insomnes noctes studii gratia traheret. *Scriptura-*
rum vero sacrarum diligens, sed plerumque mendax explanator, & ita fa-
cilis in scribendo, ut intra paucos dies nonnullos Sacra Scriptura libros ex-
plicari & ediderit. Celebre etiam inter Judæos nomen est *ר' דוד קמחי*
 R. DAVID KIMCHI (qui circa A. C. 1190. floruit) adeo, ut in illum
 quadrare dicant, quod in *Perke Avoth cap. 3. §. 17.* asseritur: *אם אין*
קמח אין תורה *Si non est farina, neque est lex,* quo ad ipsius nomen
 alludunt: unde porro jactant: *אין קמח בלי קמחי* *Non esse fari-*
nam sine molitore, ac si dicerent: non est doctrina sine doctore Kimchio.
 Scripturæ libros omnes, præter Legem ac Megilloth, de quibus dubita-
 tur, planis, perspicuis, & in explicanda litera operosis commentariis illu-
 stravit, & ad grammaticæ regulas sermonis sacri structuram diligenter
 examinavit. Patre natus est R. Josepho Kimchio, erudito pariter Scrip-
 turæ interprete, cujus expositiones filius frequenter in commentariis suis
 biblicis allegat. In omnes quoque Scripturæ libros commentarios com-
 posuisse dicitur *ר' לוי בן גרשון* R. LEVI BEN GERSOM Hi-
 spanus, circa A. C. 1290. clarus; cujus tamen libros erroribus scatere, ma-
 xime cum fidei sacræ historiæ V. T. detrahat, & ad somnia ac visiones
 omnia reducat, Bartoloccius observavit *P. I. Bibl. Rabb. p. 661. a. & P. IV.*
p. 6. b. Cum primis concionatoribus Judæorum perchara & utilis est ma-
 gna illa in universam Scripturam commentariorum collectio, quæ *ירקוט*
Pera Rabbinica inscribitur, & R. SIMEONI concionatori Francofurtens-
 is Synagogæ accepta fertur, qui inde *ראש הדורשנים* *concionatorum*
princeps audit. Is ex variis antiquissimis libris, Siphra, Siphre, Mechilta,
 Rabbos, Tanchuma, Talmud & Hagada sententias Darschanim s. concio-
 natorum in Scripturam collegit, eamque non quidem ad literalem, sed
 allegoricum sensum perpetua velut catena duobus voluminibus ita ex-
 plicavit, ut Parte I. expositionem diversorum Rabbiorum in Pentateu-
 chum, II. in reliquos sacros libros exhiberet. Buxtorff. *Biblioth. Rabb. p. 350.*
 Bartolocc. *Bibl. Rabb. IV. p. 409. sq. & p. 28. b.* In hanc *Peram* primus *פירוש*
commentarium amplissimum *ברית אברהם* *fœdus Abrahæ* ex Gen. XV,
 18. inscriptum struxit *ר' אברהם בן שמואל גרליה* R. ABRAHAM
 BEN SAMVELIS GEDALIAH, inquilinus Jerosolymitanus, una
 cum textu *ירקוט* duobus tomis in fol. A. 1650. Liburni editum, de quo
 c. l. Bartol. *P. I. p. 52. sq.*



CAPVT III.
De Pentateucho five Lege Mosaica.Summari-
um capitis.

*Pentateuchi appellatio evolvitur; Paulo tamen 1. Cor. XIV, 19. non indig-
tata §. 1. Mosen Pentateuchum exarasse, negatur Hobbesio: Spinoza:
Simonio: Theologis Batavis Simonii adversariis §. 2. affirmatur autem
& evincitur §. 3. Mosen & Mosaica contemptim a Luthero haberi, nega-
tur §. 4. Descriptio & chronologia Mosis §. 5. qui alios, præter Penta-
teuchum, extantes hodie libros, consignasse negatur §. 6. Exarati per
partes Pentateuchi ordo: & in V. libros distributio §. 7. Ejusdem ar-
gumentum & scopus §. 8. Mosis in scribendo Pentateucho consilium, ex
mente Clerici §. 9. examinatur §. 10. Commentatores Patres: Hebrai:
Lutherani: Pontificii: Reformati: Remonstrantes §. 11.*

§. I.

Appellatio.

Mosaicorum librorum complexus Hebrais חֲמִשָּׁה הַקְּטוּבִים תּוֹרָה vel concisus חֲמִשָּׁה חֻמְשֵׁים quinque quinquen-
niores Legis, a librorum scilicet numero, quorum quilibet חֻמֵּשׁ f. quinta pars audit, appellatur: cui Græcum πεντά-
τευχον vel ἡ πεντάτευχος scil. βιβλος liber quinque voluminum exacte
respondet. Dubium vero haud immerito interpretibus videtur, ad hanc
nomenclaturam suis πέντε λόγοις 1. Cor. XIV, 19. an respexerit Paulus,
quod quidem Hieronymus vult in ad Paulinum epistola: Huc usque Moy-
ses, inquit, huc usque Pentateuchus, quibus quinque verbis loqui se velle
Apostolus in ecclesia gloriatur. Ceterum universus Pentateuchus Hebrais
communiter תּוֹרָה Legis nomine venit, quia ecclesiastica & politica
statuta Israelitis a Deo præscripta complectitur.

II.

Scriptor
impugna-
tus,

Scriptorem Pentateuchi Mosen fuisse, cum Judaica pariter ac Chri-
stiana, unanimi tot seculorum consensu, crediderit antiquitas, non defue-
re tamen, qui in dubium vocare sunt ausi. Et Thomas quidem Hobbes-
ius Leviathan. P. III. cap. 33. Mosis libros non ab autore, sed ab obje-
cto sic dictos contendit, non quod a Mose conscripti sint, sed quod de
Mose agant; quamvis largiatur, fieri posse, ut ea scripserit, quæ his libris
ab eo scripta esse varrantur, nimirum librum legis, qui uti videtur, conti-
netur cap. XI. Deuteron. usque ad Cap. XXVII. Hæc asseruisse satis ipsi est,
cum argumenta, quibus thesin suam confirmet, nulla proferat, paucis iis

CK-



exceptis, quæ a Peyrerio mutuatus est. *Isaacus* enim *Peyrerius*, celebris ille infaustæ prolis *Præ-Adamitarum* parens, *Mosē* *Judæorum* quidem composuisse fastos satis operosos existimat, tum etiam rerum omnium *genesin* ante *Adamum* conditum iis præmisisse: at *Mosaica* intercidiſſe autographa, & qui *Mosē* secuti sunt apographorum concinnatores, breviores multo creationis universæ & primorum *Judæorum* apices tetigisse, hinc *Mosaicorum* non nisi excerpta quædam & schelialmata tumultuaria superesse; *System. Præ-Adam. Lib. IV. cap. 1. p. 173. & cap. 2. p. 182.* His nequior *Benedictus Spinoſa* in tractatu *historico-Politico cap. 8. p. 103.* ætatem libris *Mosaicis* ultra *Esdram* concedit nullam, quippe quem primum omnes, quos in sacro codiceprehendimus, libros *historicos*, res ante *Esdra* ætatem geſtas enarrantes, contexuisse suspicatur. Et primo quidem loco *Deuteronomium* consignasse, dein vero ad integram *Hebrææ* gentis *historiam*, ab orbe condito ad summam urbis vastationem, ſtruendam animum applicuisse, cui ſuo loco *Deuteronomium* inferuerit. Neque tamen manum operi ultimam imponere potuisse, morte intempeſtiva fortassis præpeditum *Esdram, cap. 9.* contendit: hinc iſtos ejus commentarios non nisi mancos, mutilos, multisque mendis fœdatos ad nos transmiſſos eſſe, ſic ut de priſca *historia* nihil habeatur hodie integrum, nihil quod non multa correptione egeat. Dudum quidem *Aben Eſſiam*, quem ut liberioris ingenii virum & non minoris eruditionis commendat, hoc præjudicium, ac ſi *Pentateuchi* ſcriptor *Mosēs* fuerit, animadvertiſſe, neque tamen auſum fuiſſe, mentem ſuam aperte explicare, ſed rem obſcurioribus tantum verbis, præ *Phariſæorum* metu, qui hæreticum eum habuerint, qui aliud viſus ſit ſentire, indicaſſe, dum ad *Deut. I. 1.* ad verba illa: בעבר הירדן וגו' ואם בבעבר הירדן וכו' ita commentatur: תבין סוד השנים עשר גם ויכתב משה והכנעני אז בארץ בחר מוֹדו intelligas *mysterium duodecim: etiam & ſcripſit Moſes legem: & Kenahanita tunc erat in terra: in Dei monte revelabitur: tum etiam lectum ſuum lectum ferreum, tum cognosces veritatem.* Unde ſex argumenta exſculpit *Spinoſa* contra præjudicium, quod vocat, *Mosaicæ* ſcriptionis, quæ ſuis locis infra videbimus. Demum haud ita pridem *Richardus Simonius Gallus*, *Presbyter* congregationis *Oratoriæ Hiſt. Crit. V. T. Lib. I. cap. 2.* jam inde a *Mosē* temporibus ſcribas fingit ſive *Actuarios* quosdam publicos, ab ipſo *Mosē* in *Hebraicæ Reipubl.* initio conſtitutos, ſecundum laudabilem, quem in aula *Pharaonis* degens deprehenderat, *Ægyptiorum*

cetero-



ceterorumque Orientalium imperiorum morem. Nec enim, Josepho *lib. 2. contra Appion.* & Eusebio testibus, cuius inter Judæos fas fuisse annales scribere, sed solis Prophetis, qui futura & longe dissita cœlesti Spiritu providebant. Hos autem scribas, publica autoritate munitos, quanta poterant diligentia ac fide, acta reipublicæ literis consignasse, ex quorum prolixis commentariis deinceps, occasione ita ferente, compilata sint, quæ nunc habemus, scripta sacra. Id licet neutiquam a Mose, sed variis diverso tempore factum sit; Pentateuchum tamen a Mose scriptum dici posse, quia Mosis imperio scribæ historiam consignaverint. Nam & Mosen scripsisse dici, quæ tamen non sua ille sponte, sed Dei iussu scripserit: & Deum Gen. III, 21. Adamo & Evæ ex pellibus vestimenta fecisse, & iis utrumque induisse dici, quas Deo iubente iidem sibi fecerint & circumposuerint. Interim cum varii compilationis hujus fuerint autores, qui singuli suum habebant institutum; hinc contigisse autumat *cap. 5.* quod historiæ aliquando male junctæ sint, & repetitiones crebræ atque ociosæ occurrant. Accessisse præterea & hanc calamitatem, quod, cum voluminibus vel foliis singulis sua inscripserint veteres, quorum partes singulæ nullo aut glutine aut consutione junctæ, circa cylindros volutæ, atque ubi usus erat, evolutæ fuerint, evenerit, ut turbatis permistisque foliis neque suo loco repositis, pericoparum etiam ordo mire aliquando & misere turbatus sit. Si quid ergo Mosis attribuendum sit de Pentateucho, sola legum scriptio ei, ut legislatori, competet: reliqua prisca mundi & populi Israelitici historia, nescio quibus quorum scribarum commentariis, variis certe & parum judiciosi accepta ferenda; eaque turbatis voluminum partibus ita turbata & confusa, ut nisi medica divæ Critices manus accesserit, vix ulla Deo digna sapientia in libris istis inveniatur. Tantos errorum cumulos dum castigare gestit Anonymus tractatus Gallici autor, cui titulum fecit: *Sentimens de quelques Theologiens de Hollande sur l'histoire Critique du Vieux Testament, composée par le P. Richard Simon: à Amsterdam 1685.* novum in lucem portentum edidit, meris, quod ipse fatetur, conjecturis nixum. Sacerdotem nimirum Israeliticum, a Rege Assyrio e Babylonia in terram sanctam missum, ut novos gentilesque Palæstinæ incolas ritum, quo regionis istius Deus amabat coli, edoceret, 2. Reg. XVII, 24-28. sive solum sive adjutum ab aliis, historiam de mundo unius Dei virtute condito, & epitomen historiæ Judaicæ legisque populo latæ recensione composuisse, persuasum habet; ut rudes scilicet populos illos ab
insana

insana πολυθείας opinione abduceret, Deumque non nisi unum esse, quem Israelitæ adorent, doceret. Annum, quo hæc gesta sunt, determinare arbitratur difficile, nisi quod post XVIII. regni Josiæ contigisse videantur. Ceterum sententiæ suæ explosum subternit errorem, moderno Samaritano charactere, qui priscis Judæis patrius fuerit & vernaculus, Pentateuchum primitus fuisse exaratum. Ridiculam istam, dum sub censuram vocat, acriterque perstringit conjecturam Hermannus Witsius Theologus Lugduno-Batavus, *Miscellan. Sacr. Lib. I. cap. 14. § 7.* eandemque ut & totum foetum ad Johannem Clericum parentem refert, graviter ipsum §. 23. & 30. hoc nomine compellat, errorisque profani postulat. Cujus Clericum annis sequentibus puduisse, ex *dissertatione tertia Commentario in Genesin A. 1693. præmissa* satis apparet, in qua id sibi datum negotii existimat, ut Mosén universi Pentateuchi autorem esse probet, allatisque rationibus confirmet, & quæ in contrarium afferri solent argumenta, diluat: quanquam quod ad Genesin attinet, resque ante Mosén natum vel adultum gestas, eas ex omni ævi Patriarcharum scriptis, quibus a prima mundi origine ætatis suæ gesta memoriæ prodiderant, compilasse & cum seculi sui historia conjunxisse Mosén perhibeat. Θεοπνευσίαν quippe ita sollicitat: Nusquam sibi hæc a Deo patefacta dicit (Moses,) neque, quanquam fieri potuit, quisquam, Mosén tacente, pro comperto affirmare sustineat; præter Rabbinos, quos nunquam mentiri puduit & quos proinde non moramur. Verisimilius est, Patriarchas vetustiores scriptis ea consignasse & posteris etiam commendata reliquisse; quo factum sit, ut, cum in Mosén manus pervenissent, ea describere & cum ætatis suæ historia connectere aggressus sit. §. 1. Ita sane Clerico Pauli assertum, quo πᾶσαν γραφὴν θεόπνευστον 2. Tim. III, 16. pronunciat, & Mosaicam Scripturam haud dubie complectitur, Rabbiorum mendaciis accensendum erit, quæ proinde non moramur; nec in ἀγίων θεῶν ἀνθρώπων numerum censumque referendus Mosés erit, quos Petrus in scribendo ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερομένους, a Spiritu Sancto actos, 2. Ep. I, 21. affirmat, quia nusquam sibi a Deo patefacta dicit Mosés, quæ ante se gesta literis consignavit: & humana tandem, atque ab erroris & lapsus periculo haud immunia Mosaica scripta erunt, quæ, quam profane & ἀθεολόγως ab homine, qui interpretem Scripturæ agere gestit, proferantur, quis non videt?

III.

Alia vero omnia Sacra pagina docet. Mosén enim leges consignasse literis, divinitus jussum, ex Exod. XXIV, 4. 7. XXXIV, 27. & Deut. XXXI, 24. 25.



24. 25. 26. ad oculum patet: prophetias pariter, (quarum pericopa quædam, ut Mosaica Nehem. I, 8. 9. laudatur) ex Deut. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. hujusque v. 19. 22. cum primis clarum est: nec non historica, quod ex consignatione belli Amalekitici Exod. XVII, 27. maxime vero ex itineris Israelitarum per deserti delineatione Num. XXXIII, 2. archissimoque historiarum & pacti cum Israele initi nexu constat. Quid? quod liber legis Mosaicæ (non sane Deuteronomium, sed Pentateuchus integer, qui תורה vocari consuevit) ab Hilchia Pontifice tempore Josiæ in templo repertus ספר תורת יהוה ביד משה *liber legis Domini per manum Moysi* scil. נכתב *scriptus*, dicatur, ut ita ex plurium etiam Interpretum mente autographum Moysi indigetetur? Sic Moysen de se scripsisse, aperte testatur Christus Joh. V, 46. 47. libris procul dubio illis, qui ad hunc diem perspicua de Messia testimonia perhibent, qualia Gen. III, 15. XLIX, 10. sqq. Num. XXIV, 17. sqq. Deut. XVIII, 15. sqq. & passim in modernis Mosaicis leges. Idem Salvator Luc. XXIV, 44. Lucas c. I. v. 27. Philippus Joh. I, 46. testantur. Et sigillatim quidem *Exodum* Moysi auctori vendicat Salvator Marc. XII, 26. sententiam allegans ex Exod. III, 6. *Leviticum* Paulus Rom. X, 5. citans Lev. XVIII, 5. *Numeros* idem Apostolus Ebr. III, 2. citans Num. XII, 7. *Deuteronomium*, approbante tamen Christo, Sadducæi Marc. XII, 19. citantes verba ex Deut. XXV, 5. 6. *Genesis* quoque haud obscure Moysi tribuit Jacobus Apostolus, gentibus conversis Act. XV, 20. sq. sanguine abstinendum ideo censens, quia Moyses omnibus gentibus sanguinis esu interdicens Gen. IX, 4. singulis Sabbathis legatur in Synagogis. Hinc est, quod universus Pentateuchus Moyses dicatur Luc. XVI, 29. Act. XV, 21. 2. Cor. II, 14. 15. ea sane ratione, qua liber quilibet vulgo auctoris sui nomine venit. Quod superest, argumenta, quæ ab adversariis in aciem produci solent, solide discussa reperies a Pet. Dan. Huetio *Demonstr. Evang. Prop. IV. cap. 14.* Guilielmo Saldeno *Otiorum Theologic. Lib. I. Exerc. 2. p. 19. sqq.* Heideggero *Exerc. Bibl. IIX. IX & X.* Peyrerium, præter nominatos, data opera confutavit Sam. Marelius *præfat. Apolog. pro c. d. v. t. i. c. Scripturæ p. 28. 36.* & Joh. Pythius in *Respons. exetastica ad tract. de Præadamitis cap. 1.* Clerico, quoad Theologorum Batavorum personam sustinet, ex instituto se opposuit Witsius *c. I. p. 121. sqq.* & e nostris Vir Clar. Sebast. Edzardi *pecul. disput. Utrum Pentateuchus a Samaritano Sacerdote sit conscriptus?* Quæ omnia huc repetere & aliorum expilare scrinia, nostri non est instituti; ne tamen partibus nostris defuisse omnino videamur, ad Mosaicos libros singulos, quæ in ipsorum præjudicium & contumeliam ex ipsis excerpta detorqueantur, diluere & enodare conabimur.



IV.

Mirari hic subit impudentissimam Papistarum calumniam, qua b. Lutherum onerant. Hunc etenim Jodocus Coccius *tom. I. Thesauri lib. VI. art. 5.* hæreticis illis accensere non erubescit, *qui Mosē & Mosaicā scripta summæ autoritatis esse negant.* Quocum Leonh. Marius facit, in *Proleg. Comment. in Pentateuchum Sect. 3. n. 32. Mosē a Luthero impudenter tractari criminatus.* Hos calumniando superat Schererus *Dom. 18. post. Trin. Conc. 4. p. 632.* Luthero affingens, quod Mosē hæreticorum pessimum, damnatum & anathematizatum hominem, Pontifice & ipso Diabolo nequiorem dixerit, aliaque, quæ in Lutheri scriptis frustra quæres. Quamquam vero largiamur, Lutherum, ubi cum tentatis de exagitatione & condemnatione legis Mosaicæ loquitur, Mosē audiendum negasse, & Evangelicis potius consolationibus Christoque Mediatori locum dandum asseruisse; licet quoque demus, Lutherum rigorem legis Mosaicæ in redarguendis, accusandis, urgendis hominum conscientis mirifice exaggerasse, eique suavissimas Evangelii consolationes, nunquam satis commendatas, opposuisse: nullibi tamen conviciis Mosē insectari aut proscindere Lutherum deprehendes. Hostem Christi dixit Mosē *Colloqu. Mensal. cap. 11. fol. 157.* verum non in calumniam personæ, sed ad exclusionem doctrinæ Mosaicæ legalis a negotio justificationis & salutis nostræ, in quo utramque paginam Christus facit fide apprehensus, exclusis omnibus legis operibus, juxta Gal. V, 4. Singula vero Lutheri loca, quibus colorem criminationibus suis conciliare adversarii conantur, ex Megalandri mente explicarunt & a detorsionibus vindicant b. Gerhardus *Lib. II. Spec. Confessionis Cathol. Artic. I. Append. 2. p. 323.* & b. D. Joh. Müllerus *Lutheri defensi cap. XI. §. 152. sqq. p. 310.*

V.

Natales ipse suos Mosēs exposuit Exod. VI, 16. 18. 20. ex Jacobi quippe profapia, patre Amramo & matre Jochebeda, avo Kahatho, proavo Levi Patriarcha oriundus. Conf. I. Chron. VII, 1. 2. 3. Quæ vero circa matrem Mosi Jochebedam ex Exod. VI, 19. & II, 1. dubia moventur: 1) an ætate jam nimium provec̃ta Mosē, præter naturæ ordinem ac modum, enixa fuerit? 2) an filia Levi, & Amrami uxor pariter ac amita? & quomodo Liberator Israelis de origine incestuosa natus fuerit? accurate solvit D. Varenus in *Exod. Dec. I. Loc. 2. p. 52. sqq.* Porro, quæ circa natiuitatem, conservationem & educationem ejus, tum & fugam ex Ægypto reditumque in illam & liberationem gentis Israeliticæ evenerint, satis



copiose edisseruit Exod. II - XII. Ea vero omnia fabulis mirifice augent pro more suo Judæi; Regem Ægypti præmonitum, ut ab Hebræo puero sibi caveret, regni sui vastatore futuro; sed & parentibus Moſis divino oraculo futuram per ipsum Hebræorum ex Ægyptiaca ſervitute liberationem prænunciatam fuiſſe: Moſen infantem regium diadema capiti ſuo impoſitum in terram projeciſſe, & pedibus conculcaſſe: bello adverſus Æthiopes ipſum ducem præpoſitum, ſingulari ſtratagemate victoriam obtinuiſſe: hinc cum filia Regis Æthiopum, cui Tharbis nomen, conjugium iniſſe, & quæ ſunt nugæ aliæ, tradentes, ut apud Joſephum *lib. II. Antiquit. cap. 5.* Philonem *l. 1. de vita Moſis*, Ezechielum Poëtam Judæorum Tragicum, cujus carmina Clemens Alexandrinus *lib. I. Stromat. edit. Sylburg. p. 344.* & Euſebius *lib. IX. præparationis Evangelicæ cap. 28. 29.* ſervarunt, & ex iis videre eſt, quæ ex Artapano refert Euſebius *c. 1. cap. 27.* & quæ ex Schalſchelet hakkabala, aliisque Rabbinis, ut & Elmacino, Patricide, aliorumque Arabicis monumentis larga ſegete congeſſit Hottingerus *Smegmatis Oriental. Lib. I. cap. 8. ſect. 2. p. 394 - 468.* unde abundantiffime circa nativitatem, vitam, res geſtas & mortem Moſis Rabbiorum commenta haurire poſſunt, qui hæc talia in deliciis habent. Temporum vero circa res a Moſe geſtas rationem ductu Scripturæ S. hanc docet Uſſerius, Lightfootus, Calovius, calculo conſentientes:

Anno
Orb.

- | | |
|------|---|
| 2433 | nascitur Moſes in Ægypto, anno 64. a morte Joſephi. Diſſentit Calviſius in annum 2372. Chytræus in ann. 2373. Lutherus in ann. 2374. Pareus in ann. 2443. Tornielius in ann. 2464. nativitatem ejus conjicientes. |
| 2473 | annos natus 40. Act. VII, 23. inviſit fratres ſuos, cædit Ægyptium, ex Ægypto profugus in terram Midian ſe recipit. |
| 2513 | annos natus 80. a Deo ad liberandam gentem ſuam ex rubo ardente vocatur, Exod. III. & IV. |
| - - | menſis Abib (qui hætenus ſeptimus fuerat, nunc primus totius anni, Exod. XII, 2. conſtitutus eſt) die 15. fer. 3. (i. e. d. 5. Maji) Iſraelem ex Ægypto educit. |
| 2514 | menſe tertio ab exitu, legem a Deo in monte Sinai promulgatam accipit. |
| - - | tabernaculum erigit. |
| 2553 | menſe 5. die 1. fratrem Aaronem morte ſibi ereptum deſlet, annos natum 123. 2553 menſe |

- 2553 | mense 10. mortis nuncio accepto, Josuam successorem sibi con-
firmat.
- 2553 | mense 12. vivis excedit Moses in monte Nebo, annos natus 120.

VI.

Omnia itaque antiquissimum & scriptorem & religionis omnis *Solius Pen-*
fontem, imo pro Deo gentibus quamplurimis habitum cultumque fuisse *tateuchi*
Mosen, cum Guil. Saldeno *Oriov. Theol. L.I. Exerc. 1.* & cum primis Huetio *scriptor.*
demonstr. Evang. Prop. IV. cap. 2. 11. p. 83 - 272. perquam erudite demon-
strantibus, facile largimur: nec dubium, quin antiquissimi Philosophi &
Græciæ Sapientes, quicquid religionis vel divinæ sapientiæ spirant, ex Mo-
saicis vel libris vel traditionibus petierint & pro suis venditarint inven-
tis; unde tantam inter Mosen & Platonem convenientiam, teste Cle-
mente Alex. *lib. I. Strom. p. 342.* deprehendit Numenius, ut Mosaizantem
Platonem crederet, *τί γὰρ ἐστὶ Πλάτων, ἢ Μωσῆς ἀττικίζων;* *quid*
enim aliud Plato, quam Moses est Attica lingua usus? Libros tamen, præ-
ter Pentateuchum alios ad posteritatem transmissos eundem composuis-
se, negamus. *Ἀνάληψις Μωσέως* s. liber, qui ascensum Mosis de cam-
pestribus Moab in montem Nebo, variaque Mosis jamjam morituri cum
Deo peracta colloquia exponat, citatur quidem a Protogene, Episcopo
Sardieensi *in actis concilii Nicani P. II. cap. 20. p. 131.* ut & ab Origene
περὶ ἀρχῶν lib. 3. cap. 2. idemque fuisse perhibetur, ex quo Judas Apo-
stolus *Epist. v. 9.* testimonium Michaelis Arch-Angeli altercantis cum Sa-
tana de cadavere Mosis depromserit: dignus Gilberto Gaulmino visus,
quem jam ante Hebraice Constantinopoli & Venetiis sub tit. *פְּטִיחַת*
הַתּוֹרָה excusum, Parisiis denuo Hebraice, cum notis & versione Latina
typis excubiri curaret. Vide Sixt. Senens. *lib. 2. Biblioth. S. p. 109.* & Va-
lent. Schindlerum *Lexico Pentaglotto p. 1041.* Porro etiam *Apocalypseos*
Mosis Cedrenus meminit *Histor. p. 3. ad Opera Creat. sexti diei.* Uter-
que tamen apocryphus Athanasio *in Synopsi Scripturae* est, qui tertium his,
testamentum Mosis inscriptum, addit. Alios præterea libros Mosis no-
men præferentes, ab hæreticis Sethianis confictos, memorat Epiphanius
in I. Panarii, eodem cum memoratis loco ac censu habendos.

VII.

Solum itaque Pentateuchum Mosis exaratum manu, Canonique de-
Scriptiois
finatum cum constet; dubium tamen est, an eo quem Heideggerus *ordo.*
Exercit. Bibl. IX. §. 2. p. 247. suppeditat, ordine scriptionem absolverit.
Mosen quippe existimat primo acta præcipua in commentarios retulisse,



De Penta-
teucho.

Pentateuchi
in 5. libros
distributio.

Argumen-
tum.

uti ex consignatione Amalekitici belli Exod. XVII, 14. colligere liceat: Ex his enatum ספר הכרית *librum fœderis*, promissiones & leges Dei, ac præcipuas res gestas complexum, Exod. XXIV, 4. 7. Tum Deum ipsum legem Decalogi tabulis lapideis insculpsisse, Exod. XXIV, 12. XXXI. XXXII, 15. 16. 19. &c. Reliqua Moſen addidiſſe, tum ea, quæ ad legis & Evangelii doctrinam pertinent, tum integram eccleſiæ hiftoriam inde ab origine mundi ad gubernationem uſque Joſuæ ſucceſſoris. Verum nec Θεο-πνευσίας ratio, nec apta & concinna orationis Moſaicæ, perpetuo nec interrupto pergens filo, cohæſio, hanc fruſtulatim factam Pentateuchi compositionem admittere videtur: licet dari poſſit Heideggero, quatuor poſteriores libros, forte ſucceſſive & per intervalla, iis temporibus fuiſſe conſcriptos, quorum res geſtas complectuntur. Incertum porro eſt, an ejusdem in quinque libros diſtributio, qua hodie utimur, ad Moſen referenda ſit, quod quidem cum Philone & Pontificiis Joſephus de Voſſin *observation. in præmium pugionis fidei Raymundi Martini edit. Lipſ. p. 97. a.* & e noſtris b. Calovius *proleg. Comment. in Genef. p. 118. §. 6. & Bibl. Illuſtr. T. I. p. 212. a.* affirmat: b. Waltherus vero *Officin. Bibl. §. 645. p. 460.* negat, eo quod legis liber nuſquam allegetur niſi unus. Non tamen inconueniens partitionis ejus ratio ea redditur, quod in primo libro eccleſiæ plantatio & propagatio: in ſecundo protectio & gubernatio; in tertio eccleſiaſtica conſtitutio; in quarto politica adminiſtratio; in quinto major & uberior confirmatio exhibeatur.

VIII.

In eo itaque potiſſimum argumento verſatur Pentateuchus, ut hiftoriam non modo & chronologiam orbis, mira tamen breuitate, eoque, qui fini Scripturæ diuinitus intento exacte reſpondet, modo texat, geſtaque Patriarcharum & populi Iſraelitici ad Moſis uſque mortem fata exponat; ſed ut in primis eccleſiæ V. T. primævam conſtitutionem ac indolem, tum etiam dogmatum, quæ illis temporibus publice in Eccleſia ſonuerunt, ὑποτύπωσιν tradat. Quæ omnia ſecundum ſingulos ejus libros Theodulſus Aurelianenſis Epicoſopus, circa ann. 850. clarus, apud Lorinum *Commentar. in Numeros proleg. p. 6.* hiſ verſibus ſcite complexus eſt:

Quicquid ab Ebræo ſtylus Atticus atque Latinus
Sumſit, in hoc totum codice, Lector, habes.
Quo loca prima tenet Genefis, primordia mundi,
Diluviumque canens, geſtaque magna Patrum.

Exo-



Exodus Ægyptum spoliat, secut aquora rubra,
 Pandit iter eremi; lymphæ ibi, lexque datur.
 Inde sacerdotum gentem Leviticus ornat,
 Et typice exponit dona sacris typicis.
 Bella virosque liber Numeri describit, & actus,
 Queis fregit Moses idola, stupra, duces.
 Post repetit legem, populo benedicit, & alma
 Jura dat, ac dicto carmine victor abit.

Longe tamen ulterius scopum suum sacer scriptor porrigit, Messiam Scopus? mundi Salvatorem potissimum tot vaticiniis & promissionibus describens, tot typis ac allegoriis adumbrans, imo per legem eundem tanquam Medicum & opitulatorem quærendum docens, ut non solum Nathanael Moſen præ ceteris de Jesu Nazareno scripsisse, Joh. I, 45. perhibeat, sed & Christus ipse Joh. V, 46. Luc. XXIV, 27. in Mosaicorum librorum lectione ad doctrinam de promisso Messia animos attendere jubeat. Cui Paulus consonat Act. XXVI, 22. Rom. III, 21. cap. IV. toto, cap. X, 6. sqq. 1. Cor. X, 4. 2. Cor. III, 14. 15. & in Epist. ad Hebræos passim. Præterea quoque ecclesiæ ortum & incunabula, sedem & populum, jura & privilegia demonstrare constitutum erat auctori.

IX.

Quo generali ostenso scopo non contentus Joh. Clericus, anxie Mosi in porro *dissert. tertia Commentario ejus in Genesin præmissa* §. 6. inquit, scribendo quod potissimum consilium, qui fines Mosi in scribendo edendoque Pentateucho consilium: specialiores fuerint? Quam maximi momenti ad intelligenda obscurissima libri loca quæstionem, qui rite expedierit, nullis satis amplis gratis beneficium ejus rependi posse existimat. Has cum ante eum nemo, ipse mereri conatus est, ex Mose ipso colligere sibi visus, quæ hanc in rem dici posse videntur. Præmissis itaque & concessis fine illo generali, Moſen ad edocendum populum Hebræum, Deum unum esse colendum, & qua ratione coli Deus ille vellet; tum etiam ad leges ab eodem acceptas populo tradendum scripsisse: speciales dehinc indagare fines §. 7. aggreditur. Ubi observari cupit 1) Mosi animum non fuisse, totius humani generis annales scribere ad sua usque tempora, sed tantum ea ex historia præteritorum sæculorum seligere, quæ cum generali illi, quem modo dixerat, fini, tum aliis singularibus conducebant. Quo factum sit, ut innumeris prætermiſſis, quæ legentium curiositas flagitare solet, nudam penè Chronologiam primorum temporum tradat; pauca

Mosi in
 scribendo
 Pentateu-
 cho consi-
 lium:
 ex mente
 Clerici



pauca tamen adspargat, quibus Israelitas ad observationem legis facilius adduci posse existimabat: 2) animum Mosi fuisse, populi Hebraei historiam scribere a conditore ejus Abrahamo, quem Deus ex Chaldaea in Chananaeam ire jussit, ubi Hebraeae gentis proprie incunabula quaerenda. Unde obiter discendum sit, ex ejus silentio non licere semper argumentari, nec posse affirmari, e. c. alias omnes gentes a Deo illis temporibus fuisse derelictas, quia de Dei in illas beneficiis nihil habeat Moses: 3) videri hoc quoque spectasse, ut mores Israelitarum non apertis tantum praecipis, sed obliquiori etiam per narrationes, docendi ratione, quoad posset, emendaret: 4) historia sua Mosem Israelitarum animos a vicinorum fabulis, adeoque religionibus, quae saepe iis nitebantur, alienare aggressum esse, quod exemplis allatis ostenditur: 5) videri etiam non modo scripta lege, sed etiam edita, atque additis mandatis, quibus eam singulis septenniis legi jubebat, Deut. XXXI, 10. tacite Aegyptiorum sacerdotum mores reprehendisse, apud quos erant arcani ritus & arcana dogmata, quae in vulgus efferre nefas habebatur: 6) jactantiam plerarumque gentium reprimere voluisse, quae conditores suos summopere laudabant atque in Deorum numerum referebant; cum ex adverso Moses demonstret, ortos eos esse a Chamo, Noachi filiorum tertio, qui ne vir quidem bonus haberi potuerit, nedum ut in Deorum numerum referri posset: 7) licet Hebraeae gentis historiam scribat, & copiosius de ejus rebus agat, quam de ceteris, non tamen existimandum esse, plenos eum conscribere voluisse annales. Hinc mirum non esse, ordinem temporis, qui in pleniori servatur historia, fuisse ab eo neglectum. Hac fere sunt, quae Clerico singularia fuisse videntur Mosi consilia, hi reconditiores in scribendo fines, praeter universalem illum & manifestum, qui primo intuitu legentibus sese objicit, adducendi nimirum Israelis ad unius veri Dei cultum.

X.

examina-
tura.

Istis vero Clerici assertis, licet aliquam praese speciem ferant, nec per omnia rejicienda videantur, insunt tamen haud pauca, quae censuram merentur. Et primo quidem universa isthac sollicitudine supersedere potuisset, si Θεόπνευστον crederet Mosaicam Scripturam. Sic enim non Mosi, amanuensis saltem divini, cujus utique consilio & voluntate allata non est ipsius prophetia (2. Petr. I, 21.) sed Dei, Scripturae auctoris, indagandum fuisset consilium, quo ductus *certa scribendi methodo potius, quam alia usus sit; ecquid praeerea spectarit, in compendio antiquissimae*

histo-



historia, quod posteris reliquit; quare tam multis omitti, aliorum minoris, ut nobis videtur, momenti eventuum meminerit; quare certis verbis usus sit; quare obiter nonnulla, cetera vero copiosius & saepius dixerit? qualia Clerici curiositas flagitat & venatur. Quorum tamen ratio dari haecenus alia nulla potest, quam quia divinae sapientiae ita commodissimum & quam maxime e re fuit visum. Generalis quippe Scripturae ut totius, ita Mosaeicae finis est, erudire homines ad salutem per fidem, quae est in Christo Jesu, 2. Tim. III, 15. Ideo quippe Deus in verbo suo literis consignato sese patefecit, ut ab hominibus juxta essentiam & voluntatem suam recte agnitus, modo divinae sapientiae congruo coleretur, & in hac ac aeterna vita celebraretur. Huic subserviunt fines specialiores respectu nostri divinitus intenti, qui sunt διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδεία ac παρακλήσις, Apostolo Rom. XV, 4. & 2. Tim. III, 16. memorati. Cum ergo Mosi aevi quinque ipsius volumina canonem absolverent, quem Deus ipse perfectum esse testabatur, quando ei nec addi quicquam, nec demi voluit, Deut. IV, 2. hinc ad eum quoque modum, divina sic moderante sapientia, universa horum voluminum structura, connexio, dictio disposita est, fines istos ut perfecte assequi valeret. Cur vero in his diffusius, in aliis, quae nobis prolixiorum poscere videbantur enarrationem, concisus versetur Mosi, vel Spiritus Sancti potius per Mosén scribentis oratio, nostrum tam non est rimari curiosius, quam religiose venerari. Quis enim cognovit mentem Domini? aut quis ipsi a consiliis fuit? Cum quo deliberavit, ut intelligentem redderet eum, & instrueret illum viam judicii; doceretque illum scientiam, & viam intelligentiae ostenderet illi? Eccl. XL, 13, 14. Rom. XI, 34. Recte ex Scaligeri sententia, nescire velle, quae Magister maximus docere non vult, erudita inscitia est. Haec vero insuper habens Clericus, in sacro codice evolvendo haud secus ac in profano versatur autore. Quod nec ipse diffitetur, cum institutum hoc suum exemplo praefationum illarum illustrat, quae Aconius Peditanus aliquot Verrinis Ciceronis praemisit, quaque ad intelligendum Ciceronem haud leve sint adjumentum. Jam quod ad ipsas ejus conjecturas attinet, frustra eas operis totius finis & consilia jactat, cum hujus duntaxat vel illius sint pericopae, si modo essent, quod subiecta observationibus exempla demonstrant; nec ad scopum Scripturae supra memoratum omnes collimant, quo tamen respicere singula his libris proposita, modo evictum est; neque firma omnes nituntur ratione, quando v. g. in prima & septima observatione Mosén annales vel humani generis, vel Hebraeae gentis



condere voluisse inde negat, quia brevissima ejus sit historia ab initio rerum usque ad Abrahamum, aliaque plurima ab eo sint omissa. Utur vero sit de annalibus humani generis, quod nec ipsi affirmamus, ecclesiae tamen inde ab ortu generis humani accuratam exhibet historiam. Cur vero grata illa & nervosa brevitatis, qua primis XI. Capitibus plus quam duo annorum millia complectitur, vitio vertetur Spiritui S. quæ vel Livio fraudi non fuit, capitibus primis quinque libri primi, res a Troja capta & eversa ad conditam Romam 430. annorum complectenti, & reliquis ejusdem libri 55. capitibus ab Urbe condita ad exactos Reges annorum 244. complexum exhibenti, qui tamen multo fusi sequiorum temporum historiam persequitur? Quod tandem ordinem temporis, qui in pleniori servatur historia, a Mose neglectum criminatur Clericus, injuria Mofi vel Spiritui S. potius illata haud vacat. Id enim cum primis tam accurata Genealogiarum recensio, tamque sollicita non annorum modo, sed & mensium atque dierum, quibus singula evenerunt, annotatione agitur, ut quæ ex nullo peti potest autore profano, a primo orbis exordio ad occupatam Chananæam Chronologia inde contextatur. Videatur cap. V. & XI. Geneseos, Exod. XII, 40. Num. I, 1. Deut. I, 3. II, 3. Cujus rei fidem ipse fecit Clericus Tabulis Chronologicis commentario subjunctis, quibus temporum seriem vel maxime ex Mosaicis declarat monumentis. Licet vero per *προλήψεις*, per *ὑστερον προωτερον*, aut per parenthesis extra locum & seriem posita quædam in Mosaicis videantur, quod tamen evictum nondum est; non tamen ea propter ordinis temporum negligens dici Moses debet, cum accuratis certisque scriptoribus in more positum sit, sapius & sapienti consilio *προλήψεις* usurpare. Sed e diverticulo in viam; nec enim vacat & ab instituto nostro alienum est, singulas ejus observationes sub censuram vocare, ne lites serendo tardium adferamus lectori.

XI.

Commen-
tatores :
Patres,

Commentarios in Pentateuchum nobis reliquerunt, præter eos, quos in universa Biblia *cap. præced. II. §§. ultimis* laudavimus, e Patribus Græcis CYRILLVS Alexandrinus Archi-Episcopus, qui *γλαφυρῶν* in Genesin libros VII. in Exodum libb. III. in Leviticum librum unum, in Numeros unum, unumque in Deuteronomium struxit, quos editionis Parisiensis A. 1638. Opp. Tomi I. pars posterior complectitur; & THEODORETVS Episcopus Cyri in Syria, ejus in Pentateuchum quæstiones Tomus I. Opp. edit. Græco-Latinæ Paris. A. 1642. exhibet: ex Latinis

AVGV.



AVGVSTINVS, qui quæstionibus pariter Pentateuchum illustravit T. IV. Opp. p. 83. sqq. quanquam haud immerito in dubium ex vocentur eruditus ap. Gerhard. *Conf. Cathol. P. I. Gen. p. 676. sq.* Venerabilis BEDA, Presbyter Anglus, qui T. IV. Opp. Pentateuchum expositionem literalem concinnavit: ISIDORVS Hispanensis Episcopus, qui suis in Mosaicos libros Commentariis rerum potius apices & argumenta prosequitur, quam verba, Opp. edit. Colonienfis p. 283. sqq. tandemque BRVNO Astensis, Abbas Casinensis, Episcopus Signiensis & Cardinalis, A. 1125. pie defunctus, cujus expositiones in Pentateuch. Opp. edit. Venetæ A. 1651. T. I. & in Bibliotheca PP. maxima T. XX. f. 1308. sqq. leguntur. ORIGENEM sciens prætermitto, quod & in Deuteronomium nihil ipsius extat, & in priores quatuor Mosaicos homiliarum ejus Latina tantum versio, Ruffino interprete reddita superest, exceptis paucis, quæ Huetius hinc inde excerpta Græco-Latinæ Origenis editioni inseruit, fragmentis.

Hebræis

Inter Rabbinos plurimi explicandæ legi operam suam impendunt, sed impari instituto pariter ac successu. Celebris inter Judæos nec Christianis ignotus est R. MOSES BEN NACHMAN, qui בראר על התורה *elucidationem in legem*, qua textum S. allegorice cum primis illustrat, composuit, Venetiis impressam A. 1545. Sed & בחרי ר' R. BECHAI, qui A. C. 1291. floruit, commentarium in legem scripsit, intellectu sæpe difficilem, propter interspersa haud raro varia Cabalistica. Acerbior quoque nonnunquam in Christianos est, ut hinc censuram Venetorum incurrerit, deletionem locorum quorundam passus. Impressus est Venetiis apud Bombergum in fol. A. C. 1526. & 1546. cum locis Scripturæ in margine notatis. Porro R. ABRAHAM Hispanus, qui vulgo etiam סבע אברהם ר' R. Abraham Seba audit, & circa A. 1510. inclaruit, haud incelebrem in legem commentarium elaboravit, quem ex Cant. I, 13. צור המור *fasciculum myrrhæ* inscripsit, Venetiis excusum apud Dan. Bombergum in fol. A. C. 1513. Haud exiguæ quoque inter suos autoritatis est R. ISAAC BEN ARAMAH, cujus in legem & V. megilloth commentarius עקרת יצחק *Ligatio Isaaci* inscriptus, Philosophico-Theologicus est, & Aristotelem sapius de mundi æternitate, & in quæstionibus aliis refutat; prodiit Venetiis A. C. 1573. R. MOSES HADDARSCHAN Gallus legis interpres Galatino frequenter allegatur. R. OBADIA SAFORNO ex concionibus in legem commentarium consarcinavit, אמרי נועם *verba jucunda* dictum, & Constantinopoli ut & Cracoviæ impressum in quarto. R. SCHEM TOF suam legis interpretationem a nomine suo



De'l Penta-
teucho.

כתר שם טוב *Coronam nominis boni* appellavit, Venetiis typis excris-
ptam in fol. A. C. 1601. Magni præterea inter Judæos usus, ad lectio-
nes sacras in Synagogis ex eo peragendas, est commentarius Mosaicus
cujusdam חזקיה HISKIÆ sive EZECHIÆ, quem a nomine suo
חזקוני *Chaskuni* inscripsit. Hinc est, ut una cum textu Ebraico &
Chaldaica paraphrasi atque cum commentario R. Salomonis in usum sa-
crorum publicorum junctim prodierit Venetiis A. C. 1524. & Basileæ
1606. in fol. Magnæ autem præ ceteris omnibus & antiquitatis & inter
Judæos autoritatis est זרר Sobar, Commentarius in legem Cabbalisticus,
qui a Judæis ad R. SIMEONEM BEN JOCHAI autorem
refertur, & in spelunca quadam terræ, in qua per annos XII. metū Im-
peratoris Romani delituerit, ab ipso scriptus creditur. Fabulam Talmud
trahit *Tract. de Sabbatho cap. 2. fol. 33. p. 2.* a Buxtorffio confutatam *Ab-
breviat. p. 190. sqq.* Summæ verò antiquitatis argumentum inde
ducunt Judæi, quod nullius unquam libri Talmudici mentionem hic
Commentarius faciat, nec Gemaræ locum ullum tangat, imo verò po-
tius in multis doctrinæ Gemaræ repugnet. Interim constitutiones ejus
circa ea, quæ in Gemara non sunt explicata, pro authenticis a Rabbinis
receptæ sunt & in usum traductæ. Impressus est Cremonæ A. C. 1559.
in fol. Fertur quoque in Commentariis Mosaicis is, qui רנחומא *Con-
solatio* inscribitur, alias רלמדנו *Jelammedenu* dictus, quod ea voce fre-
quenter admodum utitur, cum ex præmissis doctrinas certas elicit &
proponit. Excusus est in fol. Constantinopoli A. C. 1528. & postea
cum additamentis recusus Veronæ A. C. 1595. Tandem רבות dicuntur
glossæ s. Commentarii in legem & V. libellos RABBA BAR NACH-
MONI, qui circa A. C. 300. claruisse fertur. Textum ad literam non
explicat, sed allegoriis & fabulis delectatur, & varius admodum est, lin-
gua Hierosolymitana conscriptus & Græcis vocabulis maxime abun-
dans. Singulæ ejus partes nomine singulorum librorum Mosaicorum
veniunt, adjecta singulis voce רבא ut v. g. in Genesin ברשית רבא /
in Exodum שמות רבא / in Numeros במדבר רבא & sic porro,
Commentarii dicantur. Excusus Cracoviæ est A. 1608. Ex hoc opere
R. SAMVEL LANIADI homilias excerpfit & concinnavit, quas
כלי חמדה *Vas desiderii* ex Jer. XXV, 34. inscripsit, excusas Venetiis in
fol. Commentarii, qui עילת שבת *Holocaustum Sabbathi* (ex Num.
XXVII, 10.) audit, autor fertur R. SCHVEIB, ex recensione Hot-
tingeri *Biblioth. Orient. p. 3.* R. ISAAC KARRO, circa A. 1510.
clarus



clarus suas in Pentateuchum curas תולדת יצחק *Generaciones Isaaci* teucho. appellat, quibus multa loca per universum Pentateuchum breviter explicat, dubia sua, quæ proponit, solide solvit, & quæstionum varietate se haud mediocriter doctum probat. Plures prætereo, quorum syllogen ac titulos Hottinger c. l. exhibet. Unum adhuc addo inter Judæos tritissimum in Legem Commentarium Hebræo-Germanicum, qui צאנז ראינה inscriptus, Judæis vulgo *Zenorena* dicitur, titulo ex Cantic III, II. petito. Excusus est Cracoviæ in fol.

Lutherani Theologi, qui suis in Pentateuchum lucubrationibus *Lutherani*, præclare de ecclesia meriti sunt, ita habent: JOHANNES BRENTIUS Theologus Tubingensis T. I. Opp. DAVID CHYTRÆVS enarrationibus in V. libros Moſis, Wittebergæ in fol. 1590. typis exscriptis: BALTHAS. BIDEMBACHIVS in der ausführlichen Erklärung und Predigten über die Bücher Moſis/ Tubingæ 1604. ERASMVVS MARBACHIVS in ὑπομνήματα in libros Moſaicos, Argentorati in 4. editis: CHRISTOPH. PELARGVS Superintendens Marchiæ Generalis, cujus sub initium sæculi superioris commentaria in Pentateuchum ſeorſim Lipſiæ in 4. prædierunt: cumprimis JOH. ADAM. OSIANDER Theol. Tubingens. qui uberri- mo in Pentateuchum Commentario, ſacrum cum exegeſi textum, lectio- num & verſionum varietatem, antilogiarum conciliationem, chronó- logiam, quæſtionum ſolutiones, objectiones cum vindiciis, obſervatio- nes Philologicas & Locos Communes doctrinales exhibet, tomis V. in fol. Tubingæ impreſſis A. 1676. ſq. AVGVSTI VARENI *Deca-* des in libros Moſaicos ſelecta ſaltem loca ſub examen vocant: MI- CHAEL WALTHERVS vero in *Spongia Moſaica* Noribergæ A. 1642. in quarto excuſa, loca controverſa aſſerit, & turpiſſimos abuſus, quibus Judæi, Pontificii, Calviniani, Anabaptiſtæ, Photiniani & Weige- liani præcipua Pentateuchi oracula depravant, abſterſit.

E Pontificiis, præter CORNEL. A LAPIDE, cujus T. I. Opp. *Pontificii*, Commentaria in Pentateuchum complectitur, non contemnendus interpres JACOBVS BONFRERIUS eſt, Soc. Jeſu Theologus & in Academia Duacenſi Sacrar. literarum & Linguae S. Profeſſor, qui Com- mentarium in Pentateuchum ſatis copioſum, ampliſſimis in totam Scri- pturam S. præloquiis inſtructum, Antwerpiae 1625. in fol. edidit. Cui NICOL. SERARIVM addas, Jeſuitam pariter, & variis in ſcriptu- ram, quos inter etiam in Pentateuchum unus eſt, Commentariis clarum:



CORNELIVM porro JANSENIVM, Episcopum Ipremsen, famosum sectæ Jansenisticæ autorem, cujus in V. libros Mosaiscos Commentarius posthumus A. 1641. Lovanii in quarto in lucem editus est: THOMAM de VIO Cajetanum, Cardinalem S. Xysti, cujus in omnes libros Biblicos, exceptis Cantico Canticorum, Prophetis & Apocalypsi, Commentarii extant: JOHANNEM FERVM, cujus in V. libros Moysis explicatio Colonia in fol. A. 1571. prodiit: THOMAM MALVENDAM, Ordinis Prædicatorum apud Lombajenses primum, deinde Romæ Theologiæ Professorem, qui in universa Biblia commentari molitus, in explicando XVI. cap. Ezechielis A. 1628. morte abreptus, ut adeo post mortem demum auctoris A. 1650. excusa Lugduni V. voluminibus in fol. opera ejus, quorum I. Tom. Pentateuchum explicat, lucem adspexerint: LEONHARDVM MARIVM, cujus in Pentateuch. commentatio Colonia in fol. A. 1621. impressa est: HIERONYMV M ab OLEASTRO, cujus Commentar. in Pentateuchum Lugduni in fol. A. 1586. denuo prælo subjectus est: AVGVST. STEVCHVM Eugubinum, cujus annotationes in dictos libros & Lugduni seorsim emissæ sunt, & T. I. Opp. edit. Venetæ A. 1591. leguntur.

Reformati,

Ex Reformatis HENRIC. AINSWORTH Anglum nominamus, cujus *Annotations upon the Pentateuch* Londini A. 1639. evulgatæ prostant: HENRIC. ALSTEDIVM, cujus concisæ in Pentateuch. sunt annotationes, Herbornæ in octavo A. 1631. impressæ: BENEDICT. ARETIVM, cujus breves, sed non omnino spernendi Commentarii in Moysis Pentateuchum Bernæ exscripti sunt A. 1602. & FRANCISCVM BVRMANNVM Theologum & Professor. Ultrajectin. qui Pentateuchi expositionem Belgico idiomate, sub tit. *Wet ende het Getuygenisse* Trajecti A. 1680. evulgavit, in Germanicum postea sermonem conversam & Bremæ editam. Quibus addi forte poterit dubiorum conciliator FRANCISCVS RIDDER, qui Belgico stylo *het Schrifteuerlyk Licht over schynstrydende duystere en misduy-dende texten der V. Boeken Moysis* V. tomis edidit in quarto Roterodami A. 1675.

Remon-
strantes.

E. cœtu Remonstrantium JOANNES CLERICVS A. 1693. Genesin, & A. 1696. reliquos quatuor Mosaiscos libros, nova versione, paraphrasi perpetua & notis, quibus Commentarii Philologici nomen fecit, grammatici autem sensus fines non egreditur, nec Theologicis digress-



digressionibus occupatur, erudite illustravit; præmissis Genesi tribus dissertationibus criticis, subjunctaque de Sodomæ excidio, de statua falis & tabularum chronologicarum appendice. Exodo pariter paraphrasin & animadversiones in Johannis Evang. c. I, 1-18. præmisit; adversarios nactus Eliam Benoist, qui animadversionibus istis *tres dissertationes epistolicas* Roterodami A. 1697. in octavo excusas opposuit, & Johannem van der Wayen, qui Clerici de λόγῳ sententiam *dissertatione*, Stephani Rittangelii *Libra veritatis præmissa*, sub examen vocavit. Appendicem quoque Exodo de maris Idumæi traiectione; Numeris de decimis dissertationem Joh. Seldeni, & tabulas Chronologicas & Geographicas subjecit.

CAPUT IV. De Genesi.

*Libri appellatio evoluitur. Genesis an sit liber ille rectorum? Jos. X, 13. Summari-
um capitis.*
§. 1. Argumenta, quibus a Mose libri scriptio abjudicant cum A-
ben Esra & Spinoza Bibliomastiges, ex Gen. XII, 6. XIII, 7. XXII,
14. XXXVI, 31. XIII, 18. XIV, 14. X, 8. sqq. XX, 7. XL, 15. petita, ex-
aminantur & discutuntur. An transposita & confusa Geneseos pe-
ricopa? §. 2. De conscriptionis subsidiis: tempore: consilio §. 3. Libri
argumentum & scopus. An vaticinia futurorum rerum gestarum
enarratione insinuantur? §. 4. Chronologia. An anni Patriarchales
mensuri duntaxat, vel minores nostris? Discrepantia inter calcu-
lum τῶν LXX. Senum, & textus Hebraici notatur §. 5. Divina & ca-
nonica libri autoritas asseritur: & a Juliani Apostata argumentis
vindictur §. 6. Partitio libri §. 7. Tabula Synoptica §. 8. Com-
mentarii Patrum, Lutheranorum, Pontificiorum, Reformatorum, Fa-
naticorum §. 9.

§. I.

Genesis Hebræis, ex recepto more, ab initiali vocabulo בְּרֵאשִׁית Appellatio.
appellatur, quasi principium & Bibliorum dicas, & rerum
omnium. Rabbini nonnunquam, argumenti præcipui ra-
tionem habentibus, בְּרֵאשִׁית סֵפֶר יִצְרָח *liber creationis* audit; a quo
non multum abludit Græca γενέσεως nomenclatura, quam & Latina ec-
clesia



clesia civitate donavit, ex interpretatione Græca cap. II, 1. petitam. Κα-
 λῆται δὲ ἅπας, ἐπεὶ καὶ τὴν γένεσιν πάντων περιέχει, ἄραν τέ καὶ
 γῆς, καὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν φαινομένων τῶν ὄλων. Vocatur au-
 tem hoc nomine, propterea, quod & universorum, cæli pariter ac terra, ho-
 minumque & omnium eorum, quæ visuntur, generationem complectitur, ait
 Athanasius in *Synopsi Script. T. II. Opp. p. 66.* Forte ita quoque vocari
 haud absurde dixeris, quod Patriarcharum primamque humani generis
 genealogiam exhibet, quo sensu Evangelium quoque Matthæi βίβλος
 γενέσεως inscribitur v. l. ex mente b. Erasmi Schmidii, qui *notis ad b. l.*
p. 5. de vocis γενέσεως etymologia, variaque significatione prolixè com-
 mentatur. Idem vero an סֵפֶר הַיָּשָׁר liber ille rectorum vel justorum
 dicatur, cuius Jos. X, 13. & 2. Sam. I, 18. fit mentio, quod nonnullis apud
 Hieronymum in c. XLIV. *Jesaja* & in cap. XVIII. *Ezech.* visum fuit, haud
 immerito dubitatur. Elumbe omnino argumentum Judæi pro hac
 sententia in *Gemara tract. עבירה דרה* cap. 2. & in *Bereschith Rabba* ur-
 gent, quia Genesis contineat res gestas Abrabæ, Isaaci & Jacobi, qui pre-
 ceteris moralibus ישרים recti sunt vocati: cum Bileam diceret: moria-
 tur anima mea morte rectorum, Num. XXIII, 10. In illo enim libro scriptum
 esse de Ephraim: & semen ejus erit abundantia gentium: quibus verbis
 mirabile hoc Josue facinus prædictum sit, qui ex Ephraim est prognatus;
 cum ille imperium habuerit in Solem & Lunam, quæ omnium gentium vi-
 tam moderantur naturali quadam sua efficientia; aut quia sui nomi-
 nis fama ob hoc tam præclarum factum gentes omnes impleverit. Qui-
 bus Lyranum suffragari non sine causa miratur Andr. Mafius *Comment.*
ad c. l. Jos. quanquam e nostratibus etiam b. D. Garthius *tract. de Jud.*
controv. p. 112. in eandem pedibus iverit sententiam. Illa sane testimo-
 nia, quæ ex citato libro Josua & David depromserunt, tam in Genesi
 quam universo Pentateucho frustra quæres, irrefragabili argumento,
 neutrum per *Justorum librum* indicari; ut rectius omnino sentiant, qui
 intercidisse librum, cujuscunque demum fuerit auctoris, credunt, jactu-
 ra tamen haud adeo deploranda, cum sacrum eundem aut canonicum
 fuisse, quod quidem Bellarminus & Becanus contendunt, evincere pror-
 sus nequeant. Confer e nostris b. D. Waltherum *Offic. Bibl. §. 1332. sqq.*
p. 1180. & b. D. Jac. Martini *Disput. II. de libris Scripturæ deperditis §. 72-81.*
 Ceterum cum Tertullianus *lib. advers. Hermogenem c. 19. T. I. Opp. edit.*
Rigalt. p. 275. *Originale Instrumentum* Genesin appellat, non tam a re-
 liquis Mosaicis aut Biblicis, quam a supposititiis vel humanis tan-
 tum

tum demonstrandi principiis hoc nomine eandem distinguere videtur.

II.

Mosen ut Pentateuchi, sic & Geneseos scriptorem cap. præc. evicimus; negantes vero, ne profanæ ὑποθέσει deessent, nonnulla ex visceribus libri contra receptam sententiam argumenta exsculpere conati, cum *Aben Ezra* illumque secuto *Spinosa* ad *Gen. XII. 6.* provocant, ubi, postquam narrasset Scriptor, Abrahamum terram Canaam pertransisse usque ad locum Sichem, addit: *Et Cananeus tum erat in terra.* Cui paria faciunt, quæ habentur *c. XIII. 7.* *Exorta rixa est inter pastores gregum Abram & Loth. Et Cananeus & Pherizeus eo tempore habitabant in terra illa.* Unde colligunt, eo, quo hæc scribebantur, tempore nec Cananeum nec Pherizeum in terra illa fuisse; qui uterque tamen cum Mosis ætate patriis finibus nondum expulsus, terram isthanc utique incolet, clarum esse, quod nec a Mose, nec ejus ætate consignari ista potuerint. Sed omnino perperam. Id enim verba volunt, jam tum Cananeos terram illam incoluisse, cum primum illuc veniret Abraham; qui loca vacua, ab illis non occupata quærens, divinaque fretus providentia medium se gentibus inimicis ingesserit, cujus posteritas easdem nunc rerum potientes exturbatura postea, & in servitutem propediem redactura esset. Quod ergo textus affirmat simpliciter, id ad continuationem temporis tractum, imo ad præsentis, quo hæc scribebantur, temporis exclusionem imperite vel malitiose refert *Aben Ezra*, & inepte prorsus sensum particulæ *אז* tunc, in *עוד* adhuc transmutat, verba sic interpretatus, quasi adhuc in terra ista habitavit Cananeus, nunc vero, ubi hæc scribebantur, expulsus fuerit. Provocant ulterius ad *Gen. XXII. 14.* ubi nomen loci, in quo Isaacum immolaturus fuerat Abrahamus, vocasse dicitur: *יהוה יראה* Dominus videbit. Ideo, addit sacer Scriptor, dicitur hodie: *יהוה יראה בחר* in monte: *Jehova videbitur.* Quod nomen monti illi prius hæsisse *Spinosa* cum *Aben Ezra* negat, quam structuræ templi dicatus ille fuit, maxime cum *מוריה* & *יהוה יראה* unum significare, vel etiam posterius nomen priori originem præbuisse videatur; unde pronum concludere, librum hunc Mose longe esse recentiore. Unde vero novitatem nominis probabunt? simplici sane assertioni illorum simplicem asserti negationem pari jure opponere licet. Enimvero ad ipsum Abrahamum nominis originem textus haud obscure refert, qui Isaaco de pecore holocausti

Scriptor
impugna-
tus

ex Gen. XII,
6. & XIII. 7.

ex Genes.
XXII. 14.

H

sci-



sciscitanti, אֱלֹהִים יֵרָאֶה Dominus videbit, v. 8. respondit, atque inde nomen loci postea יְהוָה יֵרָאֶה Deus videbit vocavit, quia eventus pium istud comprobasset augurium, Dominusque de holocausti pectore sibi prospexisse: idcirco procedente tempore, adeoque Mosis etiam ætate, nonnihil mutato adagio, dici suevit: *in monte, Dominus videbitur*. Nec obstat, quod urgent, eum, qui textui illud adjecit, observasse, quod suo etiamnum tempore in usu fuerit. Quid enim prohibet, quo minus eadem Mosis manu, a qua historię consignatio profecta est, additum quoque sit adagium, inde ab Abrahami ætate ad Mosis usque ævum usu tritum? Sat longa omnino temporis hæc intercapedo est, ut observare possit, הָיָה h. e. ad suam usque ætatem formulam ab Abrahamo ortam perpetuo usu viguisse. Addit Spinosa tertium argumentum, temporis rationi superstructum. Quod enim Gen. XXXVI, XXXVI, 31. dicitur: *hi sunt reges, qui regnaverunt in Edom* לְפָנֵי מֶלֶךְ מִלְכֵּי עֲדָמָה לְבָנֵי יִשְׂרָאֵל *antequam dominaretur rex in filios Israel*: de regibus Idumæorum intelligendum contendit, qui Idumææ præfuerint, antequam David eos subigeret, & præfides in terra Edom constitueret, 2. Sam. VIII, 14. hinc literis hæc verba consignari prius non potuisse, quam David gentem illam sub jugum miserit. At enim vero ut taceam, quod regerit Heideggerus *Exerc. Bibl. IX. §. 25. p. 267.* priores potius Idumæorum reges intelligi, qui ab Esavi ætate usque ad Mosis in Israel imperium rerum potiti sunt; siquidem Moses diserte ab Aben Esra *in b. l. מֶלֶךְ* & a Philone *de vita Mosis lib. 2. βασιλεύς* dicatur: nihil quoque obtinebit adversarius, licet demus, de temporibus Mose posterioribus & Davidis regnum attingentibus textum loqui. Num enim Mosen, prophetico spiritu futura præsentientem, latebat, fore aliquando, ut regem sibi poscerent Israelitæ? Contrarium ex Deut. XVII, 14. & XXVIII, 36. elucet: an Dei Spiritum, cujus instinctu & inspiratione consignatus Genesin credimus, reges olim orituros, gentisque Idumææ subactionem ignorasse, Mose revelare non valuisse existimabimus? Videat omnino Spinosa, ne una cum libris suis etiam propheticum Mose eripiat aut deneget lumen, quo reliquos tamen prophetas omnes longo post se intervallo reliquit. Turpiter vero se hic dat Clericus *dissert. de Scriptore Pentateuchi §. III. 9.* vaticinium verbis istis contineri negans, cum præteriti temporis phrasibus textus utatur: *Et mortuus est Et regnavit ejus loco &c.* Inde herbam porrigit Spinosa, falsus, *banc περὶ οὐρανὸν novem commatum, a 31. ad 39. ab aliquo, qui, postquam regnari* ω-



caperunt Israelita, vixit, additam esse. Meminisse sane debebat, Prophetis in more positum esse, ut rerum futurarum, eventus verbis tum præteriti temporis, tanquam si narrarent res transactas, tum præsentis, quasi res præsentis & coram assistentes nunciarent, efferre soleant, quod egregie docet & e b. Franzii de interpret. Script. orac. 47. illustrat Glasius noster Phil. S. Lib. 1. tract. IV. sect. 1. de stylo prophetico, canone 4. p. 225. Nec insolens adeo scriptoribus V. Testamenti est, historiæ subinde futurorum eventuum vaticinia intexere, maxime ubi series ac integritas historiæ, uno loco integre exhibendæ, id postulat. Novum Spinosa argumentum petit inde, quod quedam loca non iis indicentur nominibus, quæ vivente Mose obtinebant, sed aliis, quibus dudum postea insignita sunt. Quod ut evincat, provocat ad Gen. XIV, 14. ubi nomen *Dan* occurrit, quod urbi olim *Lais* dictæ non nisi longe post mortem Josuæ in junctum fuisse, ex Jud. XVIII, 29. constet. Sic cap. XIII, 18. alii addunt, ubi nomen *Hebron* legitur, quod non nisi post Mosis tempora oppido impositum esse, ex Jos. XIV, 15. & XV, 13. liqueat. Enimvero tantæ hæc objecta ponderis non erant, illi ut Clariss. Huetius, huic ut Clericus succumberet, fassus uterque, aliena & seriori manu additas recentiores istas locorum appellationes fuisse, ut obscuriora & propter vetustatem & defuetudinem ignota nomina notioribus exponerentur. Illam enim *Dan*, ad quam usque Abraham hostes suos persequutus est, eandem cum ea esse, quam antiquitus *Lais* dictam, de nomine *Dan* filii Jacob. ita nuncupatam esse, Jud. XVIII, 29. dicitur, demonstrari hæcenus non potuit. Diversa autem si fuerit, necesse non est, utramque olim *Lais* vocatam fuisse, sed illam tantum, de qua c. l. Judic. agitur. Quod si minus placet, nec evinci queat gemina eodem insignita urbs nomine, altera satisfaciet Huetii responsio, non urbis nomen, sed fontis aut rivuli *Dan* exprimere, ad quem usque persecutio Abrahami pertigerit. Ex duobus quippe fontibus & rivulis *Jor* & *Dan* dictis, Jordanis & flumen coaluisse & nomen, Josephus vult Antiqu. lib. I. c. 11. quem Hieronymus sequitur & Philostorgius, apud Johannem Antiochensem *περὶ ἀρχαιολογίας*. Id si sit, mirum non fuerit, *Danis* appellationem jam Abrahami ætate obtinuisse, cum Jordanis mentio jam c. XIII, 10. fiat. Non ergo est, ut cum Andr. Masio Comment. in Jos. XIX, 47. inde colligamus, *Mosis* libros sic, ut nunc habentur, ab illo non esse compositos, sed ab Esdra, aut alio quopiam divino viro, qui pro vetustis & exoletis locorum vocabulis nova, quibus rerum gestarum memoria posset optime &



percipi & conservari, reposuerit. Nimis enim lubricum & arenosum subternitur fundamentum, quo tanta opinionum moles nitatur, ruitura haud dubie, si exoletorum cum recentioribus nominum commutatio falsa demonstretur. Nec juvat Masium altera illa nominis Kirjath Arba cum *Hebron* permutatio, quam in *praefatione dicti Comment.* urget. Nil enim obstat, quo minus, quæ Kirjath Arba primis temporibus dicta fuerat, jam diu ante Moſen Hebron vocaretur. Urbs siquidem prima antiquitate fuit, ut etiam cum Ægyptiorum vetustissimis certaverit, unde Josephus *lib. IV. de bello cap. 31.* eam Memphi Ægyptia antiquiorem dicit. Hinc passim istud nomen in Mosaïcis libris Gen. XXIII, 2. 19. XXXV, 27. Num. XIII, 23. reperies, haud obscuro indicio, jam tum appellationem Kirjath Arba per novam Hebron abolitam fuisse. Quod vero Clericus urbem illam a Calebi nepote Hebron dictam suspicatur, meris nititur conjecturis, nec adeo commode narrationi Josuæ & nexui temporum a historiæ respondet. Nec firmiori nituntur talo reliqua, quæ in medium proferuntur, argumenta. Quod enim, quæ *Gen. X, 8. sqq.* de Nimrodo, deque ejus regno multo fufius, quam de aliis *γενεαλογιας* ceterisque regionibus traduntur, videantur commodius & utilius post captivitatem Babylonicam, quam antequam Israelitis commercium ultimum esset cum Babyloniis, dici potuisse; id dum asserunt, profligatæ prorsus temeritatis indicium Bibliomastyges edunt. An enim Pseudo-Criticorum horum judicio potius, quam Sancti Spiritus, quæque suis locis rite & sapienter disponentis, standum est, ubi dispicitur, an hoc vel alio loco ista commodius ac utilius legantur? Hoc sane commento nihil demum firmum in Scriptura, nihil suo loco dictum videbitur, cum nulli demum narrationi suus defuturus sit censor, qui alio tempore vel loco commodius ea narrari potuisse suspicetur. Neque vero *ἀρχαίαι* initia tyrannidis Nimrodis, Babylonis quoque, Ninives & aliarum regni ejus urbium huc referuntur, ubi Chami posteritas, & Babylonicæ Monarchiæ fundamenta exponi debebant; hunc omnino locum, non alium ea sibi tractatio postulabat; maxime ut Israeli constaret, e qua profapia, quibus orta initiis gens Chaldæorum esset, quæ Dei vindicis futura olim flagellum, exitialem populo rebelli cladem illatura esset. Imo e re erat vel maxime, ante captivitatem Babylonicam, Babylonis & Chaldææ gentis cognitio, ut Prophetarum comminationes, aliaque oracula divina eo felicius assequi & intelligere Israelitæ possent. Vox *נְבִיא* etiam, apud Moſen *Gen. XX, 7.* & alibi occurrens, argumentum præbuit, unde

ex *Gen. XX,*
7.



unde concludatur, scriptionem Pentateuchi Samuelis ætate aliquanto esse posteriorem, qua quippe recens ea Prophetarum appellatio fuerit, cum I. Sam. IX, 9. dicatur: *antiquitus in Israele sic dicebat quisque, quum profecturus esset ad consulendum Deum: agite eamus עַד-חֵרִיָּא ad Videntem; nam qui נְבִיאָה Propheta hodie, is antiquitus vocabatur Videns.* Verum uti his verbis non negatur, vocem נְבִיאָה priscis quoque cognitam atque usitatam fuisse, sed solum in proverbio isto: *eamus advidentem*, eam fuisse adhibitam inficias itur; ita fieri potest, ut temporibus Moysi in usu fuerit apud Hebræos, deinde temporibus Iudicum frequentius usurpari coeperit dictio נֹרָאָה *Videns*, postmodum prior ista iterum in usum revocata, ut ita eveniret huic voci, quod observavit Horatius in *Arte Poët.*

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque

Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.

Quæ haud inconcinna Clerici *Comm. ad Gen. XX, 7.* responsio est: vel paulo generalior antiquitus vocis erat significatio, ut amicum Dei notaret, & rerum sacrarum interpretem, sed a Samuelis aut insequentibus temporibus in frequentiori usu designabat arcanarum rerum indagatorem & indicem, per quem Deus consulebatur, circa illas res, quas, nisi Deo indicante, assequi mortales desperabant. Ita Witfius *Miscellan. Sacr. Lib. I. cap. 1. §. 17. p. 9. sqq.* Tandem objecerunt nonnulli ex *Gen. XL, 15.* ^{ex Gen. XL, 15.} verba Josephi, qui Cananæam *terram Hebræorum* dicit, cum tamen ea tempestate nec dum in gentem propagati essent Hebræi, sed una Jacobi domo continerentur, nec terram istam occupassent suamque reddidissent: unde constat, post Moysi obitum & Josuæ occupationem, terræ hæc scripta esse. Anne vero regio, in qua Hebræi ab annis aliquot Larem posuerant, & ubi longe lateque greges suos pascebant, terra Hebræorum dici potuit? Nec adeo ignotæ Patriarcharum sedes vicinis regibus erant, quibuscum hæc raro fœdera pepigerant, *Gen. XXI, 32. XXVI, 28. &c.* ut non commodiore alio, vel notiore quam terræ Hebræorum cognomine Josephus eum Cananææ tractum designare posset, quem pater ipsius cum fratribus, consentientibus veteribus colonis, tenebat. Et hæc fere sunt, quæ ex Genesi contra receptam de Mose, ejus Scriptore, sententiam in aciem producantur. Ceterum quas transpositiones pericoparum Peyrierius, scilicet capituli XX. & XXVI. & Rich. Simonius criminantur, cui historia creationis c. I. II. historia nativitatæ Isaac Gen. XXI, 3. 4. 5. narratio fœderis Jacobum inter & Labanem percussæ Gen. XXXI, 46. mors Isaac Gen. XXXV, 29. tempus Judæ a fratribus discedentis



c. XXXVIII, 1. inversi ordinis exempla subministrant; eæ nec demonstrari singulæ, quod coherentia textus docet, nec, si quæ demonstrantur, eo trahi possunt, ut Moſen libri autorem inde negemus. Optimis ſane ac præſtantiffimis Scriptoribus in more videmus poſitum, pro re nata *περλήψεις, ὑπερολογίας* & anticipationes adhibere, neque tamen inde ordinis quædam luxatio, turbatis foliorum partibus, colligitur; & quæ tandem hæc conſequentia erit: dicta quædam ſunt in his libris per anticipationem & extra locum tempusque ſuum, ergo Moſes non eſt librorum ſcriptor? Quanquam, uti dictum, demonſtrare poſtulat ſuum, nedum conſuſionem iſthanc firmiter inde elicere, ad hunc diem nondum potuerint adverſarii, quicquid demum nudentur. Conf. Heidegger. *Exerc. Bibl. IX. §. 20. p. 263. & §. 31. ſqq. p. 272.*

III.

Conſignationis
ſubſidia:

Nullum itaque dubium ſuper eſt, Moſen Spiritu S. ſuggerente Ge-
neſin exaraffe: ſed quibus adjutus ſubſidiis eandem compoſuerit, non una
omnium eſt ſententia. Sunt, qui Patriarchas ſui quemque ævi annales
condidiſſe, quibus Moſes in rerum longe ante ſe geſtarum enarratione
uſus ſit, exiſtimant; quorum ſententiæ Clericum adſtipulari cap. præc.
obſervavimus; qui licet, qualia & quot fuerint ea Patriarcharum ſcripta,
definire non auſit, conſicit tamen, nonnulla carminibus *ὁμοιοτελέτοις*
exarata fuiſſe, cum & apud omnes fere gentes antiquiſſimarum historia-
rum fragmenta verſibus contineantur, & apud Hebræos tempore Moſis
uſitatum fuiſſe, ut magnarum rerum memoria carminibus celebraretur,
ex Moſis ipſius canticis conſtet Exod. XV. Deut. XXXII. In partes por-
ro vocat Muſicæ antiquitatem antediluvianam, quæ parem Poëſeos æta-
tem ſuadeat. Ad poſtremum tamen fatetur, Chronologiam, tot anno-
rum calculo conſtantem, verſibus includi vix potuiſſe. Sed ea omnia,
magno quanquam apparatu ſuffulta, uno *θεοπνευστίας* ariete concuſſa
corruunt, qua ſi gaviſum ſerio credamus fuiſſe Moſen, de inquirendis ma-
jorum monumentis, quorum adminiculo uſus ſit, parum ſolliciti erimus.
Quin imo ſi præſto quoque fuerint Patriarcharum annales, non tamen
iſtorum fide potius, quam immediata Spiritus Sancti ſuggeſtione & in-
ſpiratione niti Moſen oportuit, ut ipſius *πᾶσα γεγραφή* eſſet *θεόπνευστος*,
2. Tim. III, 16. non voluntate hominum allata, ſed a Dei Spiritu ſibi reve-
lata, 2. Petr. I, 21. Quare nec iis accedimus, qui ex traditione *πατροπαρά-
δοτος* ea, quorum ipſe pars non fuit, hauſiſſe Moſen & in literas redigiſſe
credunt. Quamvis enim nonnulla de his, quæ tradidit in Geſiſi, ha-
bere



bere potuerit ab Amramo patre suo, qui proavo Jacobo per tempus aliquod coævus eundem, uti Jacobus Abrahamum, & hujus pater Thara Noam audire potuit, cujus pater Lamech LVI. annos cum Adamo transegit; quibus *Patribus Deus mandaverat, opera sua nota facere filiis, ut cognoscat generatio altera*, Ps. LXXVIII, 5. Gen. XVIII, 19. rectius tamen soli *Deo* πνεύσιq; omnia tribuimus, absque qua fuisset, tot temporum, locorum, personarum, nominum præsertim & genealogiarum circumstantias, nulla hominum memoria complecti facile, aut absque lapsus & erroris periculo suppeditare potuisset. *Fuit igitur, sicut & reliqui Scriptores Sacri μαγνηκόλῃ θηκῶς ἀνωθεν πᾶσι ἀγγελῶς, affectus omnia celitus accurate*, Luc. I, 3. ut recte concludit Heidegger. *Enchir. c. 2. §. 2. p. 17.* Quid tandem de Cedreni habendum sit traditione, ex suppositio quodam, cui *Parva Genesis* nomen erat, monumento hausta, quasi Moses post institutionem Ægyptiacam, hominum consuetudine relicta, in solitudinem se contulerit, ibique a Gabriele Angelorum principe, ejusque revelatione, originem mundi, primum hominem ejusque statum, diluvium, linguarum confusionem, legem, quam Judæis erat traditurus, siderum motum, elementa, Arithmeticam, Geometriam, omnesque didicerit scientias, solide & proluxe monuit Waltherus *Offic. Bibl. §. 656. p. 469. sqq.* Sed nec de tempore, quo librum conscripserit, satis convenit inter omnes. Benedicto Pererio *præfat. Comment. in Genesin §. 12. p. 4.* vero videtur simile, ante discessum Hebræorum ex Ægypto, cum in terra Midian greges soceri sui pasceret, eum composuisse; quod & otio rum abundaret ac solitudine, duabus ad commentandum scribendumque rebus maxime opportunis; & vitæ Patriarcharum, quas Genesis exponit, egregia continentes virtutum, patientiæ ac bene vivendi documenta, multum prodesse potuerint Israelitis in Ægypto afflictis. Porro Eusebium eidem favere sententiæ contendit, dum *lib. XII. Preparat. Evang. cap. 7.* (ex Trapezuntii distributione cap. 2.) Mosén priscorum Hebræorum vitas, *ὡς ἐν προοίμιοις τῶν ἱερῶν νόμων, quæ sacris legibus cujusdam quasi proœmii loco essent*, memoriæ commendasse, iisque divina partim beneficia, partim nonnullorum, qui omnem cum divinitate pietatis sensum abjecerant, scelera simul ac pœnas intexuisse, testatur, ratum iis, qui legibus suis instituendi essent, eam cognitionem apprimè necessariam futuram, ut eos & ab improborum imitatione deterreret, & ad consecretanda proborum exempla stimularét. Verum ut in dubiis Eusebii verbis parum præsidii est: sic rectius omnino sentiunt Theodoretus *quæst. 1. in Genes.* & recentioribus To-

tempus

status



consilium.

status *ad cap. XIII. Genes. quest. 132.* ac nostratium fere omnes, quod post vocationem divinam, concessamque virtutem propheticam, imo post latam demum legem, cum in deserto populum circumageret, cultumque Numinis instauraret, librum hunc conscripserit, qui & propheticus est, nec alium quam Prophetam Θεόκλητον & Θεόπνευστον agnoscit autorem, & haud obscura latae legis vestigia exhibet. Tractat hanc quaestionem fusius Jac. Bonfrerius *append. ad cap. VII. praequ. in Script. S. p. 1066.* & Dav. Pareus *Prolegom. in Genesin p. 14.* Quo demum consilio, quibusve adductus rationibus, mundi generisque humani & ecclesiae cum primis origines & progressus ordine profecutus fuerit Moses, Theologi nostrates copiose tradiderunt, b. Gerhard. *Exeg. Loc. I. de Scriptura S. §. 119. p. 133.* & *Commentar. in Genes. proleg. p. 4. sq.* b. Calovius *Comm. in Genes. prolegom. p. 121.* b. Waltherus *c. l. §. 659. p. 477.*

IV.

Argumentum.

Contenta libri historica Stephanus Act. VII, 2 - 17. didactica Paulus Ebr. XI, 3-23. in compendium redegit, de quibus paulo post ex partitione & tabula Synoptica constabit. Licet vero Mosaica multa circa naturae originem & Deum rerum omnium opificem Plato in *Timaeum* atque in *Critiam* suum transtulisse videatur, ingens tamen inter Scriptorem prophetico lumine collustratum, & Philosophum gentilem, qui veritatem in injustitia detinuit, differentia intercedit, quam clarius expedivit Dav.

Scopus.

Pareus *Proleg. in Genes. p. 15. sqq.* Scopus porro Mosaicus eo tendit, ut redemptoris mittendi necessitatem, ex generis humani lapsu; certitudinem & qualitatem, ex promissionibus Patriarchis divinitus factis; cultum & fiduciam applicationem, Patriarcharum exemplo demonstraret: simul etiam ortum ecclesiae & varium per tot secula progressum, in Dei creatoris unice colendi gloriam, perpetuamque ecclesiae aedificationem explicaret. Quare haud alium libro inscribi posse titulum convenientiorem censet D. Brentius *Commentar. p. 2.* quam: *liber Evangelii, de promissionibus Christi.* Et Cyrillus Alexandrinus Geneseos explicationem (*T. I. Opp. Part. post. p. 1.*) ita auspicator, ut *lib. I. γλαφυρῶν Sermone I.* doceat, ὅτι διὰ πάσης τῆς Μωσέως γραφῆς τὸ τῶ Χριστοῦ μυστήριον αἰνιγματωδῶς σημαίνεται, quod per omnia Mosis scripta mysterium Christi figurate significetur. Hinc parum considerate Origenes, quæ in hoc libro historice exponuntur, in allegorias transformat, ut haud immerito b. Lutherus *lib. de servo arbitrio T. III. Jen. nullos scriptores ecclesiasticos ineptius & absurdius tractasse sacras literas, quam Origenem & Hieronymum* iudicet; & rur-



& rursus alibi hos duos *autores fuisse pestilentis huius exempli asserat, ne simplicitati scripturarum studeretur.* Vide quæ de allegorica ejus scripturam interpretandi ratione commentatur Huetius *Origentanor. Lib. II. cap. 2. qu. 13. p. 170.* Nec majorem meretur laudem Jacobus Brocardus, Italus, sed reformatam religionem amplexus, qui circa finem Seculi XVI. in Belgio vixit, editaque *mystica & prophetica Geneseos interpretatione* id egit, ut Mosaicam rerum gestarum enarrationem in futurorum eventuum, maxime sui temporis, v. g. de bello Hispanico, de Antwerpia, de Philippo rege Hispaniæ, de Principe Auriaco &c. prædictiones & vaticinia permutaret: quasi scilicet Spiritus S. omnes particulares res gestas per varia secula unico sensu literali, toties & sigillatim mystice ad unamquamque applicando, intendisset. Sed ecclesias Belgicas in Synodo Nationali Middelburgensi A. 1581. congregatas talem rationem prædicendi & scripturam interpretandi illico improbasse, & Brocardum per Lambertum Danæum, tunc Professor. Leidensem, & Martinum Lydium ecclesiasten Amstelodamensem postea Theol. Professor. Franequeranum, de hac *παραγρηγία* & vertigine monendum censuisse, tradit Voetius *Select. Disputat. P. II. disp. 68. p. 1075.*

V.

Res gestas complectitur Genesis ab orbe condito ad mortem Josephi, annorum 2369. quorum computus ad textus Hebraici normam ^{Chronologia.} compositus, ex Usserii, quem sequimur, calculo ita habet:

Ætas mundi PRIMÆ Antediluviana:

A.O.C.		Ætas Patriarch.	Genes.
I.	nocte illa, quæ d. 23. Octob. præcedit (quod supponitur) cælum ac terra creantur: sexto post die etiam Adam.		
130	Seth nascitur, ætatis Adami anno	130	c. V, 3.
235	Enos nascitur Setho, annos nato	105	c. V, 6.
325	Cainan nascitur Enos, annos nato	90	c. V, 9.
395	Mahaleel nascitur Cainano, annos nato	70	c. V, 12.
460	Jared nascitur Mahaleeli, annos nato	65	c. V, 15.
622	Enoch nascitur Jaredi, annos nato	162	c. V, 18.
687	Methusalah nascitur Enocho, annos nato	65	c. V, 21.
874	Lamech nascitur Methusalæ, annos nato	187	c. V, 25.
1056	Noachus ab Adamo decimus nascitur Lamecho, annos nato	182	c. V, 29.
			1556 Ja-

A.O.C.	Ætas Pa- triarch.	Genes.
1556 Japhet primogenitus nascitur Noacho, annos nato	500	c. V, 32. & X, 21.
1558 Semus secundo-genitus nascitur Noacho; quippe qui biennio post diluvium centum annorum fuisse dicitur		c. XI, 10.
1656 diluvio orbis perit, anno ætatis Noachi 600. adeoque post natum Japhetum anno	100	c. VII, 6. 11.
menſe 2. die 17. ingreſſus eſt Noah arcam, & pluviã 40. dies & noctes terræ immiſit Deus, & prævaluerunt aquæ ſuper terram 150. diebus (includiſis illis 40. dieb.) vel 5. menſibus		c. VII, 11. ſqq. c. VIII, 4.
menſe 7. d. 17. aquis deficientibus arca requievit in uno montium Ararat		c. VIII, 5.
menſis 10. d. 1. vertices montium conſpecti ſunt, cum arca jam 74. dies in montibus conſtituiſſet		c. VIII, 5.
menſis 11. die 11. h. e. poſt 40. dies emiſſus eſt corvus: d. 18. poſt ſeptem dies columba emiſſa, quæ reverſa eſt d. 25. poſt alios 7. dies iterum columba emiſſa, quæ reverſa folium olivæ retulit		c. VIII, 7. ſqq. c. VIII, 12.
menſis 12. d. 2. columba poſt octiduum denuo emiſſa, non rediit		
Hinc ab Orbe condito ad Diluvium annorum ſumma		
	1656	
A.O.C. <i>Ætas mundi SECUNDA, a reſtaurato mundo, uſque ad Abrahæ vocationem.</i>	Anni Pa- triarch.	Genes.
1657 menſe 1. die 1. removit Noah operculum arcæ		c. VIII, 13.
menſe 2. die 27. Noachus ex arca egreſſus ſoteria Deo immolavit, annos natus 601. Deus terræ ſe non amplius maledicturum promiſit, atque iridem ſignum fœderis conſtituit		c. VIII, 14. ſq.
		1658 Ar.

A.O.C.	Anni Pa- triarch.	Genes.
1658	Arphaxad nascitur Semo centenario, anno post diluvium	2 c.XI,10.
1693	Salah nascitur Arphaxado, annos nato	35 c.XI,12.
1723	Eber nascitur, Salah patre annos habente	30 c.XI,14.
1757	Phaleg nascitur, cum Noah terram inter nepo- tes distribueret, Ebero annos nato	34 c.XI,16.
1787	Regu nascitur, Phalego annos habente	30 c.XI,18.
1819	Serug nascitur, Regu annos habente	32 c.XI,20.
1849	Nahor nascitur Serugo annos habente	30 c.XI,22.
1878	Thara nascitur Nahori, annos nato	29 c.XI,24.
2006	Noah annos natus 950. moritur, annis post diluvium 350. Vixit cum Patre Lamech annis 595. cum avo Methusalah 600. cum Proavo Jared 366. cum Mahalaele 234. cum Cainan 179. cum Enos filio Seth ne- pote Adami 84. Rursus cum filio suo Se- mo 448. cum nepote Arphaxad 348. cum Salah 313. cum Eber 328. cum Phaleg 239. cum Regu 219. cum Serug 187. cum Na- hor 148. cum Tharah 128.	
2008	Abram nascitur Tharæ, anno ætatis ejus	130 c.XI,32. XII,1.4. & Act.
2083	Abram a Deo ex Ur Chaldæorum vocatus, Charanem proficiscitur, annos natus	VII,4. 75 c.XV,7. Josue XXIV, 12.3.
Hinc a diluvio ad Abrahæ vocationem anno- rum summa est		427
qui juncti superiori summæ, annos Orbis con- ficiunt 2083.		



A.O.C. Epochæ TERTIA Abrahami & seminis ejus.		Anti Pa- triarch.	Genes.
2108	Isaac nascitur Abrahamo centenario, & Saræ nonagenariæ anno post exitum Abrahami	25	c.XVII, 17. 21.
2168	Esavus & Jacobus gemelli nascuntur Abrahamo 160. Isaac annos habente	60	c.XXV, 26.
2259	Joseph nascitur ex Rahele, Jacobo annos habente 91. finito 14. anno servitutis apud Labanem		c.XXX, 25. coll. c.XLV, 6. & XLVII, 9.
2289	Josephus annos natus 30. Pharaonis somnia interpretatus, Pro-Rex in Ægypto constituitur.		c.XLI, 6. & XLVII, 9.
2296	Initium septennii famis in Ægypto		c.XLI, 6.
2298	tertio famis anno Jacobus cum familia sua in Ægyptum descendit, annos natus	130	c.XLVII, 9.
2369	Josephus moritur annos natus 110. post Patris ac familiæ in Ægyptum descensum, anno	71	c. L, 22.
Hinc a vocatione Abrahamæ ad mortem Josephi, qua Geneleos chronologia absolvitur annorum summa		286	
Cui si adjeceris summam Epochæ antediluvianæ:		1656	
Ut & Annos Epochæ Patriarchalis ad Abrahamum usque:		427	
Prodibit Summa ab O. C. annorum		2369	

Hæc ad ductum textus Hebraici plana sunt, nec difficultate ulla laborant. Quam tamen, ne deesset scrupulus, injecerunt intempestivi *μωρολογιστὰς* Patriarchalis impugnatores, quorum sententiam his verbis exponit Augustinus *Lib. XV. de Civ. Dei cap. 12.* Neque enim ullo modo audiendi sunt, qui putant, aliter annos illis temporibus computatos, id est, tantæ brevitatis, ut unus annus noster decem illos habuisse credatur. Quapropter inquit, cum audierit quisque vel legerit, nongentos annos quemquam vixisse, debet intelligere nonaginta. Decem quippe illi anni unus est noster: & decem nostri centum illi fuerunt. Ac per hoc, ut putant, viginti trium annorum fuit Adam, quando genuit Seth: & ipse Seth viginti habebat

bebat annos & sex menses, quando ex illo natus est Enos, quos appellat Scriptura ducentos & quinque annos. Quoniam sicut isti suspicantur, quorum exponimus opinionem, unum annum, qualem nunc habemus, in decem partes illi dividebant, & easdem partes annos vocabant. Quarum partium habet una quadratum senarium, eo quod Deus sex diebus perfecit opera sua, ut in septimo requiesceret. &c. Cap. sequenti XIII. hanc allegat rationem diversitatis computi Hebraici & LXX. senum Græci; sciolum quendam mutasse in LXX. Interpp. versione numeros, idque ideo, quia putarit, hic accipi debere annos menstruos; insolitum enim ait & παρόδοξον videtur, quod homines tum vixerint 900. annos solidos. Sed cum ille ipse rursus sibi objici posse animadverteret: si anni fuerint menstrui, ergo qui centesimo anno dicuntur generasse, generarunt anno secundum nos octavo, vel decimo; inde, quo hoc effugeret incommodum, ducenta pro centum supposuisse. Sed & Varronem in ea fuisse sententia, ut Lunares seu menstrui intelligantur anni, Lactantius testis est *Lib. 2. Divin. Instit. c. 13.* Longam primorum hominum vitam fuisse, quæ in mille annos propagaretur, divinis literis proditum & per omnium scientiam publicatum, cum Varro non ignoraret, argumentari nixus est, cur putarentur antiqui mille annos vixisse? Ait enim apud Ægyptios pro annis menses haberi, ut non Solis per duodecim signa circuitus faciat annum, sed luna, quæ orbem illum signiferum triginta dierum spatio illustrat: quod argumentum perspicue falsum est. Et recte quidem falsum id Lactantius pronunciat. Quicquid enim sit de Ægyptiorum anno, de quo idem testatur Macrobius *Saturnal. L. I. c. 12.* & Plinius *Lib. VII. Hist. Nat. c. 48.* anni sane Biblici pluribus uno mensibus definiuntur, in ipsis etiam diluvianis Annalibus, in quibus præter mensem primum, mensis secundi Gen. VII, 11. VIII, 14, mensis septimi c. VIII, 4. & decimi v. 5. fit mentio. Et validum omnino contra hanc sententiam, ab inepto generationi Patriarcharum a Mose tributo tempore petitum argumentum est, quod paulo ante ex Augustino tetigimus. Pone enim annum antediluvianum menstruum, vel decimam anni nostri partem fuisse, sequetur, Patriarchas vix 5. 6. 7. &c. annos habentes generasse, quod quam absurdum sit, quis non videt? Sed alia adhuc gravior superest chronologiæ Geneseos difficultas, ex discrepantia calculi Hebraici & Græci LXX. Seniorum tanta, ut posterior 606. annis superet priorem, diluvium in annum orbis conditi 2262. conjiciens, quod anno jam 1656. contigisse, Hebræus textus supra docuit. Quæ ut eo clarius eluceat discrepantia, utrumque subjiciemus & conferamus calculum:

I 3

Elapfi



Elapfi nimirum sunt anni	secundum Hebræos			LXX.
a creatione ad natum usque Sethum	-	-	130	230
hinc ad Enosum	-	-	105	205
hinc ad Cainanem	-	-	90	190
ad Mahaleel	-	-	70	170
ad Jared	-	-	65	165
ad Enoch	-	-	162	162
ad Methusalem	-	-	65	165
ad Lamechum	-	-	187	187
ad Noachum	-	-	182	188
ad diluvium	-	-	600	600

Summa annor. ad diluvium: 1656 2262

Unde differentia 606. annorum inter utrumque calculum.

Et Græcæ quidem versionis patrociniū, etiam cum convicio Hebraicæ veritatis, in se susceperunt Ludov. Cappellus, Isaacus Vossius & Brianus Waltonus: contra vero pro Hebraica stant annorum lectione ipse Augustinus c. l. nimium licet alias Græcæ τῶν LXX. versionis auctoritatem Lib. XVIII. de Civ. Dei c. 43. veneratus, & moderni Theologi ac Chronologi fere omnes. Vide b. Strauchium *Breviar. Chronol. lib. IV. cap. 3. qu. 3. 4. 5. p. 386. sqq.* & b. Calovium *Chron. Bibl. Sect. II. qu. 2. p. 61. sq.* qui e consensu codicum Ebræorum, e versionum consonantia, e varietate Græcorum exemplarium, & varietate editionum LXX. Interpp. ex incertitudine vel vitiatione τῶν LXX. ex evidenti errore versionis Græcæ circa annos Methusalæ, validissime contra Græcum computum & pro Ebræo concludit. Unum tamen, quod haud exigui ponderis speciem præ se fert, dubium movent oī LXX. Cainanis inter Arphaxadum & Salam in Epocham postdiluvianam insertionem, quem Hebraicus textus ignorat. Ita nimirum Gen. XI, 12. 13. Græca versio habet: καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριάκοντα πέντε ἔτη καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν. - καὶ ἔζησε Καϊνᾶν ἑκατὸν καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλᾶ. Et vixit Arphaxad 135. annos & genuit Cainanem: & vixit Cainan centum & triginta annos & genuit Salam: quo ipso calculum Ebræum nova generatione pariter ac CXXX. annis auget. Maximum vero robur ex Lucæ repetitione hæc lectio nanciscitur, eundem Cainanem inter Arphaxad & Salam medium inferente c. II, 36. ut Scaliger rei difficultate motus, no-

dum



dum hunc inter ἀποκα S. Scriptura referat, & Elia aliquo vindice opus habere censeat. Verum cum Gen. I. c. & 1. Chron. I, 18. 21. in Hebraico non modo absit textu Cainan iste, sed & a Chaldaeis paraphrastis, a Iosepho, ab Eusebio & Origene omittatur, supposititium illum esse, rectius creditur, quam ut in Græcæ versionis gratiam fontes corruptos statuamus. In Lucæ vero narrationem & textum intrusum eundem, vel e margine præter necessitatem a correctoribus aut notariis illatum fuisse, & vetustissimus Cantabrigiensis, quo Beza olim usus fuit, codex docet, Cainanem prorsus silens; & exacta Novi Test. cum Vet. harmonia suadet. Sed in his fufius deducendis otium nobis fecit vir eruditissimus Frid. Spanhemius *Dubior. Evang. P. I. Dub. XXIII. p. 137.* & e nostris b. Galovius in *Critico Sacro p. 750 - 761.* ubi quicquid ad hanc controversiam pertinet, prolixè reperiens expositum & ad examen vocatum. Nervose cumprimis Spanhemius §. 25. p. 175. rationes in compendium misit, ob quas Cainanem & in versione LXX. & in Catalogo Lucæ expungendum censeat: autoritatem nempe 1. Moſis & Scriptoris Paralipomenon, 2. Paraphraseon Chaldaicarum, 3. Iosephi & tot Patrum, 4. conturbationem Chronologiæ sacrae, 5. errores alios in LXX. versionem passim infartos, & illo ipſo loco in numeris 6. majorem probabilitatem, errorem Lucæ per fraudem vel incuriam affictum, quam sacrum Scriptorem ultro eum sequutum fuisse.

VI.

Divina & canonica, quam vocant, Geneseos quin & totius Penta-
teuchi autoritas ex iis, quæ *cap. preced. §. III.* allata sunt, haud obscure
elucescit; nec divinum, quo Spiritus S. Moſen mactavit Num. XII, 7.
Hebr. III, 5. elogium, mala ipſum fide pro Θεοπνευστοῖς venditaſſe huma-
na ingenii ſui figmenta, ſuſpicari ſinit. Præterea per univerſam Scripturam
libri Moſaici a Deo ipſo ac Prophetis, in novo autem Fœdere a Chriſto
Θεὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ejusque Apoſtoliſ canonice autoritatis teſtimonium ferunt,
adeo ut Salvator in diſputationibus cum Pharifæis & Sadducæis ad unum
fere Moſen, ceu fidei normam provocet, Matth. XIX, 4. 5. XXII, 29. ſuæque
paſſionis & reſurrectionis myſterium ex canone Moſaico, ad divinam
diſcipulis fidem ingenerandam, demonſtret Luc. XXIV, 27. 44. quod &
Apoſtoli in Actis atque Epiſtoliſ ſuis frequentiffime obſervant. Accedit
teſtimonium univerſæ tot ſeculorum eccleſiæ Judaicæ, cui credita fuiſſe
eloquia Dei (& in his Moſaica) Apoſtolus aſſeverat Rom. III, 2. Ut ta-
ceam, quæ ex intrinſeciſ περιηγητοῖς, rerum puta majeſtate, ſermonis di-
vini

Divina aucto-
ritas
aſſertur

yini



vini charactere, vaticiniorum veritate &c. peti solent argumenta. Quæ
 prolixè persequuti sunt ex Reformatis Doctoribus Heideggerus *Exercit.
 Bibl. X. p. 275.* & P. Allix *Reflexions sur les livres de l'Ecriture Sainte
 P. I. c. 5. sqq.* & P. II. tot. ex nostratibus b. Waltherus *offic. Bibl. §. 658.
 p. 472.* b. Lyserus *in Adamo Proem. p. 6.* b. Calovius *Comm. in Genes. pro-
 leg. p. 109. sqq.* b. Gerhardus *proleg. in Gen. p. 2. sq.* qui omnino videan-
 tur. Neque tamen sic a blasphemii Juliani τὸ ἐν Ἀθεοῖς Athei & Apo-
 a Juliano impugnata. statæ insultibus fuit immunis, creationis historiam cum primis suggil-
 lantis & cum Platonis de mundi opificio somniis contendentis. In re-
 censendis pariter ac refutandis iis, quæ ad infringendam divinam Mo-
 saicorum auctoritatem in medium ab ipso proferebantur, prolixè versa-
 tur Cyrillus Alexandrinus *Lib. II. contra Julian.* edit. Lipsiens. Spanhem.
p. 49. sqq. ubi minus accurate rerum omnium productionem Moſen de-
 scripsisse, hunc in modum Julianus criminatur: *Nec enim abyssum factam
 ait a Deo, nec tenebras, nec aquam; tamen, cum lucem Dei jussu factam
 scripsisset, idem plane de nocte, abysso & aqua dictum oportuit: verum ta-
 men de illis, quasi de rebus factis, nihil prorsus loquitur, cum identidem ea
 commemoret. Quid quod ne Angelorum quidem meminit, quomodo crea-
 ti aut facti, nedum qua ratione producti fuerint; sed corpora duntaxat
 commemorat, quæ cælo aut terra continentur, ita ut secundum Moſen nul-
 lam rem incorpoream Deus fecerit, sed materiam tantum subjectam diges-
 serit: ad quæ Cyrillus ita respondet, Moſen ut non minute de rerum
 natura disputare propositum habuisse, aut de primis principiis & ele-
 mentis, sed scopum illi fuisse contendat τὸν τῶν τῆνικαδὲ νῦν τοῖς τῆς
 ἀληθείας ἐπιστῆσαι δόγμασι, eorum, qui tum erant, hominum mentem
 doctrina veritatis informare, cum religionis ignorantia laborantes, crea-
 turis servierint plurimi. Utilissime ergo nimiam istam subtilitatem ab
 oratione sua removisse, ad scribendas res magis necessarias conversum.
 Neque sane ad salutem ea nobis cognitu necessaria est tractatio, nec in
 tanta narrationis brevitate possibilis, nec ad scopum tandem Scripturæ
 generalem quicquam faciens. Angelorum vero mentionem expressam
 facere e re non erat, obscuram tamen non neglexit, dum c. II, 1. cælum
 ac terram cum omni exercitu illorum a Deo ortum trahere asseruit.
 Negabat porro Julianus, fide digna esse, quæ de Paradiso a Deo plantato,
 de homine ex luto ficto, de muliere illi in adjutricem data, quæ tantum
 abest, ut ipsum adjuverit, ut potius deceperit; sic & quæ de locu-
 tione serpentis cum Eva in Genesi traduntur: τὰυτα γὰρ ἐστὶ μυθώδη
 παντελῶς*



παντελῶς, hæc enim fabulosa plane esse, concludit. Quibus profligandis *librum III. integrum* insumit Cyrillus, erudite perquam regerens, longe hæc credibilia esse Pandora Hesiodi, luto Promethei, horto Jovis, locutionibus equorum, fluminum, arborum, de quibus prodigiose fabulantur Poætæ, neque tamen ea propter fidem ipsis denegari. Mulierem porro Adamo datam adjutricem ad liberorum procreationem, non ad consilium & deliberationem. Dæmonem in serpente locutum, eoque in seducenda Eva organo usum, quæ animalium facultatem nondum experta, arbitrata forsitan fuerit, aliis quoque animalibus datum vocis humanæ usum. Fabulosum namque in Scriptura nihil esse, veritatis plena esse omnia: εἰ δὲ αὐτὸς ἀπιστεῖ, φαίην αὖν, ὅτι ἔ πάντως διὰ τῆτο εἶεν αὖν ἀνέφικτα τὰ ληθῆ· ὁ δὲ τοῖς ἀληθέσιν ἔχ ὁμολογῶν, γελῶτο αὖν ἐν δίκῃ. *quod si ipse non credit (Julianus) non propterea percipi veritas nequit. Ille autem veris non assentiens, merito rideatur,* subjicit p. 88. Et satis infelicitè de sacris literis omnino ageretur, earum si autoritas & fides cujuslibet Apostatæ staret aut caderet existimatione. Sed missis istis ad alia transimus.

VII.

In partienda Genesi alii aliam ingressi sunt viam. B. Erasmus Marbachius *Comm. in Gen. p. 3.* partes principales constituit duas: I. historię mundi recens conditi & in primo flore suo constituti; II. mundi post peccatum sub servitute corruptionis & vanitatis constituti; quæ rursus p. ante - p. postdiluvianam historiam complectitur. B. Polycarpo Lysero vero, quem e nostratibus Gerhardus, Waltherus, Friedlibius, Calovius & e Reformatis Dav. Pareus sequuntur, commodior secundum Patriarchas visa fuit distributio, ita ut Pars I. Adamum c. 1-6. II. Noachum a c. 6-12. III. Abrahamum c. 12-25. IV. Isaacum c. 25, 11-28, 9. V. Jacobum c. 28, 10-37. VI. Josephum sistat a c. 37. ad libri finem. Heideggerus *Enchir. Bibl. p. 19.* argumenti rationem habens, Partem I. originis rerum omnium facit c. 1. & 2. II. mundi prioris c. 3-7. III. mundi posterioris sub Patriarchis a Noa ad Josephum c. 8-50. Nobis ea cum primis partitio se probat, quæ temporum seriem substernit, & in certis historię periodos librum dispescit, ita ut P. I. *originem* mundi & ecclesię ad diluvium c. 1-8. II. mundi & ecclesię a diluvio *restorationem* usque ad Abrahamum c. 9-11. III. ecclesię per fœdus gratiæ cum Patriarchis initum *confirmationem*, & vitas Patriarcharum ab Abrahamo ad Josephum c. 12. ad finem, exhibeat.

K

VIII.



Tabula
Synoptica.

Genesis historiam orbis & ecclesiæ cum primis exponens, utriusque tradit

I. originem : ad quam spectat descriptio

- α) universalis creationis c. 1.
 β) status innocentiae c. 2.
 γ) lapsus c. 3.
 δ) hominum propagationis p. per Protoplastos c. 4.
 p. per Sethum & Patriarchas c. 5.
 ε) diluvii, delineati qua antecedentia c. 6.
 qua factum ipsum & modum c. 7.
 qua consequentia c. 8.

II. restaurationem, factam per

- α) divinam benedictionem c. 9, 1-17.
 β) Noë & familiæ conservationem c. 9, 18-*fin*.
 γ) generis humani per filios Noachi propagationem c. 10, & 11.
 ubi simul turris Babelicæ exstructio c. 11, 1-9.

III. confirmationem & gubernationem sub Patriarchis : & quidem sub

- a) Abrahamo: ubi
 1. in terram Canaan c. 12, 1-9. & Ægyptum profectio v. 10-11.
 2. Abrahæ ac Lothi separatio c. 13.
 3. bellum Pentapolitanum & Melchisedeki benedictio c. 14.
 4. seminis benedicti sacrificio firmata promissio c. 15.
 5. conjunctio cum Hagare ancilla, ejusque fuga c. 16.
 6. nominis Abrahæ immutatio & circumcisionis institutio c. 17.
 7. Sodomæ excidium p. Abrahamo revelatum c. 18.
p. reapse peractum c. 19.
 8. Saræ raptus Abimelechicus c. 20.
 9. Isaaci natiuitas c. 21, 1-8.
 10. Hagaris cum Ismaële ejectio c. 21, 9-21.
 11. Abrahami cum Abimelecho fœdus c. 21, 22-34.
 12. Abrahami ad mactandum filium tentatio c. 22.
 13. mors ac sepultura Saræ c. 23.
 14. Isaaci matrimonium, pronubo Eleasare contractum c. 24.
 15. Abrahami mors c. 25, 1-11.
 16. Abrahami ex Ismaële posteritas c. 25, 12-18.

β) Isacco

β) Isaaco: ubi

1. filii, seu Esavi & Jacobi nativitas c. 25, 19 - 28.
2. prima inter filios dissensionum semina, primogenituræ venditione excitata c. 25, 29 - 34.
3. Isaaci peregrinatio & gesta in terra Gerar, c. 26, 1 - 23.
4. Esavi conjugium c. 26, 34 - *fin.*
5. Isaaci benedictio filiis impertita c. 27.

γ) Jacobo: ubi ejus

1. in Mesopotamiam fuga c. 28.
2. geminum matrimonium c. 29, 1 - 30.
3. familia c. 29, 31 - *fin.* c. 30, 1 - 24.
4. reditus in Canaanem
 - N. qua antecedentem mercedis consequutionem c. 30, 25. *sqq.*
 - ⌌. qua concomitantia: scilicet
 - institutum iter c. 31, 1 - 21.
 - Labanis hostilem insecutionem c. 31, 22 - *fin.*
 - luctam divinam c. 32.
 - Esavi occursum & reconciliationem c. 33.
 - Dinæ stuprum & Sichemitarum cædem, c. 33, 17. *fin.* & c. 34. *tot.*
 3. qua consequentia, scilicet
 - in Bethel habitationem c. 35, 1 - 15.
 - Rahelis mortem & sepulturam c. 35, 16 - 20.
 - Rubenis incestum v. 21 - 26.
 - Jacobi ad patrem reditum v. 27 - 29.
5. fratris Esavi familia & posteritas c. 36.

δ) Josepho: ubi

1. res adversæ Josephi & Jacobi: nimirum
 - N. Josephi venditio c. 37.
 - ⌌. Judæ infausa soboles & incestus c. 38.
 3. Josephi captivitas c. 39.
2. res eorundem secundæ: nimirum
 - N. Josephi in interpretandis somniis donum propheticum, c. 40. & c. 41, 1 - 36.
 - ⌌. Josephi exaltatio c. 41, 37 - *fin.*

K 2

3. fra-



3. fratrum Iosephi tentationes :
prima c. 42. secunda c. 43. tertia c. 44.
7. Jacobi in Ægyptum descensus
qua apparatus & antecedentia c. 45.
qua actum & concomitantia c. 46.
qua consequentia c. 47.
7. Jacobi beata ἀνάλυσις, descripta
qua antecedentem benedictionem
partim filiorum Iosephi c. 48.
partim singularum tribuum c. 49, 1-27.
qua factum ipsum c. 49, 28-fin.
qua consequentia c. 50.
a. Jacobi sepulturam c. 50, 2-14.
b. fratrum Iosephi deprecationem v. 15-21.
c. Iosephi mortem v. 22-fin.

XI.

Commen-
tatores :
Patres,

In Commentariorum recensione sicco præteribimus pede, quos *cap. præced. §. 9.* in Pentateuchum allegavimus. E sanctorum Patrum ordine ORIGENEM XIII. commentariorum libris Genesin explicasse; præterea quoque mysticarum homiliarum adjecisse libros duos, autor est Hieronymus apud Rufinum *Invectivæ lib. II.* Dolendum vero, hunc utrumque temporum injuria intercidisse laborem, nec superesse hodie nisi XVII. homilias, ex Latina Rufini versione, quæ *Opp.* Origenis Latina editione, Parisiis A. 1512. exscripta *T. I.* exhibentur. Has vero etiamnum superstites e mysticarum numero ac censu esse, contra Sixtum Senensem negat Huetius *Origenian. lib. III. cap. 2. Sect. 3. §. 1. p. 244.* ex tempore recitatas eas, existimans, & ab actuariis in literas relatas, cum mysticæ ex adverso meditate ac per otium elaboratæ fuerint. E commentariorum vero libris fragmenta nonnulla, ab Eusebio *lib. VI. & VII. de Preparat. Evang. & Philocaliæ c. 14.* asservata, Huetius exhibet *Commentar. Origen. P. I. sub init.* non tam ut famem sedaret, quam ut ex ungue cognoscendum sisteret leonem. Meliore antiquitas fide JOANNIS CHRYSOSTOMI in Genesin lucubrationes ad posteros transmisit, in cujus *T. II. Opp.* homiliæ LXVII. in hunc librum, tum & sermones varii in quædam Geneseos loca, integre extant. Gregorium utrumque, Basilium & alios taceo, quod in exiguas saltem Geneseos pericopas, & in hexaëmeron cumprimis commentati sunt, librum integrum intactum relinquentes. Catenam vero Græcorum Patrum in
Gene-



Genesin Aloysius Lippomannus edidit, recusam II. Tomis in quarto Lugduni Anno 1637. E Latinis AVGVSTINVS præter quaestiones, *cap. præced. §. 9.* citatas, libros XII. de *Genesi ad literam* composuit, qui *T. II. Opp. p. 499.* conspiciuntur: ejusdem porro operis imperfecti liber unus *T. cit. p. 477.* extat. Quin & XXXIII. ejus *adversus Faust. Manichæum* libri huc spectant, quibus blasphemias & convicia hominis in Deum ac Patriarchas retundens, Genesin egregie illustrat. AMBROSIVS hexaëmeron libros VI. (*T. IV. Opp. p. 3.*) de Paradiso librum I. (*c. l. p. 92.*) de Cain & Abel libb. II. (*p. 114.*) de Noë & Arca lib. I. (*p. 142.*) de Abraham Patriarcha libb. II. (*p. 172.*) de Isaac & anima lib. I. (*p. 213.*) de Josepho Patriarcha I. I. (*p. 245.*) de benedictionibus Patriarcharum lib. I. (*p. 261.*) post se reliquit. Huc etiam refertur ALBINI ALCVINI Angli, qui circa annum Chr. 780. Abbas Monasterii S. Martini apud Turonenses fuit, Bedæ Auditor & Caroli M. Præceptor, interpolatæ expositionis ex Patrum sententiis in Genesin brevis Commentarius, forma dialogistica conscriptus, qui *To. VII. Bibliothecæ PP. Bignæi Coloniae A. 1565.* impressæ exhibetur.

E nostris primas tenet b. LVTHERVS, absolutissimo in Gene-^{Lutherani,} sin Commentario, qui *T. IV. & IX. Altenburgensi, & T. VI. Lat. Wittenbergensi* sistitur, & communi Theologorum, quotquot pii cordatique fuerunt, calculo & consensu approbatur. *Præclarus Commentarius in Form. Concordiæ* audit *p. 668.* B. Chytræus, judiciosissimus sane Theologus, in *dedicatione enarrationis suæ in Genesi* hoc eum elogio mactat: *Extat in Genesi enarratio Rev. Viri D. Mart. Lutheri, quam postremo suæ vitæ decennio in Academia Vitebergensi, velut Cygnæam cantionem, omnibus numeris absolutissimam edidit. In qua divinus ille interpret, nostro tempore ad instaurationem veræ de Deo doctrinæ excitatus, præter amplissimum sanctæ eruditionis & sapientiæ spiritualis thesaurum, uberrimam orationis copiam, & exactam omnium locorum & questionum intricatarum explicationem: adhibuit etiam & penitus orationi suæ inseruit mirificam devotæ & vim permovendi animos lectorum, & ad veram pietatem, timorem Dei, fidem & ceteras virtutes inflammandi. - - Quod si in omni genere doctrinarum optima quæque scripta sibi ad discendum & imitandum singuli proponere debent: adhortandi certe sunt omnes pii, ut hanc Lutheri cantionem Cygnæam attente & diligenter legant, & sibi familiarem reddant præ ceteris aliorum quorundam auctorum scriptis, eruditæ quidem ac copiosæ: sed tamen, quod ad sapientiæ cælestis & rerum*



gravissimarum majestatem & vim permovendi ad pios & spirituales motus incendendi animos lectorum attinet, tantum cedentibus Lutheri scripto, quantum cetera stellæ $\Phi\omega\sigma\Phi\acute{o}\varsigma$ seu solis potius lumine & splendore superantur. Timoth. Kirchnerus *præfat. in thesaurum Lutheri Germanicum A. 3. b.* de hoc Lutheri commentario ita sentit: Das Buch mag man wohl heissen das Consummatum est D. Lutheri. Denn zu dem Buch müssen alle Theologi in die Schule gehen/und wirds keiner ausstudieren/ desß bin ich sicher und gewiß. In dem Buch hat der Mann Gottes fast die fürnehmsten und größten Artikel unsers Christlichen Glaubens so deutlich und reichlich gehandelt/ daß seines gleichen/ ausgenommen die heil. Bibel/ nicht auf die Welt kommen ist/ auch freylich nicht kommen wird. $\approx \approx$ Es wird wohl Thesaurus Thesaurorum, und ein unerschöpflicher Brunn alles Trostes neben der Bibel seyn und bleiben. Sic & b. Dan. Cramerus in *Isagoge Pet. Palladii ad libros Prophet. & Apost. p. 26.* commentatorem in Genesin Luthero præstantiorem extare negat, qui totum decennium tractavit explicationem hujus libri publice, & illi libro tanquam ultimæ suæ & Cygnæ cantioni pie immortalis est. Quem librum qui non legit, Theologi nomine indignus est. Succedit HIERONYMVS WELLERVS, in cujus Tomo Opp. Germanico succincta quidem & perbrevis, pia tamen Geneseos enarratio exhibetur a p. 3-32. Amplior utique NICOL. SELNECERI Commentarius est, cum Chronologia ab initio mundi usque ad exitum populi Israelitici ex Ægypto, Lipsiæ in fol. editus A. 1579. DAVIDIS CHYTRÆI annotationes Wittebergæ in 8. recusæ sunt A. 1590. GEORGII FABRICII commentarius Lipsiæ A. 1584. & 1596. in 4. typis exscriptus est. SALOM. GESNERVS disputationibus publicis 38. Wittenbergæ 1604. Genesin explicavit. Paulo post DAVID. RVNGII prælectiones in Genesin Wittebergæ in 8. A. 1608. prodierunt. HERMANNI HAMMELMANNI annotationes in Genesin, quibus in ceteros Mosaicos libros juncta est Isagoge Lipsiæ in fol. excusæ sunt A. 1600. Hos tamen doctrinæ rerumque copia longe superat b. POLYCARPVVS LYSERVS Senior, qui duobus voluminibus in 4. Lipsiæ A. 1604. sqq. editis, vitas Patriarcharum persequens, iusto commentario Genesin ordine & perspicue illustravit. B. ÆGIDIVS HVNNIVS capp. XXI. saltem priora hujus libri quæstionibus elucidavit, quæ lucubratio, lectionibus publicis destinata, Marpurgi seorsim prodit in 8. A. 1592. Operum vero To. I. fere



fere sub finem exhibetur p. 1424. Posthumum opus b. JOH. GERHARDI in Genesin, e scriniis paternis produxit & ab interitu vindicavit filius Johannes Ernestus, Jenæ A. 1654. Porro CHRISTIAN. CHEMNICIVS quæstiones in Genesin decem disputationibus Jenæ A. 1665. expedit. Quo paulo uberius est ABRAHAM CALOVII Commentar. in Genesin, e prælectionibus ipsius publicis concinnatus, & Wittebergæ in 4. A. 1671. excusus. ISAACVS FROERELSENIVS Theol. Argentoratens. vindicias synopticas pro S. Geneseos codice, contra Rob. Bellarmini iniquissimum ejus abusum in IV. tomis Controversiarum proditum, Argentorati evulgavit in 4. A. 1634. 1638. Qui homiliis ad populum de suggestu, vel in hos usus librum explicarunt, sunt D. VINCENTIVS SCHMVCCIVS, qui historiam Patriarchalem 379. concionibus absolvit, Lipsiæ editis in 4. A. 1604. 1609. D. SIMON GEDICCVS qui 240. concionibus in V. Partes distributis enarravit, Lipsiæ in fol. 1611. D. SIMON MVSÆVS, qui 116. concionibus totam Genesin complexus est, Magdeburgi in fol. A. 1595. JOHANNES COGELERVS Catechismo Genesin applicavit in Erklärung des I. Buchs Moses/ durch alle Stücke des heiligen Catechismi/ Rostochii in 4. A. 1604. Ut Johannem Matthesium, Lucam Osiandrum, Johannem Cronerum, Gregorium Strigenicum & alios taceam, qui diluvii historiam seorsim multis homiliis prolixè enarrarunt. Spectant huc VALERII HERBERGERI Magnalia Dei Part. I-IV. CASPAR. Goldwurms fürnehmste Allegorien oder geistliche Bedeutungen des ersten Buchs Moses. Francfurt in 4. A. 1571. & si quæ sunt alia.

Inter Pontificios THOMÆ AQUINATIS celeberrimum nomen est, cujus *expositio aurea Geneseos, literalem sensum atque spiritualem complectens*, edita est opera Antonii Senensis Lusitani, Lugduni in 8. A. 1573. & in fol. 1638. MARTINVS ANTONIVS DELRIO Soc. Jesu Sacerdos & Scripturæ S. Professor P. Salmanticensis, *Pharum sacre sapientie* s. Commentarium in Genesin Lugduni in 4. A. 1608. edidit: perrecturus in ceteros Mosaicos, nisi mors intercepisset, teste Jerem. Drexelio *Aurifodina* P. I. cap. 5. quo integram Delrionis biographiam exhibet T. II. Opp. p. 1056. sqq. BENEDICT. FERDINANDEZ Borbensis Commentariorum atque observationum moralium in Genesin Tomos III. in fol. evulgavit, Lugduni A. 1618. 1621. 1627. sigillatim excusos. ANDRÆ FRVSH, Carnutenfis Galli, qui A. 1556.

Pontificii,

A. 1556.



A. 1556. diem suum obiit, *Affertiones* ex interpretatione Geneseos collectæ, Romæ lucem adspexerunt in fol. A. 1541. DOMINICVS GARCIA Theol. D. & in Complutensi Academia linguæ Hebrææ Professor Primarius *discussionem questionum in librum Genesin* Cæsaraugustæ publici juris fecit A. 1624. cujus tamen ineptias & crassam linguæ sanctæ ignorantiam Venerandus Præceptor noster b. D. Wagenseilius, pro eo ac par est, perstringit ad *Sota excerptor. Gemar. c. 1. p. 203.* FRANCISCI de PETIGIANIS Aretini, commentaria scholastica in Genesin Venetiis in 4. A. 1616. prodierunt. LVDOV. STELLA Commentar. in Genesin & Exodum Romæ emisit in fol. A. 1600. 1610. Quibus tamen omnibus palmam procul dubio præripuit BENED. PERERIVS Soc. J. qui commentaria & disputationes in Genesin tomis IV. Moguntia in fol. A. 1612. excusos, tanta eruditione rerumque ubertate confertas edidit, ut ceterorum suæ religionis commentariorum in h. l. vices unus abunde supplere possit. E recentioribus anonymus Parisiis A. 1682. in 12. edidit *la Genèse traduite en françois, avec l'Explication du sens literal, & du sens spirituel, tirée des SS. Peres, & des Auteurs Ecclesiastiques.* Versionem libri Gallicam, cui Latina Vulgata e regione apposita est, ad fontes Hebræos adornavit, singulisque capitibus annotationes ad sensum literalem, deinde ad spirituales seu moralem pertinentes subjunxit. Recensent libellum Acta Erudit. Lips. A. 1683. m. Majo p. 181. sqq.

Reformati,

E Reformatis JOH. CALVINVS, DAV. PAREVS, & ANDR. RIVETVS (*Opp. tomis primis*) integra in Genesin & copiosa omnino commentaria dedere, quibus ille morali applicatione, iste literæ & historiæ evolutione, hic nodorum difficultum solutione, utilem quisque lectoribus operam navavit. Caspar Megander, una cum Leone Judæ, farraginem annotationum in Genesin, ex ore HVLDRICI ZWINGLIJ excerptarum edidit Tiguri A. 1527. JOH. MERCERVS, Regius quondam in Academia Parisiensi literarum Hebraicarum Professor & Francisci Vatabli successor, notis philologicis hunc librum illustravit, quem posthumum commentarium Theodor. Beza præfatione ornavit, editum Genevæ in fol. A. 1598. JOH. HENRIC. HEIDEGGERVS historiam Patriarcharum, duobus voluminibus in 4. Amstelodami A. 1667. 1671. editis, erudite recensens, integri fere libri copiosum ac utilem suppeditavit commentarium. Sic etiam CHRISTIANVS SCHOTANVS in *bibliotheca historica V. T. tome I. toto* Geneseos



Geneseos historiam ad ductum Sulpicii Severi explanavit. JACOBI BROCARDI, supra §.4. mentionem fecimus, cujus *mystica & prophetica interpretatio Geneseos* Lugduni Batavorum in 4. Anno 1584. & Bremæ A. 1586. lucem adspexit. CHRISTOPH. CARTWRIGTHVS Anglus *electa Targumico-Rabbinicae* triplici Targum & R. Salomone ac Aben Esra &c. in Genesin compilavit, Londini typis exscripta in 8. A. 1648. LUDOVICI LAVATERI in I. lib. Mosis commentarios, una cum autoris vita Johannes Simlerus Tiguri in fol. excudi curavit A. 1575. Saturam complurium Scripturæ interpretum complectitur AUGUSTIN. MARLORATI *expositio ecclesiastica Geneseos*, Morgii in fol. A. 1568. 1580 evulgata. PETRI MARTYRIS Commentarius Heidelbergæ in 4. A. 1606 prodiit. JACOBI OECOLAMPADII Basileæ A. 1536. VALENTINI CROTOALDI Argentorati in 8. A. 1530. WOLFGANGI MVSCVLI Basileæ A. 1565. & 1600. in fol. Commentarii lucem adspexerunt. FRANCISCI JVNII *Analysis & Commentarius* Heidelbergæ in 4. A. 1594. & Genevæ in fol. 1607. typis vulgabatur. *Pauca ac novella*, ut inscriptio habet, revera sunt *observationes super librum Geneseos* JOHANNIS LIGHTFOOTI, *T. I. Opp. p. 153. sqq.* conspiciendæ. JOH. COCEJVS ad umbilicum opus non perduxit, sed *T. I. Opp. p. 1.* commentarium in V. priora capp. Geneseos, cum brevi continuatione ad cap. XI. p. 85. vero, curas posteriores in Geneseos priora capp. XIX. ut & in verba Jacobi ultima Gen. XLVIII. XLIX. (p. 129.) reliquit: quibus *ἀνεδόται* *Opp. T. I. p. 1.* curæ priores sive perbreves in integram Genesin annotationes; & p. 24. continuatio curarum secundarum a cap. XI. XLIV. accesserunt. Sic PETRI van STAVEREN œconomia Dei in ecclesia a rerum primordio ad diluvium, & hinc ad natum Isaacum, viginti saltem priora Geneseos capp. illustrat.

Indignum quidem, quod in interpretum censum referatur, JACOBI BOEHMII, hominis Fanatici & sutoris Görlicienfis nomen est, non tamen omnino nobis tacendum, quod & iste in Genesin commentari sustinuerit, *Mysterium magnum* oder *Erklärung des ersten Buchs Moses/ darinnen das Reich der Natur/ und das Reich der Gnaden erkläret wird/* A. 1640. in 4. in lucem protrudens.

L

CAPVT



CAPVT V. De Libro Exodi.

Summa-
rii capitis.

Libri appellatio. ⁊ initiale an Exodum Genesi connectat? §.1. Consignationis autor Moses asseritur: a Spinoza ex Exod. XVI, 35. XXIV, 4. 7. impugnatur. Transpositi ordinis exempla Simonio ex Exod. XVIII, 1. XXII, 1. 4. petita, diluuntur. Conseriptionis tempus: ordo §. 2. Libri argumentum: scopus §. 3. Divina libri autoritas adstruitur, ac a Spinoza criminationibus vindicatur §. 4. Chronologia. Tempus commorationis Israelitica in Aegypto. Loca Exod. XII, 40. ⁊ Gen XV, 13. sqq. explicantur ⁊ conciliantur. Tabula chronologica temporum a Iosephi morte ad erectum tabernaculum lapsorum §. 5. Partitio libri §. 6. Tabula Synoptica §. 7. Commentatores Patres, Judæi, Lutherani, Pontificii, Reformati §. 8.

§. I.

Appellatio.

IN authentico Hebræo inscriptione liber caret, Rabbini vero ab initiali voce *שְׁמוֹת מִצְרָיִם* hac sunt nomina, vel simpliciter *שְׁמוֹת* appellatur; num ob modestiam, ne tantum sibi tribuere videantur, ut anonymis Scripturæ libris nomina imponere ausint, an ex superstitione quadam scrupulosa, quæ istorum hominum mentes omni fere tempore tenuit, in medio relinquit Rivetus proleg. Comm. in b. l. Græcis a præcipuo operis argumento *ἔξοδος* exitus aut egressus salutatur, quod Israelis ex Aegypto exitum luculenter describit. Ridiculus autem Philo Judæus est, cum Exodi inscriptionem Mosi ipsi acceptam refert, libro de migratione Abrah. haud longe ab initio p. 302. e. scribens: *παγκάλως ὁ ἱεροφάντης μίαν τῆς νομοθεσίας ὅλην ἱερὰν βίβλον, ἐξαγωγὴν ἀνέγραψεν, οἰκεῖον ὄνομα εὐεχόμενος τοῖς περιεχομένοις χηρισμοῖς.* Recte sacer vates unum integrum legis librum Exodum inscripsit, nomine conveniente contentis in hoc oraculis. Quod enim per *ἱεροφάντην* non alium, quam Mosen ipsum libri scriptorem intelligat, satis clare inde elucet, quod Geneseos nomenclaturam eidem tribuit, l. quod mundus sit incorruptibilis, p. 729. e. Judæorum, inquiens, legislator Moses mundum genitum ⁊ incorruptibilem dixit in sacris voluminibus: *εἰσὶ δὲ πέντε, ὧν τὴν πρώτην ἐπέγραψε γένεσιν.* Sunt autem quinque, quorum primum inscripsit Genesin. Rectius omnino Græcæ appellationis origo ad LXX. Interpp.



Interpp. refertur, quorum codices primi hunc titulum exhibuerunt. Quid? quod γ copulativum, totius operis initiale, hunc præcedenti tam acrite connectit librum, ut ab autore suo ne distinctus quidem uterque, nedum peculiari insignitus appellatione videatur; quod, tanquam libri initio minus congruum, in versione sua omiserunt LXX. illosque secutus Vulgatus, argumento haud improbabili, primos illos librum hunc a superiori discriminasse. Nisi malis illam apud Hebræos particulam vel redundare, quod sæpius quam binis ternisve vicibus in Sacro Codice usu venire, Noldius contra Aben Esram observat *Concordant. Particul. annot. 1977. p. 1081.* vel orationem inchoare, ut ex Ezech. I, 1. aliisque biblicorum librorum initiis clarum est. Ceterum Masorethis ad *Gen. XXIV, 8.* hunc librum etiam לְיִשְׂרָאֵל *Damna* dici, quod de humanis eorumque restitutione in eo agitur, observat Buxtorff. *Lex. Talm. p. 1325.*

II.

De Scriptore libri supra actum, & ex Salvatoris allegatione Marc. Scriptor XII, 26. constat: quem tamen ut dubium redderet Spinosa, ad *Exod. XVI, 35.* ^{impugnatus} provocat, ubi filii Israel comedisse Manna dicuntur XL. annis, donec ad extremitatem terræ Canaan devenirent, nempe arguit inde Spinosa, ^{ex Exod. XVI, 35.} usque in *tempus, de quo Jos. V, 12. dicitur.* Unde liquido constare colligit, post Mosis demum fata, sub Josue imperio, consignari isthæc potuisse. Qui vero non potuerint prius, & ab ipso Mose exarari, sub finem forte vitæ suæ, cum jam terræ Canaan proxime populus immineret, & ultimus oberrationis in deserto annus laberetur? quid prohibet, quo minus Prophetico, quo gaudebat, Spiritu suggerente, Deoque ipsi revelante ista præviderit & in literas retulerit? Cum enim Mosis & Aaroni patefactum divinitus esset, totis quadraginta annis per deserta erraturos Israelitas, antequam Canaanis adirent possessionem, Num. XIV, 33. quidni præsignificatum quoque Mosis fuisse credatur, forte cum Manna depluere cœpit, Israelitas annis totidem mirabili illo cibo alendos esse? Hoc itaque cum non procedat, alia, Scriptorem libri ut expugnetur deturbet, aggreditur via, ad libros illos provocans a Mose allegatos, puta librum belli contra Amalek *Exod. XVII, 14.* ^{ex Exod. XVII, 14. XXIV, 7.} tum סֵפֶר הַבְּרִית *librum fœderis Exod. XXIV, 7.* quibus librum legis ex Deut. XXXI, 9. & Canticum Deut. XXXII. addit. Putat ergo solum librum fœderis, a Mose scriptum, & Canticum ad hunc diem extare: reliqua Mosaica autem ætatem non tulisse, nihilque adeo a Mose scriptum nobis superesse præter dictum illum fœderis librum, qui *Exod. XX, 22.* usque ad c. XXIV. integer exhibeatur, & c. XXXII. Deuteronomii. Mira



fane homo iste *παρρησία* utitur, cum petulantis ingenii figmenta tanquam extripode dicta omnibus credenda obtrudit, nullis licet argumentorum ponderibus munita. Unde enim probabit, omnes istos, qui a Mose citantur, & ab ipso met exaratos, & deperditos hodie libros esse? Et si demus prius, quo demum argumento conficiet, Mosaicos non esse nostros, in quibus deperditi illi allegantur? Bellum enim Amalekiticum hoc ipso Exodi volumine satis luculenter describitur, librumque foederis eodem contineri, adversarius largitur; sic vel inde constabit, Exodum Mosen agnoscere autorem. Sin peculiari volumine multo fusius Amalekitarum cladem memoriae proditam fuisse, nihilominus pertendat, nihil tamen obstat, quo minus, quæ in annalibus forte aut historico libro prolixè recensita fuerant, ab eodem autore, divino suggerente Spiritu, canonica Scripturæ concisius paulo infererentur. Sacrum enim non modo & humanum, sed & canonicum atque *θεοπνευστον* agnoscere oportet Mosen Scriptorem. Interciderit itaque licet scriptum Mosis humanum, nulla tamen inde canonici Scripturæ metuenda est jactura. Quod vero librum foederis paucis istis a c. XX, 22. Exod. usque ad c. XXIV. capitibus circumscribi existimat, absurdum plane est. Sic enim nec Decalogus foederis libro includetur, nec circumcissionis sanctio, quam tamen nunquam intermoriturum foederis signum ac sigillum fuisse, ex Gen. XVII, 10. & Rom. IV, 11. constat. Non me fugit, virum supra laudem doctissimum, Joann. Lightfootum *Spicileg. in Exod. Sect. 28. T. I. Opp. p. 177.* variis in medium prolati rationibus pro ea decertare sententia, quod X. Decalogi præcepta isti foederis volumini inserta non fuerint: ista vero, non video, quo pacto e numero accensu *כל־דברי יהוה* *omnium verborum Domini*, quæ locutus Mose fuerat, quæque Moses hoc libro consignasse dicitur v. 4. eliminare queat. Conf. Exod. XX, 1. Sed nec Judæorum hic satisfacit sententia, qui R. Salomone *ad l. c.* interprete, per foederis volumen Genesin cum principio Exodi intelligunt, *מבראשית ועד מתן תורה ומצוות שנצטוו במרה* *a principio Geneseos usque ad promulgationem legis, & ad præcepta, quæ data sunt in Marah.* Contenta enim hujus libri expresse v. 3. 4. ad omnia verba Domini ac statuta, foederalia quippe, quibus sua Domino obsequia Israelitæ addicebant, restringuntur. Vero itaque videtur simillimum, Mosen statuta Domini ac leges partim morales, partim ceremoniales ac forenses nonnullas, quas in monte ab ore Dei pendens didicerat, libro exiguae molis, qui una concione legendo commode absolvi posset v. 7. consignasse, quas post-

postmodum tamen omnes ac singulas libris canonicis suis *Ἰστορίαι* repetierit, ut reposito ad latus arcæ fœderis legis volumine h. e. Pentateucho (Deut. XXXI, 9. sqq.) libri fœderis, utpote Pentateucho comprehensi, usus exspiraret; illius cum vices volumen legis affatim suppleret. Frustra ergo Mosaica, quæ nostris reruntur manibus, volumina esse, negatur inde, quod fœderis liber in illis allegetur. Paulo modestior videri cupit Rich. Simonius, cum sententiæ suæ de turbatis permixtisque foliorum partibus fidem facturus, ad *Exod. XVIII, 1. sqq.* provocat, omnem-
ex Exod. XVIII, 1.
 que de Jethronis adventu datoque consilio historiam non nisi altero post tabernaculi constructionem anno contigisse, ex Deuteronomio evincere fatagit *Lib. I. Hist. Crit. V. T. cap. 5. p. 36. sq.* Unde concludit: *Ce qui me fait croire, que les feuilles ou rouleaux, sur lesquels ces Livres étoient écrits, n'ont point conservé leur premier ordre.* Minime tamen primus tam oculatus videri debet Simon, cum dudum ante ipsum laudatus supra Lightfootus *c. l. Sect. 23. p. 174.* ut & in *Chronia. temporum V. T. T. I. Opp. p. 28.* historiam hanc non propria locatam esse sede, animadverterit. Et hic quidem Numerorum capiti X. inter v. 10. & 11. inferendam eam censet, solumque narrationis integrum pertexit. Verum enim vero, temporis licet respectu *περίληψιν* hic aliquam admittamus, quia v. 5. juxta montem Dei, (Sinai puta vel Horeb, qui mons Dei vocatur *Exod. III, 1.*) Jethro in Mosaica delatus castra dicitur, cum tamen juxta illam, qua hæc narrantur, temporis seriem in Raphidim adhuc hærent, & cap. sequenti demum v. 1. 2. versus montem Sinai tenderent Israelitæ: narrationis tamen Mosaicæ turbatum corruptumque ordinem colligere inde non licet. Commodam enim anticipationis istius causam interpretes reddunt, quod Jethro intellecta populi Dei contra Amalekitas vicinos suos victoria, statim iter ad Mosén generum suum affectaverit; atque ideo Mosés Jethronis profectionem Amalekitico bello conjungere consultum duxerit. De tempore itaque adventus licet certi quicquam definiri nequeat, nisi quod, cum ad montem Sinai hæreret populus, contigisse credendus sit: causæ tamen nihil est, cur caput hoc sua deturbemus sede, librique & narrationis confusam esse seriem, inde colligamus. Pergit Simonius ad *Exod. XXII, 1. 4. & p. 39. c. l.* ea quæ de fure v. 3. dicun-
ex Exod. XXII, 1. 4.
 tur, connectenda esse cum primo contendit propter metathesin; maxime vero v. 4. ad primum spectare. Verum quid sibi velit critica ista subtilitas, nemo facile intelliget. Plana omnia in textu sunt, justoque ordine se mutuo excipiunt, qui si ad criticæ Simonianæ ductum inverra-



Consigna-
tionis
tempus:
ordo.

tur, imperfectus vel obscurus verborum sensus evadet. Distincte siquidem Moses de furti restitutione agit, furtoque ablatae pecudis, si jam maectata vel vendita sit v. 1. si viva adhuc apud furem deprehendatur v. 4. restitutionem diversam indicat. Qui vero medii interfecerunt v. 2. & 3. ab instituto non sunt alieni, sed calum internecionis durante furto vel ante vel post solis ortum patratae concernunt & decidunt. Nulum itaque confusi ordinis vestigium hic apparet; ut taceam, tam exigua non fuisse folia, circa cylindros voluta, quibus libri exarabantur, ut duobus saltem versiculis constarent, qualia tamen hic fuisse necesse est, si versiculorum transpositio ejusmodi, qualem ille comminiscitur, admitenda sit. Temporis porro, quo perscriptus a Mose liber est, ratio haud aequae facile iniri potest, nisi quod post latam in Sinai legem exstructumque tabernaculum, eundem consignatum fuisse series rerumque gestarum doceat ordo. Nexum tandem ordinis, quo Genesin Exodus excipit, Theologi statuunt eum, qui a vaticinio & promissione ad complementum tendit. Fidem nempe Deus dederat Abrahamo, fore ut posterius ejus ad instar stellarum caeli multiplicentur, postea vero in Aegyptum translatis, dura premantur servitute per CCCC. annos. Hinc liberandos rursus, magnisque opibus auctos in libertatem asserendas esse, Gen. XV, 5. 13. 14. Admiranda itaque seminis & multiplicatio & de hostium manu vindicatio, in Genesi, quae Josephi morte terminatur, promissa, in Exodo eventu ipso comprobata exhibetur; ad haec quoque instituta ostenditur politia, in qua ex familia Judae promissus oriundus esset Schiloh.

III.

Argumen-
tum.

Argumentum libri in mirabilis ac divinae Israelitarum ex Aegyptiaca servitute liberationis, itinerisque per desertum ad montem Sinai, latae porro legis, delineatique & exstructi tabernaculi enarratione versatur, & annales populi inde a Josephi morte ad secundum usque egressum annum complectitur. Quae omnia in concisam redegit epitomen Stephanus Protomartyr Act. VII, 17-45. & Paulus Ebr. XI, 23-30. Scopus vero primarius denuo ad Christum collimat, quem non modo typica respicit adumbratio mysticae ex Aegypto spirituali liberationis, Col. I, 13. Luc. I, 73. s. immolati pro nobis agni paschalis, I. Cor. V, 7. cui os non erat infringendum, Joh. XIX, 36. panis de caelo dati, Joh. VI, 33. petrae aquas fundentis, I. Cor. X, 4. unctionum variarum, Ebr. I, 6. & Sacramentorum N. T. per mare rubrum & manna coelitus deplutum delineatio, I. Cor. X, 2. sq. sed



sed & universus cultus Leviticus, propitiatorium, vasaque tabernaculi & sacrificia exhibent, Paulo teste Rom. III, 24. Eph. V, 2. & in Epist. ad Hebræos passim. Moses ipse populum ex Pharaonica servitute educendo, quo pacto typum gesserit Messia, instituta collatione Joh. Biermannus docet in *Moses en Christus lib. I. c. 5. p. 71*. Rerum porro gestarum, quarum commemoratio hoc libro instituitur, finis a Theologis nostratibus quintuplex potissimum observatur: 1) divinæ veritatis confirmatio; ut promissis veritas constaret & vaticiniis responderet eventus, siquidem fieri non potest, Deus ut mentiatur, Hebr. VI, 13. sqq. 2) divinæ gloriæ manifestatio; quam illustri Mosis ad Pharaonem legatione, potenti suorum e tyrannide Ægyptiaca liberatione, miraculosa populi in deserto sustentatione, ac solenni legis promulgatione in apicem ponere voluit, ut ab Israele non modo, sed & ab infidelibus divina ipsius virtus ac gloria agnosceretur, Exod. VII, 4. 5. & IX, 16. Rom. IX, 17. 3) ecclesiæ collectio & propagatio. Adversus illam enim cum nec inferorum portæ prævalere queant, Matth. XVI, 18. multo minus hominum machinationes Ægyptiorumque violentia victoriam obtinere debebat; imo vero potius tot prodigiis illam per varias totius fere orbis gentes glorificatam, ista nominis ac populi sui fama alios quoque accersere, sedemque ubi ignem & focum suum Deus adornaret, suamque manifestaret hominibus voluntatem, minime fallacibus universo orbi demonstrare iudiciis par erat, Deut. IV, 6. sqq. 4) fidei suorum corroboratio; quæ ne in gravissimis succumberet tentationibus, illustribus testimoniis illis atque exemplis, quæ hoc libro exhibentur, erigenda in adversis & confirmanda erat, ut certo persuasum habeat, Deum pios ex tentationibus eripere novisse, 2. Pet. II, 9. nec ut plane opprimantur permittere &c. Confer Syrac. II, 11. 12. 5) typica status ecclesiæ adumbratio; ejus quis in his terris status sit, quæ fata, hoc libro edocemur, cum liberati a servitute infernalis Pharaonis per desertum hujus mundi deducimur, legibus divinis dirigendi, ut ad cœlestem hæreditatem adspiremus. Hoc enim respectu typos nostros Israelitas in deserto fuisse, Paulus affirmat 1. Cor. X, 3. & Patres passim declarant. Ita Augustinus *homil. 20. Tom. X. p. 459*. Sufficit, inquit, præteritum tempus luctis operibus peccatorum, tanquam Ægyptiorum dominationi servivisse. Jam mare rubrum, baptisma scilicet Christi sanguine consecratum, vos trajecit, Ægyptios interemit, nihil de peccatis præteritis, tanquam de insequentibus a tergo hostibus formidetis. De cetero cogitate vitæ hujus cretum permeare, & ad terram promissionis



missionis supernam Hierusalem, terram viventium pervenire: ne verbi Dei contemptu tanquam manna fastidio, corda vestra velut ora interiora desipiant, ne cibos concupiscentes Egyptios de alimentis cœlestibus murmuretis: ne fornicemini, sicut quidam illorum fornicati sunt: & ne tentetis Christum, sicut quidam illorum tentaverunt. Idem S. Pater in enarratione Psalmi LXXII T. VIII. Opp. p. 789. postquam eundem satis prolixè enarrasset & applicasset typum, tandem concludit: *Ibi jam, fratres, in eremo quicquid passus est populus ille, & quicquid eis Deus largitus est, quæcunque illa flagella fuerunt, & quæcunque dona, significationes sunt rerum, quas in hac solitudine vite hujus ambulantes, in Christo querentes patriam, & accipimus ad consolationem, & patimur ad probationem.*

IV.

Autoritas.

Divina libri & canonica dignitas tot irrefragabilibus nititur testimoniis, quot in utroque Testamento allegationibus comprobatur, quarum XXV. citatis per Christum & Apostolos integris sententiis vel historiis, in novo Instrumento numerantur. Vide quoque Psalmos LXXVIII. & CV. qui absque Mosaica hujus libri historia intelligi vix commode poterunt. Nullus tamen dubitat Spinosa, divinam legibus hoc libro comprehensis auctoritatem atque originem denegare. Postquam enim *Tract. Theol. Polit. cap. 4. p. 48.* quæstionem illam: *an lumine naturali concipere possimus Deum velut Legislatorem aut principem, leges hominibus præscribentem?* negasset, soli Adami ignorantie tribuens, quod Paradisiacam illam de arbore vetita revelationem non ut æternam & necessariam veritatem perceperit, sed ut legem, hoc est, ut institutum, quod luerum aut damnum sequitur, non ex necessitate & natura actionis patrata, sed ex solo libitu & absoluto imperio alicujus Principis. Quare illa revelatio respectu solius Adami & propter solum defectum ejus cognitionis lex fuit, Deusque quasi legislator aut princeps: in eandem porro sententiam de Mosaicis legibus pronunciat, hunc in modum pergens: *Et hæc etiam de causa, nempe ob defectum cognitionis, Decalogus respectu Hebræorum tantum lex fuit: nam quoniam Dei existentiam & æternam veritatem non noverant, ideo id, quod ipsis in Decalogo revelatum fuit, nempe Deum existere, Deumque solum adorandum esse, tanquam legem percipere debuerunt: quod si Deus nullis mediis corporeis adhibitis, sed immediate iis locutus fuisset, hoc ipsum non tanquam legem, sed tanquam æternam veritatem percepissent.* Idem cum paulo post p. 50. ad omnes applicet Prophetas, qui Dei nomine leges scripserunt, videlicet, quod Dei decreta

ROD



non adaequate, ut aeternas veritates perceperint, de Mose speciatim affirmat, cum *leges suas non ut aeternas veritates, sed ut praecepta & instituta percepisse, & tanquam Dei leges praescripisse*; & hinc factum esse, ut Deum rectorem, legislatorem, regem, misericordem, justum &c. imaginarentur, cum tamen haec omnia solius humanae naturae sint attributa, & a natura divina prorsus removenda. Quae quo tendant omnia conjicere, nullo arbitror Oedipo opus esse. Hoc enim pacto & Mosén mendacii reum peragit, qui Dei nomine leges rogarit, quae tamen nullae fuerint; & Deo supremo legislatori humanae ignorantiae illusionem impingit, qui inscitiam hominum, aeternam veritatem & rerum omnium per concatenatas causas decursum non percipientium, vestigalem habuerit; & legum denique ipsarum autoritatem enervat, quippe quae humanae tantum naturae attributa, i. e. hominum figmenta, non Dei decreta vel veritates appellari mereantur. Contra vero ea Mosáicae sanctiones non aeternae veritates, sed תּוֹרַת יְהוָה *lex Jehovae*, Exod. XIII, 9. תּוֹרַת יְהוָה וּמִצְוֹתָיו *statuta Dei & leges ejus*, c. XVIII, 16. פְּתֻחֵי לְהוֹרֹתָ *lex & praeceptum, quod scripsi ad docendum eos*, non ab homine aeternae veritatis nescio, sed Deo ipso c. XXIV, 12. vocantur, Conf. Deut. IV, 5. 8. 14. 40. Sic & a Jacobo Apostolo, non sane ex cognitionis defectu, sed ex illuminatione divini Spiritus, in omnem veritatem ipsum ducentis, Deus εἰς νομοθέτης, ὁ δύναμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι, *unus legislator, qui potest salvare & perdere*, c. IV, 12. appellatur. Ut adeo illa Spinosa figmenta, nullo plane argumento roborata, & impiae tantum ὑποθέσει suae, quasi mundus Deus sit, omniaque fatali regantur necessitate, innixa digna sint, quae una cum autore suo execratione potius, quam operosa refutatione excipiantur.

V.

In ponendo Exodi calculo non una omnibus ratio constat, cum ex Chronologia. Junii & Tremellii sententia annos complectatur CXLII. juxta Sethum Calvisium autem CXLV. Illi inter mortem Josephi & nativitatem Mo- sis annos intercessisse LXI. hic additis adhuc tribus, LXIV. existimat; nec Scriptura ullibi litem dirimit, nisi quod supputationem intermedi- illius temporis, ex tempore, quo in Aegypto habitarunt Hebraei, petendam esse doceat. Istud vero spacium 430. annis circumscribi videtur Exod. XII, 40. *Habitatio filiorum Israel quadringentis XXX. annis in Aegypto fuit.* Verum, quae in Mosáica historia & i. Chronicorum supersunt, tabulae Genealogicae id non permittunt. Cahathi enim, filius Levi, cum

M

patre



patre suo atque avo Jacobo in Ægyptum descendit, Gen. XLVI, 11. Amram autem, filius Cahath, pater fuit Moysi, Exod. VI, 20. Imo & Jochebed, mater Moysi, filia erat ipsius Levi, ipsi in Ægypto nata, Exod. I. c. & Num. XXVI, 59. Unam vero vel duas generationes per CCCCXXX. annos, ea quidem ætate, extendere, absurditate laborat; maxime cum istud temporis spacium diserte quatuor generationibus Gen. XV, 16. definiatur. Imo ponamus, unum saltem annum natum fuisse, cum in Ægyptum descenderet Jacobus, Cahathum, & ultimo demum ætatis, quam ad 133. annos produxit, generasse Amramum, qui rursus 137. annos vivendo exegit, ut habetur Exod. VI, 20. porro etiam Amramum ultimo ætatis anno Moysen genuisse; elapsi erunt, juxta hunc computum, incertissimis tamen conjecturis nixum; ab anno ingressus in Ægyptum ad natum usque Moysen, nonnisi 270. anni: quibus si addantur 80. Moysi anni, qui ad Exodum ab ejus nativitate fluxere, Exod. VII, 7. plures non habebis quam 350. annos habitationis in Ægypto, & sic ad minimum 80. anni, ad supplendum illum Exod. XII. definitum numerum, deficient. Necessæ itaque est, ut totum spacium temporis peregrinationis Patriarchalis, quæ complementum suum in peregrinatione Ægyptiaca consecuta est, ab Abrahami exitu ex Ur sive Charane, usque ad exitum ex Ægypto, 430. annis istis definiatur. Recte itaque Augustinus in *cap. III. Ep. ad Galat. Computandi*, ait, *isti anni CCCCXXX. ab eo tempore sunt, quo Deus ad Abraham locutus est, dicens: in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Quam sane expositionem putandique temporis rationem Paulus confirmat Gal. III, 17. ubi a promissione Abrahamo facta, usque ad latam mense tertio post exitum Israelitarum ex Ægypto legem, quadringentos & triginta annos numerat. Neque tamen ea propter cum Morino in *Exercitat. Biblicis* & Isaac Vossio in *Chronol. Sacr. cap. 2. p. III.* corruptus l. c. Exodi sacer textus & ad Samaritanum Codicem restituendus dici debet. Ita quippe hi legendum existimant: *Habitatio filiorum Israel & patrum eorum, qua habitaverunt in terra Canaan, & in terra Ægypti, annorum fuit 430.* Sic enim præter Samaritanum Græcus quoque τῶν LXX. codex legit; in cujus gratiam cum primis corruptionis vitium Hebræo textui Vossius impingit. Sed frustra omnino. Peregrinatio enim filiorum Israel in Moïsaicis Exodi verbis inclusive accipienda est, ut nempe anni peregrinationis Patriarcharum includantur, quia Deus ipse Abrahamum & posteros ejus in promissione illa: *tibi dabo terram hanc & semini tuo*, Gen. XIII, 15.

XIII, 15. conjungit, etsi non Abrahamo, sed semini ejus tantum data terra fuerit. Ut ergo posterorum possessio Patribus; ita & patrum peregrinatio posteris tribuitur: quo pacto etiam transitum per mare rubrum sibi cum patribus communem faciunt Israelitæ Ps. LXVI, 6. Unde recte omnino Hebraicam loci lectionem Chaldaica, Latina Vulgata, Arabica, aliæque retinuerunt paraphrases. Hinc Apostolus haud dubie ad h. l. digitum intendens Ebr. XI, 9. *Abrahamum per fidem peregrinatum esse in terra promissionis, ut aliena; affirmat, habitantem in tabernaculis cum Isaac & Jacob coheredibus ejusdem, promissionis; ubi & Abrahami atque Isaaci in terra Canaan, & Jacobi in Aegypto peregrinationem complectitur, & in una illa τῆς ἐπαγγελίας Epochā junctim sumendam esse docet.* Sed nova oritur difficultas ex diverso annorum numero, quem Deus ipse peregrinationi huic in promissione Abrahamæ data assignat, Gen. XV, 13 sqq. *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subjicient eos servituti & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia: tu autem ibis ad patres tuos, sepultus in senectute bona.* Generatione autem quarta revertentur huc. Idem quoque numerus, demtis scilicet triginta annis, a Stephano repetitur in oraculi divini allegatione Act. VII, 6. *ἐλάλησε δὲ ὁ ὅτις ὁ θεός, ὅτι ἔσαι τὸ σπέρμα αὐτῶν πάροικον ἐν γῇ ἀλλοτρίᾳ καὶ δαλώσασιν αὐτό, καὶ κακώσασιν ἔτη τετρακόσια.* Ubi quidem bene habet, quod terminus a quo annorum horum, initium constituitur peregrinationis seminis Abrahamæ; ut &, quod ex Hebræorum ap. R. Menasseh ben Israel observatione ad h. l. tres status seminis ejus distincte describuntur: primus peregrinationis, *peregrinum erit semen tuum*; alter servitii, *& facient eos servire*; tertius afflictionis, *& affligent eos*: prior a Patriarchis incipit, qui semper in terris alienis peregrinati sunt; servitium in Aegypto post mortem XII. Patriarcharum, cum surgeret Rex novus, qui non noverat Josephum; afflictio ab eo tempore, quo Pharaon recens natos Hebræorum infantes flumine mergi jussit. Crucem tamen figit eruditus numeri triginta annis imminuti diversitas, quam Augustinus lib. XVI. de Civ. Dei cap. 24. ita elidit: *quadringenti sane anni dicuntur, propter numeri plenitudinem, quamvis aliquanto amplius esset.* Unde Theologi nonnulli hoc oraculo numerum plenum & rotundum annorum, non ἀποτόμως perfectum adhiberi censent, quia secula & generationes tantum Deus numerare voluerit. Citatus vero R. Menasseh ben



Israel supputari nem hanc ab Isaaco demum, triginta annis post promissionem vel exitum Abrahæ ex Ur Chaldæorum nato, ordiendam censet, quia in Isaac demum vocatum Abrahæ semen sit. Sic in utroque dicto numerus præcise sumtus congruet, cum verba Exodi statim ab illo, quo ex Ur exiit Abraham, tempore; Geneseos vero, a nato demum Isaaco annos numerent. At enim vero hoc pacto, si ab egressu Abrahæ ex Ur vel Charan (eodem enim anno uterque contigisse creditur) ad natum Abrahæ centenario Isaacum XXX. anni numerentur, egressus ille in Patris fidelium annum LXX. conjiciendus erit, quem Scriptura tamen Gen. XII, 4. ad annum ætatis ejus LXXV. refert. Quod ut effugiat obstaculum Menasseh ben Israel, ex *Seder Olam* respondet, *Patriarcham jam in Canaan degentem iterato Charanem petiisse, ibique annis quinque moratum; adeo ut hic de secundo exitu agatur.* Sed vereor, ut tam facili negotio probetur istud, quam fingatur a Judæis. Rectius omnino Usserius cum Hieronymo in *tradit. Hebraic. in Genes. & Beda in c. VII. Að.* Abrahamum 75. anno patria egressum, indeque numerum 430. annorum ineundum censet; alterum vero 400. annorum computum ab Isaaci ætatis anno quinto, quo scilicet Ismael irrisor, ancillæ filius, domo ejectus, & Isaac filius liberæ divino oraculo: *in Isaac vocabitur tibi semen*, Gen. XXI, 12. promissionis semen solenniter declaratus fuerit, inchoandum existimat. Sic in utroque loco calculus sibi recte constabit. Ceterum CCCCXXX. illi peregrinationis Patriarchalis ac Israelitarum anni ita partiendi sunt, ut pars dimidia prior peregrinationi Patriarcharum in terra Canaan, posterior peregrinationi Israelitarum in terra Ægypti æqualiter detur, ad hunc fere modum:

Abraham centenarius Isaacum generat, anno post egressum ex Ur	25	Gen. XII, 4. coll. XXI, 5.
Jacobus nascitur, Isaaco annos habente	60	Gen. XXV, 26.
A nato Jacobo ad descensum ejus in Ægyptum	130	Gen. XLVII, 9.
Habes ita	215	annos.

Porro



Porro ab adventu Jacobi in Ægyptum ad mortem
usque Josephi anni sunt

Erat enim 39. annorum Joseph, cum Pater ejus
descenderet; (nam 30. annos habebat cum Pro-
Rex constitueretur, Gen. XLI, 46. quibus adde se-
ptem annos opulentie v. 47. & duos annos famis
c. XLV, 6. prodeunt 39. anni.) & vixit in univer-
sum 110. annos, Gen. L, 22. 26. Prodeunt ergo 71.
anni post Patris descensum.

A morte Josephi ad nativitatem usque Moſis

Annis enim 71. modo dictis si addideris annos 80.
ætatis Moſis tempore exitus ex Ægypto, prodeunt
anni 151. Ad complendum ergo numerum vel
universum 430. vel dimidium 215. annorum, desi-
derantur præcise adhuc 64. anni, qui ipsi interval-
lum constituunt a morte Josephi ad nativitatem
Moſis.

Moſes loquebatur Pharaoni, & populum educebat
anno ætatis

71

64

80 Exod. VII, 7.

Habes iterum | 215 | annos.

Confer omnino de hoc computo, qui legi merentur, ex nostratibus b. Ca-
lovium *Chronici Bibl. Sect. IV. qu. 1. 2. & Comment. in Genes. XV, 14. p. 861.*
nec non b. Strauchium *Breviar. Chronol. lib. IV. cap. 6. tot. p. 463.* e Pon-
tificiis Natalem Alexandrum in tertiam mundi ætatem dissert. I. tota,
Histor. Eccl. V. T. T. I. p. 197. e Reformatis Campeg. *Vitringam hypo-
typ. Histor. Sac. Period. 3. §. 7. sqq. p. 23.* Andr. Rivetum *Comment. in
Exod. I, 14. qu. 3. T. I. Opp. p. 734. sqq.* & Franc. Burmannum *ad Exod.
XII. p. 364.* ex Judæis R. Menasseh ben Israel *Conciliat. in Genes. quest.
XLI. p. 57.* Hinc amplius difficile non est, annorum Exodi calculum,
qui a morte Josephi usque ad erectionem tabernaculi annos 145. com-
plectitur, subducere hoc modo:

A.O.C.

2369 | Josephi moritur, in quo desinit Genesis.

2433 | Moſes nascitur, anno post mortem Josephi

2513 | Moſes populum ex Ægypto educit, annos natus

64

80

M 3

Epocha



A.O.C.	<i>Epocha QVARTA exiit usque ad templum Salomonis fundatum.</i>	
2514	Lex traditur Moysi in monte Sinai, mense tertio ab exitu, Exod. XIX, 1.	
- -	Tabernaculum erigitur, exacto post exitum anno, juxta Exod. XL, 2. 17. 34.	I
Annorum Summa est		145

QVARTÆ igitur mundi ÆTATIS nova incipit epocha ab exitu populi, qui cum in 15. diem mensis Nisan Num. XXXIII, 3. incidere, quo ipso die illi 430. anni a prima majorum peregrinatione absoluti sunt: factum hinc est, ut mensis Abib s. Nisan, qui septimus hactenus fuerat, primus totius anni constitueretur, a cujus initio exitus epocha putatur, ipse licet exitus in medium incideret mensem.

VI.

In partitione Exodi non adeo multum doctorum discrepant sententia, nisi quod alii duas, tres alii ejusdem constituent partes. D. Marbachius, D. Dorscheus & alii *διχοτομῶν* præferentes, partem I. historicam faciunt rerum memorabilium, quæ circa Israeliticum populum in Ægypto & exitu ex Ægypto contigerunt: II. Marbachius Reipubl. in eadem gente constitutionem; Dorscheus in instituta Israelis Republica legum lationem complecti, scopo tamen ac sensu uterque eodem censet. Nobis *τριοτομία* magis arridet, quam e nostris b. Calovius *Bibl. Illust. T. I. p. 318.* & e Reformatis Rivetus *T. I. Opp. p. 722.* convenientissimam libro judicarunt; ut P. I. *historica* sit, de educatione populi usque ad montem Sinai a c. I-XVIII. II. *dogmatica*, de νομοθεσίᾳ vel legum traditione a c. XIX-XXIV. III. *ποιητική* s. operativa & *Mechanica*, de σκηνοποιίᾳ seu tabernaculi constructione a c. XXV. ad fin. Alia quidem, sed minus congrua ratione tres libri partes Heideggerus designat *Enchir. lib. I. c. 3. p. 29.* ut parte I. historiam persecutionis Ægyptiacæ & præparationis ad liberationem a c. I-XII, 37. II. historiam liberationis & exitus ex Ægypto, nec non profectionis ejusdem in desertum usque Sinai a c. XII, 37-XVIII. III. historiam legislationis Mosaicæ in deserto Sinai a c. XIX. ad finem usque libri complectatur. Demum b. Waltherus noster *Offic. §. 722. p. 800.* sex libri integrales partes exhibet: I. de vita Moysi, ejusdemque ad Pharaonem legatione a c. I. ad VI. II. de plagis Ægyptiacis a c. VII-XI. III. de exitu Israelitarum usque ad montem

tem Sina c. XII - XVIII. IV. de constitutione ecclesiæ & reipublicæ per legum promulgationem c. XIX - XXXII. V. de peccato populi, ejusque cum Deo reconciliatione usque ad cap. XXXV. VI. de exstructione tabernaculi rerumque sacrarum apparatu, usque ad fin.

VII.

Specialis secundum capita sua libri distributio ita habet:

Est EXODI pars

Tabula
Synoptica.

I. HISTORICA, de educatione populi ex Ægypto usque ad montem Sinai: cujus

α) Antecedentia sunt

(1) res gestæ post mortem Josephi ante natum Moysen c. 1.

(2) Moysi N. nativitas & gesta ante vocationem c. 2.

β. divina ad educendum populum vocatio

a. e rubo ardente facta c. 3.

b. miraculis firmata & obsequiose suscepta

c. 4.

c. irritu effectū executioni data c. 5.

d. denuo divinitus repetita c. 6.

(3) decem Ægypti plagæ: scilicet

a. aquæ in sanguinem conversio c. 7.

b. ranarum foeda abundantia c. 8, 1-16.

c. pediculorum ex pulvere terræ procreatio v. 17-19.

d. insectorum varii generis immissio v. 20-32.

e. gravissima pecorum per pestilentiam strages c. 9, 1-7.

f. ulcera hominibus & jumentis illata v. 8-13.

g. grando gravissima v. 14-35.

h. locustæ omnem herbam depascentes

c. 10, 1-20.

i. triduanæ Ægypto obductæ tenebræ v. 21-29.

k. primogenitorum Ægyptiorum internecio

p. denunciata c. 11.

p. post institutum agni paschalis Sacramentum c. 12, 1-20. actu ipso illata v. 29-36.

β) factum ipsum cum concomitantibus; scil. populi egressio

(1) post paschatis celebrationem, ex Ramesses in Succoth peracta c. 12, 37 - fin.

(2) signo



- (2) signo memoriæ mandata, consecrata scil. primogenitura c. 13, 1-16.
- (3) ex Succoth in Ethan perrecta v. 17 - fin.
- (4) per maris rubri transitum & Ægyptiorum per mare stragem consummata c. 14.
- γ) consequentia, sunt
 - (1) victoriæ per hymnum solennem celebratio c. 15.
 - (2) divina populi per Manna coelo deplutum
c. 16.
per aquam de petra percussa } sustentatio.
c. 17.
 - (3) clades Amalekitica c. 17, 8 - fin.
 - (4) Jethronis adventus & prima Judicum ordinatio c. 18.
- II. DOGMATICA, de νομοθεσία seu legum traditione, ubi nota
 - α) divinam legislationis per voces & tonitrua præparationem c. 19.
 - β) legis moralis p. contenta c. 20, 1-17.
p. promulgationem v. 18 - fin.
 - γ) leges forenses :
 - (1) de servitute, poena homicidii, jure talionis, bove corrupta c. 21.
 - (2) de furto, damno dato, deposito custodiendo, poena stupratoris, maleficæ, bestiarii, idololatræ ; curandis advenis, viduis &c. c. 22.
 - (3) de mendaciis, æquitate judiciorum, Sabbatho terræ c. 23.
 - δ) leges varias, de Sabbatho, diebus festis, sanguine, primitiis, angelo Domini itineris duce colendo &c. c. 23, 12 - fin.
 - ε) legislationis per solenne fœdus sanctionem c. 24.
 - ς) leges ceremoniales de
 - (1) structura tabernaculi & apparatu sacro c. 26. 27.
 - (2) sacerdotii institutione & consecratione c. 28. 29.
 - (3) suffitu & thymiamate sacro c. 30.
 - (4) sanctuarii structoribus & tabulis legis c. 31.
 - η) legum per peccatum populi violationem, ubi
 - (1) populi μαχαλαργεία c. 32.
 - (2) Moysis intercessio, Domini revelatione nobilitata c. 33.
 - (3) tabulæ legis novæ c. 34.

III. ME-



III. MECHANICA, de tabernaculi erectione; ubi tabernaculi

α) preparatio per populi contributionem c. 35.

β) fabricatio per artificum operam c. 36. 37. 38. 39.

γ) erectio, dispositio & glorificatio c. 40.

VIII.

Nomina Patrum, qui in Exodum commentati fuerint, larga quidem manu suppeditat Heideggerus *Enchir. ad b. l. p. 34.* sed fide haud usque quaque tuta. AVGVSTINI in hunc librum *questiones T. IV.* *Opp. p. 126. sqq.* tum & sermones quidam ad loca nonnulla Exodi c. 1. 2. 3. 4. 7. 12. 14. 15. 17. 20. & 32. facientes, passim in Operum tomis extant; & BEDÆ explanatio in Exodi priora capp. 34. *T. IV. Opp. p. 96.* legitur: in reliquorum vero, quæ hodie supersunt, operibus commentaria in Exodum frustra quæres. ORIGENIS enim fragmenta, ab Huetio collecta, tantum non sunt, ut in commentariis nominari mereantur; *homilia vero XIII. in Exodum*, quæ *Latina Opp. editione T. I. fol. 29. sqq.* conspiciuntur, ex Latina tantum versione Rufini hodie supersunt, nec librum integrum, sed selectas saltem ejus pericopas illustrant. Supplevit autem hunc defectum Aloysius Lipomannus, qui ex Græcis Patribus CATENAM in Exodum magno studio consarcinavit, Parisiis editam A. 1550. Quid in utraque, ad hunc & præcedentem librum, præstiterit, quem servavit ordinem, quos adhibuerit & excerpterit autores, copiose tradit Sixtus Senens. *Biblioth. S. Lib. IV. p. 237. sq.* In mentem hic venit recordari, cujus ad Pentateuchum vel Genesin oblitus fueram, PROCOPII GAZÆI Sophistæ, circa ann. Chr. 500. clari, qui *Commentaria in Octateuchum*, verius Heptateuchum dixeris, quinque nimirum Mosæicos, ut & Josuæ atque Judicum libros, composuit, Latine tantum, Conrado Clausero interprete, Tiguri A. 1555. typis exscripta. Quæ dum erudite recenset *Mr. de Sainjore in Bibliotheca Critica P. IV. p. 143.* originale Græcum in MSCto in Bibliotheca Augustana delitescere indicat, quod typis exscribi optat, cum Latinus interpres mentem Procopii non affecutus ubique videatur.

Inter Judæos celebris in Exodum commentarius מְכִילָתָא *Mechilta* *Judei:* inscribitur, incerti autoris, magnæ tamen autoritatis, cujus originem ad A. C. 210. referunt Rabbini. In *Siphie Jeshen. f. 32. n. 155. b.* autor R. Jischmael dicitur. Impressus Constantinopol.

E nostratibus præter JOH. BRENTIVM, supra ad Pentateuchum laudatum, cujus geminus in Exodum commentarius *T. I. Opp. p.*

Lutheranis:

349.



De Exodo.

349. & p. 595. sistitur, quorum priorem in schola Tubingensi A. 1538. publicis prælectionibus, posteriorem pro concione in ecclesia Stuttgardiana A. 1557. enarravit; nominandus venit PAVL. CONSTANTIN. PHRYGIO, Theologus pariter Tubingensis, qui A. 1543. pie defunctus, Commentarium in Exod. reliquit, Tubingæ in 4to anno ipsius emortuali evulgatum. DAV. RVNGII prælectiones in h. l. Wittebergæ in 8. A. 1614. luci publicæ expositæ sunt. DAV. GHYTRÆI enarratio quoque Wittebergæ in 8. A. 1576. excusa est. GEORGO CALIXTI in Exodi XX. capp. priora expositionem literalem perquam succinctam, Frid. Ulricus filius Helmestadii in 4. A. 1665. editis Parentis ad quorundam V. T. librorum intelligentiam facientibus lucubrationibus inseruit. Præterea vernaculo sermone JOH. FOERSTERS *Diexodum Exodi* Wittebergæ edidit in fol. 1614. & in 4. A. 1625. in qua CXIV. homiliis librum explicavit. VINCENT. SCHMVCCEIUS homiliis XCVIII. Lipsiæ in 4. A. 1614. excusis, viginti priora libri capita illustravit. Spectat huc etiam M. NICOLAUS ERBENII *Historia des Volcks Israel/ von Mose an/ bis auf Saul den ersten König Israel/* Erfurt. in 4. A. 1594. nec non VALERII HERBERGERI *magnalium Dei* Pars V. & VI. Ut JOH. LVNDIUM im Jüdischen Heilighümern passim, aliosque jam taceamus, qui selecta saltem libri capita vel argumenta commentariis elucidarunt.

E Pontificiis SEBAST. BARRADIVS Soc. Jes. Theol. & in Pontificii: Eborensi Academia Sacrar. literarum Professor *itinerarium filiorum Israel ex Aegypto in terram repromissionis* decem libris concinnavit, Antvverpiæ A. 1621. editum, Coloniaeque & Moguntiae recusum, quo maximam Exodi partem explicavit. JOHANN. LORINVS S. J. Romæ & Mediolani Theologiae Professor, in Exodum commentarium edidit Lugduni in fol. 1619. LVDOV. YSTELLA Ord. Prædic. & Theol. Professor duos tomos commentariorum in Genesin & Exodum, Romæ in fol. A. 1601. excudi curavit, quibus hunc servat ordinem, ut omnem operam parengrapho, expositione & scholiis absolvat. BENED. PERERII quoque citantur disputationes selectæ in XV. priora Exodi capp. Ingolstadii Tomo I. A. 1601. excusæ. Laudatur quoque Posslevino in *Apparatu* S. p. 569. FIRMINI CAPITIS, Theologi Galli expositio in Exodi priora capp. usque ad necem primogenitorum Aegypti, in aliquot homilias distincta, & concionibus tempore Adventus Domini accommodata, Parisiis A. 1580. E Re-



E Reformatis CHRISTOPH. CARTWRIGTHI Angli electa Targumico-Rabbinica in Exodum, Londini in 8. impressa sunt A. 1653. NICOLAUS GALLASIVS Pastor Genevensis commentarium in h. l. edidit Genevæ in 4. recusum deinceps in fol. A. 1560. Caspar Megander & Leo Judæ farraginem annotationum in Exodum, ex ore HVLDRICI ZWINGLI & aliorum, ad caput usque 24. comportarunt, Tiguri editam A. 1527. Sed & ejusdem ZWINGLI *ἐξήγησις* in Exodum inter Opp. ejus prostat, Tiguri in fol. exscripta, A. 1544. & 1595. JOS. SIMLERI Commentarius Tiguri in fol. prodiit A. 1584. & 1605. ANDR. WILLETI Angli *Hexapla upon Exodus in II. Parts* Londini in fol. A. 1608. & 1622. typis evulgata sunt. ALBERTI HANDFELD *Exodus*, Heidelbergæ in 4to A. 1619. impressus LXXXVI. homiliis librum explanat. QVIRIN. REVERVS Professor Theol. Heidelbergensis Commentarium in Exodum Francofurti ad Oderam edidit in 4. A. 1616. JOH. LIGHTFOOTI Angli *Manipulus spicilegiorum e libro Exodi*, in lingua Anglica olim sub tit. *A Handfull of Gleanings out of the Booke of Exodus* Londini in 4. A. 1643. excusus, Latine exhibetur inter Opera ejus *T. I. p. 161. sqq.* ANDREAS RIVETVS cum primis, e publicis prælectionibus A. 1628. sqq. institutis, copiosum in h. l. commentarium composuit, præmissa oratione: de afflictionum ecclesiæ autore, & causis cur ita exerceatur, seorsim editum A. 1633. dein *Opp. T. I. insertum p. 721.* Præterea quoque prælectiones pleniores in *Cap. XX. Exodi*, in quibus ita explicatur *Decalogus*, ut casus conscientie, quos vocant, ex eo suborientes, ac pleræque controversiæ magni momenti, quæ circa legem moralem solent agitari, fuisse & accurate discutiantur, A. 1632. publici juris fecit, quæ in *T. I. Opp. p. 1225. sqq.* conspiciuntur. JOH. COCCEJI *Observationes in Exodum* haud adeo prolixæ *Tom. I. Opp. p. 137 - 165.* leguntur. Tandem quoque mentionem hic facere liceat eruditissimi Commentarii, quem JOH. BRAVNIVS Theologus Groninganus de vestitu Hebræorum Sacerdotum Lugduni Batav. in 4. A. 1680. ad duorum saltem Exodi capp. XXVIII. & XXIX. explicationem evulgavit. Refert huc porro Heideggerus HERMANNI RAVENSPERGERI, primi in Facultate Theol. Professoris Groningani tractatum, quem *septem margaritas Mosaicæ* inscripsit, excusum Amstelodami in 12. A. 1617. Alios ut taceam, qui antiquitates quasdam sacras ex hoc libro, collatis Judæorum monumentis, data opera illustrarunt.



CAP. VI.

De Levitico.

Summari-
um capitis.

Libri appellationes expenduntur; maxime, unde Leviticus dicitur? §. 1. Consignationis tempus. Ordo, quo Exodum Leviticus sequitur §. 2. Argumentum: Scopus: Usus, quem hodiernum Leviticus præstat §. 3. Divina libri autoritas. Leviticarum legum pariter ac ceremoniarum origo sacra atque divina a Grotio, Marshamo & Spencero in dubium vocatur §. 4. Quorum satisfat argumentis §. 5. Earundem porro usus & scopus a Spinoza criminationibus vindicatur §. 6. Chronologia. Partitio §. 7. Tabula Synoptica §. 8. Commentatores Patres: Judei: Lutherani: Pontificii: Reformati: Mantissa eorum, qui de sacrificiis & cultu Levitico ex instituto egerunt §. 9.

§. I.

Appellatio.

Mosaicorum librorum tertio, pariter ac ceteris ejus libris, vox auspicalis nomen dedit, ut לֵוִיִּיק & vocavit Hebræis dicitur. Nominis aliquam redditurus rationem Münsterus, sic appellari tradit, quia hætenus a constitutione mundi tam magnifica & gratiosa vocatio ad homines facta non fuerit. Invenitur quidem, ait, Deum vocasse de cælis, de nube, de rubo ardenti; sed hic vocat ex domicilio, quod majestate & gloria sua implevit, & quod sibi unice in terris delegit, ubi inter homines habitare atque misericors inveniri voluit. Quæ, quanquam ex ingenio magis quam rei veritate dicta, ad verbum tamen in annotationes suas transtulit Isidorus Clarius, perpetuus fere Seb. Münsteri expilator. Græcis in neutro λευιτικόν, scilicet βιβλίον, ut Athanasius supplet, Latinis *Leviticus* inscribitur, quia de ministeriis sacerdotalibus tribus Leviticæ agit. Ὀνομάζεται ὕτως, ἐπειδὴ καὶ ἰδικῶς πᾶσαν τῆς λευιτικῆς λειτουργίας τὴν διατύπωσιν περιέχει· καὶ πᾶς ὁ ἱερεὺς καὶ οἱ ὑπὸ αὐτῷ ἐκλέγονται ἐκ τῆς φυλῆς Λευὶ, καὶ χεῖρονται εἰς ἱερέας· πᾶσαν τε τὴν διαφορὰν τῶν θυσιῶν καὶ τῶν προσφορῶν, καὶ τὴν ποιότητα πάσης τῆς ἐν τῷ ἱερῷ λειτουργίας, καὶ τῆς



τῆς λευιτικῆς καὶ ἱερατικῆς λειτουργίας, καὶ τὸν νόμον δὲ ἐκάστης θυσίας. Id nominis ob eam causam accepit, quod peculiariter universam Levitici muneris dispositionem continet, & quo pacto ex tribu Levi ad sacerdotium electi sint & uncti Aaron & filii illius, & quicquid discriminis est inter sacrificia & oblationes, & qualis sit universus tabernaculi cultus, qualis item sit Levitici ac sacerdotalis muneris functio; deinde & cujusque sacrificii legem, ut Athanasius habet, seu quisquis tandem autor fuerit Synopseos, T. II. Oper. p. 68. Utut enim distincta Sacerdotum essent & Levitarum munia, ita, ut illis rem sacram facere, his non nisi excubias ad tabernaculum agere, & sacerdotibus ministrare, tum etiam tabernaculum in itinere portare, & pro re nata vel exstruere vel solvere liceret; unde & in primitiva Novi Test. ecclesia Diaconos Levitas dictos, & hoc ipso nomine a Sacerdotum ordine ac dignitate distinctos fuisse, Forbescius tradit *Instruct. Historico-Theolog. Lib. XI. cap. 20. §. 28. p. 619.* & ex Zonara ac Synesio probat Suicerus *Thesauri T. II. p. 227. voc. λευίτης*: utut porro de Levitis non adeo hoc libro, sed Num. III, 6. sqq. 1. Chron. XXV. agatur, hic vero sacerdotum potius ministeria describuntur; utrique tamen filii Levi cum essent, communi nonnunquam tribus suæ nomine veniebant. Conf. Deut. XXXI, 9. Commodissime tamen non tam Levitas, quam τὴν λευιτικὴν ἰερωσύνην, quam Paulus vocat Hebr. VII, 11. *Leviticum Sacerdotium* hoc libro descriptum, nomini originem dedisse dixeris. Quod distinctius Rabbinica reddit appellatio, qua frequentissime תורת כהנים *Lex Sacerdotum*, nec non תורת הקרבנות *Lex oblationum*, ab argumento præcipuo hic liber audit. Ceterum quando Abulensi & Hugoni Cardinali *offertorius* aut *sacrificatorius*, Ruperto *ministerialis* vocatur; unde Glossa Ordin. ad inscriptionem Levitici: Latine dicitur *offertorius vel sacrificativus*: privata saltem hæc nomina ejus, non ecclesiastica, vel publica ecclesiæ auctoritate recepta esse, bene observat Lorinus *Comment. in h. l. præf. c. 3. p. 2.*

II.

Temporis articulus, quo conscriptus Leviticus est, satis accurate indagari potest, si initium & finem libri cum Exod. XL, 17. 33. sq. & Num. I, 1. conferamus, unde constat, in XII. Hebræorum statione, in tabernaculo recens exstructo, anni secundi egressus mense primo consignatum esse integrum, distinctis licet vicibus & diebus, ut ex c. IX, 1. c. X, 1. 2. c. XVI, 1. apparet. Ordine vero convenientissimo Exodum sequitur: *In eo enim tabernaculum ordinatur, in hoc (libro) ea continen-*

Consignati-
onis
tempus:

ordo.



De Levitico.

tur, quæ Dominus Moysi de tabernaculo loquebatur, & tabernaculi ceremonia, ut Glossa Ordin. habet: siquidem constructio tabernaculo, vasisque & utensilibus sacris paratis, de quibus in Exodo actum, proximum erat, ut officia ministrorum in tabernaculo obeunda, & ritus sacrificiorum fusius exponerentur. Quam vero ordinis rationem Dionysius Rickelius apud Lorinum c. l. p. 7. reddit, quasi tertium in Pentateucho locum teneat Leviticus, quia filiorum Jacob tertius fuerit Levi, ridicula plane & inepta; nec minus contorta & aliena ea est, quam Beda sub init. explanationis in b. l. profert: quia Genesis istam sententiam significat, qua dicitur: Lex Domini immaculata convertens animas. Exodus: sapientiam præstans parvulis. Leviticus vero: demonstrans præceptum Domini illuminans: Numerus vero: judicia Dei vere justificata: ex Pl. XIX, 8. 9. quæ paulo post ita declarat: Quia Genesis enunciat, omnia verbo Dei esse creata, quæ ideo lex est: in illa quoque animarum conversio, id est, a vita ad mortem, ut Adam intelligitur: & a morte ad vitam, ut Noë. Exodus sapientiam præstans parvulis, adimplendo quod Abraham, Isaac & Jacob de terra repromissionis Deus promissit. Omnes enim in Dei comparatione parvuli sunt. Leviticus autem præceptum lucidum illuminans, discernendo inter munda & immunda animalia. Numerus vero, judicia Dei vera sunt, maxime in prophetia Balaam, in benedictionibus maledictionibusque.

III.

Argumen-
tum.

Scopus.

Leges autem sacras liber iste, Dei jussu post tabernaculi exstructionem rogatas tradit, Ezech. XX, 25. statuta non bona & judicia, per quæ vita obtineri nequit, dictas, atque Act. XV, 10. jugo ἀβάσαντων comparatas. Τάξις cum primis ἱερατικὴν, sive Agenda Ecclesiastica Veteris Test. hoc libro condere Moses, & quæ circa sacrificiorum ritus, sacerdotum officia, immundorum expiationem, ac universum cultum Leviticum tam publice quam privatim obeundum veniunt observanda, ordine pleneque exponere constitutum habebat. Hinc quoque pueros Judæorum Magistri Scripturæ S. lectionem ab hoc præcipue, non Geneseos libro, auspicari voluerunt, quod amplissimus ejus in omni vita usus esset. Scopum ejus Epist. ad Hebræos uberrime declarat, umbram rerum futurarum in Christo exhibendarum legem istam præbuisse docens, & populi ad sacerdotium ac sacrificium unicum Mesia, in plenitudine temporis præstandum χειραγωγῶν, ut scite ac sapienter Hieronymus Epist. CIII. ad Paulinum scribat: In Levitico singula sacrificia, imo singula



singula pene syllabæ, & vestes Aaron, & totus ordo Leviticus spirant cælestia sacramenta. Eo itaque universus liber tendit, ut & Judæis, partim genuinam cultus rationem præscribat, ne in ἐθελοθρησκείαν prolapsi, fœda commacularentur idololatria; partim & præcipue quidem, sub vario typorum involucrio Christum cum merito suo, totumque redemptionis mysterium ob oculos ponat: & Christianis in Novi Instrumenti explicatione circa ea, quæ cultum Leviticum, ejusque antitypum concernunt, lucem fœneretur; tandem etiam, ut spirituale fidelium sacerdotium illustret, & officia tradat, quibus Deo se victimam offerre, ejusque cultui totos consecrare, & ab inquinamenti peccati abstinere tenentur. Huc spectat, quod veteris ecclesiæ Doctores *literam hujus libri inutilem aut etiam noxiam dixerint, si spoliatur spirituali intelligentia*: hanc autem non ad virtutes tantum, quas morales vocant, & ad externa vitæ genera accommodandam, sed ad Christum cumprimis, ejusque sacrificium & λειτουργίαν referendam esse, egregie monuit b. D. Brentius in *epist. nuncupat. commentario in h. l. præmissa*. Unde *infi-* *utilitas.* gnis, quem ad hunc diem liber præstat, usus haud obscuris indiciis elucet. Neque enim existimandum est, antiquatum cum legibus suis Leviticum esse, aut ad Judæos tantum, eorumque antiquitates spectare. Varia enim & præclara hodiernum in gentem quoque Christianam exinde utilitas redundat. *Primo* quippe spes omnis salutis nostræ, fides omnis Christi sacrificio niritur, cujus indolem, rationem ac fructus Leviticorum sacrificiorum descriptio, hoc libro luculentissime suppeditata, mirum quantum illustrat, adeo ut Apostolus Christi sacerdotium in Epistola ad Hebræos declaraturus, nusquam non ad Leviticum cultum respiciat ac provocet: *Deinde* Novi quoque fœderis præ illo Veteri ἐξοχή ex Levitico cumprimis illustranda est, qui Pædagogum exhibet, cujus disciplinam evasimus, Gal. III, 23. noctem, cujus depulsis tenebris clara diei luce fruimur, Rom. XIII, 12. umbram futurorum bonorum, in cujus locum corpus ipsum & promissorum substantia successit, Col. II, 17. Hebr. X, 1. ut adeo vix commode, quam feliciore longe sorte Novi Testamenti homines præ Patribus istis Veteris fœderis fruamur, absque hujus libri cognitione intelligere queamus. *Porro* etiam insignem Novi T. libris Leviticus lucem affundit, ex quo, quæ Christus ipse de Sabbatho, de lepra, de conjugio; quæ Evangelistæ de circumcisione, de puerperio, de oblatione, de agno quoque tollente mundi peccata; quæ tandem Apostoli de sacerdotio Christi, & de sacrificiis Christianorum

norum



norum spiritualibus in medium proferunt, explicanda aut illustranda sunt. Tandem etiam haud pauca doctrinae Christianae capita hoc libro egregie insinuata deprehendimus, justificationem scilicet nostram per sanguinem Christi, sacrificiis adumbratam; sanctificationem nostram, in purificationibus puerperarum, leproforum, & omnis generis immundorum depictam; veram cultus divini rationem, in moralibus legibus commostrarum; societatem civilem ordinemque Politicum, per forenses leges commendatum; & quæ aliæ sunt commonefactiones, quibus historica quoque Levitici nos instruunt, in quibus enarrandis nervosè & solide versatur b. Erasmi. Marbachius *Præm. Comment. in b. l.*

IV.

Autoritas.

Legum Ceremon.
origo
impugnata,

a Grotio,

Canonicam libri auctoritatem, a nemine, quod sciam, seorsim & data opera in dubium vocatam, augustum illud a Dei imperio petitum auspiciū pariter, ac crebra in Novo Test. allegatio confirmat. Sed & Moysi, sacro Numinis amanuensi, ejusdem consignationem non Judæi modo, ex antiqua ecclesiæ traditione tribuunt, Joh. VIII, 5. verum etiam Christus ipse Matth. VIII, 4. Divinam vero Leviticarum legum atque ceremoniarum originem, non sine recondita quidem eruditionis apparatu, at omnino profane sollicitant Joannes Marshamus Eques Aurgatus Anglus, in *Canone Chronico Ægyptiaco, Ebraico, Græco*, Londini primum in fol. A. 1672. edito, & postea in 4. A. 1676. Lipsiæ recuso; & Joannes Spencerus, Theologus Cantabrigiensis, primum in *Dissertatione de Urim & Thummim*, Cantabrigiæ A. 1669. edita, postmodum in amplissimo *de legibus Ebraeorum ritualibus* commentario, quem Cantabrig. in fol. A. 1685. publici juris fecit. Judæorum ritus, lege ceremoniali præscriptos, uterque contendit ab antiquissimarum gentium cultu originem traxisse, correctos solum in Hebræorum sacris, cum ab aliis gentibus sine emendatione usurparentur. Neque tamen hi primi ingeniosi erroris inventores, sed Grotianæ tantum sententiæ interpolatores videri possunt, quam πῶτον ψεύδος profano illi scripturarum interpreti præbuisse, Magnus Calovius noster *Bibl. Illustr. T. I. p. 471.* dudum observavit. Nec dubium relinquunt Grotii verba, quæ ad *Levit. I, 9.* ita habent: *Sacrificiorum ritus aut ab Hebræis ad gentes alias venerunt, aut, QVOD CREDIBILIVS EST, a Syris & Ægyptiis usurpati, correcti sunt ab Hebræis, & ab aliis gentibus sine emendatione usurpati.* Quibus adde, quæ ad *Coloss. II, 20.* habet: *Nihil in ipsis ritibus erat proprium Judæis, & magis a gentibus ad Judæos per συντάξασιν quandam*



dam Dei, quam a Judæis ad gentes venerant. Isthæc legentes vestigia Angli, paulisper diverso uterque tramite incedunt, ad metam tamen tendentes eandem. Et Marshamus quidem *p. 150. edit. Lips.* postquam ingenti molimine negasset, Philosophiam Platoniam aut Pythagoricam ex fonte Judaico derivatam fuisse, eaque propter persuaderi sibi non patiatur, vetustioribus Persarum temporibus Græcos a Judæis edoctos fuisse: maxime cum ante captivitatem Babylonicam, sive VII. Sapientum ætatem, Græci non solum Philosophiæ, sed & rerum suarum, multo magis exoticarum, incuriosi fuerint; & post reditum e Babylone Judæorum Respublica sub Persis adeo obscura fuerit, ut vel nomen eorum, ætate Herodoti, Græcis inauditum fuerit, quippe qui non ante Alexandri expeditionem Græcis primum innotuerint, & sub Seleucidis demum inclaruerint; cumque porro, Josepho *lib. I. contra Apion.* fatente, nulla Judæorum cum exteris consuetudo fuerit, eo quod Judæi, ex decreto sapientum, gentiles omnes pro immundis haberent, adeo, ut vel eorum contactu immunditiam contrahi crederent, ut ex Joh. XVIII, 28. & Act. X, 28. pateat; cum etiam gloriarentur Judæi Deut. XXXIII, 4. legem in hæreditatem & peculium datam esse filiis Jacobi, mirantique Ptolemæo Philadelpho, cur legum Mosaicarum nec Historicorum quisquam nec Poëtarum meminisset? ex merito responderit Demetrius, divinitus poenas dedisse quosdam, qui eas sollicitassent, siquidem & Theopompus mente, & Theodectes visu eam ob rem orbatî sint; cum denique fieri non potuerit, ut Mosaici libri Hebraico sermone editi, & in alias linguas nondum conversi, ethnicis Hebraice non callentibus innotescerent: tantam nihilominus tamen deprehendit Philosophiæ Græcæ Judaicæque congruentiam, ut Josephus, Clemens & alii illam ex hac prognatam esse, arbitrati fuerint. Hinc itaque infert Marshamus *p. 154.* utramque Hebræorum & Græcorum disciplinam in tertia aliqua convenisse, ex qua utraque propagata sit, eamque nominatim doctrinam esse Ægyptiorum. Extra omnem enim controversiam esse, Græcorum sapientes discendi gratia in Ægyptum profectos esse, atque tam sacram quam moralem suam disciplinam inde deduxisse: de Hebræis vero ex sacris literis constare, diutinos fuisse Ægypti incolas, nec statim mores Ægyptios penitus illos exuisse, quin aliquæ manserint inter ipsos reliquæ disciplinæ Ægyptiacæ. Unde tandem concludit: *multas Moysi leges ex antiquis moribus manasse, & plerosque Ægyptiorum ritus Moysen abrogasse, quosdam immutasse, quosdam præ indifferentibus habuisse, quosdam*

O

permi-

Marshamus.



DeLeuitico.

permisſiſſe, imo & juſſiſſe. Hæc fere ſunt Marſhami commenta, quæ in erudito opere exemplis demonſtrare paſſim ſatagit. Eodem vero

Spencero:

Spencerus, ſed per ambages, tendit. Paulo altius enim in *Præfat. libri 3. p. 519.* ceremoniarum ſacrarum origines repetens, ſententiam ſuam in hunc modum exponit: quosdam omnino ritus ſacros v. g. primitias Deo conſecrandi, altaria titulosque in illius honorem erigendi &c. e Patriarcharum moribus in poſteriorum religionem tranſiſſe; ſed paucos illos facilesque poſt ſecula non multa in molem immenſam exceviſſe, qui novi mores vel e fraude ſacerdotum ethnicorum, qui fabulam ſuam de religione, magna varietate rituum exornarint, ut plebi gravior accederet & ſibi ipsis quaſtuofior; vel e pruritu & laſcivia ingeni humani, cui veterum omnium ſaſtidium ſtatim obrepit; aut e ſuperſtitioſo & puerili illo dogmate, quod operoſis quibusdam ceremoniis & cultus ſui circumſtantiis, artem & elegantiam ſapientibus, Deum demereri liceat, originem hauſerint. Inter hæc eveniſſe, ut in Ægypto nati Iſraelitæ Dei rerumque divinarum notitias oblivioni ſenſim traderent, & vix ultra lateres & allium Ægypti jam ſapientes, ſervilique intenti operi, in Dominorum ſuorum mores & ingenium toti tranſirent, ritibus eorum ac ſuperſtitionibus facile ſuſceptis, id quod *lib. I. cap. 1. Sect. 1. p. 22.* Scripturæ testimoniis, veterum ſuffragiis & e populi moribus confirmat. Deum itaque, cum religionem in integrum reſtituere, & Iſraelitas ad patrum pietatem revocare ſtauiſſet, hanc iniſſe rationem, ut idolorum cultu, ſub pœna capitis, iis interdiceret, & ritus omnes, fidei vel moribus honeſtis adverſantes, a legis & cultus ſui corpore, tanquam membra corrupta penitus amputaret: ritus autem alios non paucos, multorum annorum & gentium uſu cohoneſtatos, quos ineptias norat eſſe tolerabiles, aut ad myſterium aliquod adumbrandum aptos, in ſacrorum numerum adoptaſſe. Cum enim rudes Iſraelitæ per patrum ſuorum veſtigia eundi cupidine toti flagrarent, & animos gentium (Ægypti præcipue) moribus affixos gererent; modo Deus ritus antiquos omnes inhibuiſſet, in eos procul dubio & gentium ſacra impetu & deſiderio calidiore fuiſſe ruituros. Quando itaque Deo jam res eſſet cum eo rudi populo, a ſuis ſeculique moribus nulla machina dimovendo; eorum ritus nonnullos paululum emendatos leni ipſum animo tuliſſe, & per *συντάβασιν* illam Iſraelitas a gentium idolis & ceremoniis ſenſim & ſuaviter avocare ſtudiſſe, quos ſtatim & cum violentia quadam avellere non potuerit. Quæ omnia ut obtineat Spencerus,



cerus, rem ita aggfeditur, ut *Libro I. Operis* fines legum ceremonialium pervertat, primariamque legum rituumque Mosaicorum rationem idolatriæ Israeliticæ inhibitionem fuisse evincat; secundariam demum in *συναγωγὰς* rerum spiritualium reponat, ita quidem, ut primas in ea nihilominus moralibus officiis, tanquam in imagine repræsentandis tribuat, & postremum omnium locum assignet typicæ Messiae adumbrationi. *Libro II.* eas expendit leges Mosaicæ, quibus Zabiorum ritus occasionem dederint. Zabiorum vero nomine, quod ex Maimonide & Arabicis Scriptoribus ipsi innotuit, Chaldaeos imprimis, Ægyptios etiam, Nabataeos, Charanaeos, Syros, aliosque Chaldaeorum dogmatis & ritibus addictos, censendos esse arbitratur. *Librum tandem III.* octo dissertationibus absolvit, quibus de ritibus & gentium moribus in legem translatis, de origine sacrificiorum, de purificationibus, de Neomeniis, de Arca & Cherubim, de templo, de origine *τῶν* Urim & Thummim, & de hirco emissario ex instituto agit. In eodem quoque luto hærete *Guilielm. Outramum*, ex ipsius verbis *libro I. de sacrificiis cap. 18. §. 4. p. 194.* fere colligere licet, quanquam, ut alienam, eam referre videri velit sententiam.

V.

Enimvero somnia ista, utcunque eruditionis se commendare vi-
deantur specie, & quibuscunque tandem ornentur pigmentis, quam longe tamen a sanorum verborum abeant forma, e Sacris literis palam est. Ex nimirum divinam sacramque, non humanam, non gentilem legum *1.* ac ceremoniarum Mosaicarum originem toties evincunt, quoties Mosen a Dei ore pependisse, & ad ipsius nutum atque imperium omnia instituisse, disertis verbis asserunt. Unde universa legum repetitio, in Deuteronomio comprehensa, Israelitis facta dicitur *כָּל אֲשֶׁר צִוָּה יְהוָה אֱלֹהֶיךָ מֹשֶׁה אֶתְּמוּל* *juxta omnia, quæ præcepit JEHOVA Mosi ad filios Israel, Deut. I, 3.* Mosi enim quid divina totiesque repetita & inculcata opus fuisset institutione, quid familiarissimo cum Deo commercio, si non diversos ab Ægyptiis aut longo usu inter populares suos receptis tritisque gentilium moribus, lege sua præciperet ritus? Omnem enim Ægyptiorum sapientiam accurate calluisse, potentemque sermone ac opere jam ante fuisse Mosen, Stephanus testatur *Act. VII, 22.* Licet vero hanc institutionem eo pertinuisse dixeris, ut qui probentur *2.* Deo ritus vel saltem tolerentur ac retinendi sint, qui ex adverso improbantur abrogandi, fidelis Dei servus inde hauriret; manebunt tamen &



- isti a Deo tolerati, adoptati & repurgati, humani saltem ingenii figmenta, ἐντάλματα ἀνθρώπων, quibus cultum Deo acceptum Salvator exhiberi negat Matth. XV, 9. Plus enim quam Cimmerias, mentes hominum post lapsum, tenebras occupasse, ut in rebus ad Deum remque divinam spectantibus plane cœcæ, nil nisi errores gignant & amplexentur, scriptura passim testatur, nec ipsi dissitentur gentiles. Hinc tam sollicitè sapientissimum Numen cavet, ne humano ingenio, circa res divinas statuendi, ullum relinquatur arbitrium, ulla detur facultas, artissime quæ ad cultum suum pertinebant circumscribens, ut eis vel addere quippiam vel demere velle, sacrilegium habeatur, Deut. IV, 2. XII, 32. Prov. XXX, 6. & pari passu cum idololatria ambulet, Num. XV, 39. Deut. XVII, 3. Jer. XIX, 5. Quid? quod *Diabolum* ipsum *primum tot ceremoniarum* (inter gentes quidem, quarum ritus Deus in sacrorum suorum numerum adoptavit,) *magistrum extitisse*, signatis verbis p. 520. fateatur Spencerus? An vero absque summæ impietatis, imo blasphemiæ nota dici possit, Deum tolerasse, approbasse & iussisse ritus in cultum suum adhibendos, qui a Diabolo, Dei cultusque ejus osore, ad omnem pietatis veræque θεοσεβείας eliminationem excogitati, adeoque ex orco ortum traxere? an hæc Christiano homine, ne dicam Theologo vox digna sit? judicent quotquot ullo adhuc pietatis sensu tanguntur. Hinc scilicet Spenceriani illi flosculi enascuntur, quibus Deum ritus multorum annorum & gentium usu cohonestatos, quos *INEPTIAS* norat esse *TOLERABILES*, in sacrorum suorum numerum adoptasse, belle nimirum & scite rhetoricatur. Sed quid multis? Sane Deus ipse Levitici cultus ceremonias ab Ægyptiorum ceterarumque gentium quarumcunque ritibus longo discriminat intervallo, eum Moſen in hanc sententiam affari populum jubet: *Ego Jehova Deus vester: אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם אֲשֶׁר יָצִאתִי מִצְרָיִם* secundum opus terre Ægypti, in qua habitastis (quale demum cunque istud fuerit) ne feceritis, אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם אֲשֶׁר יָצִאתִי מִצְרָיִם ne feceritis, אֲנִי יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם אֲשֶׁר יָצִאתִי מִצְרָיִם & secundum opus terre Canaan, in quam ego vos introducturus sum, ne faciatis, & in statutis eorum ne ambuletis. *Judicia mea* (non Ægyptiorum, non Cananæorum) *facite, & statuta mea observate, ut ambuletis in eis.* Ego Jehova vester Lev. XVIII, 2. 3. Ubi disertis verbis peregrinos ritus sine discrimine omnes prohibet, suaque illis statuta & placita opponit, quæ nihil cum illis

illis commercii, nullam similitudinem habeant. Et adhuc clarius Deut. XII, 2. sqq. *Perdendo perdetis omnia loca, ubi serviverunt gentes, quas vos expellitis, diis eorum: super montibus excelsis, & super collibus, & sub omni arbore viridi, & destruetis altaria eorum, frangetisque statuas eorum, & lucos eorum comburetis igne, & sculptilia Deorum eorum succidatis, ut perdati nomen eorum de loco hoc: NON FACIETIS EO MODO* (quo nempe gentes Diis suis fecerunt) *JEHOVÆ Deo vestro.* Quis hinc induci se patiatur, ut credat, gentiles istos ritus, quibus tam severe interdixit Deus, ipsum nihilominus in sacrorum suorum numerum adoptasse aut tolerasse? Sed videamus nunc, quibus fidem sententiae suae facere conetur argumentis Spencerus. Id enim *Lib. III. Diss. 1. Cap. 1. p. 521.* operam dat, ut Deum ritus aliquos inter gentes olim usitatos in legem cultumque suum transtulisse, *sect. I. divinis, sectione II. humanis* testimoniis demonstret. Ubi quidem primo ad Mosaica Deut. IV, 7. 8. verba se recipit, quae tantum abest, ut sententiae ejus patrocinentur, ut potius contra ipsum militent: *Quae gens est ita magna, cui sint Diis propinqui, sicut est Jehova Deus noster in cunctis, pro quibus invocaverimus eum. Et quae est gens ita magna, cui sint statuta & judicia, sicut lex ista, quam ego coram vobis do hodie?* Numne verbis istis statuta & judicia Israelitis esse cum gentium & Aegyptiorum placitis communia, vel ex gentilium derivata sacris, Moses perhibet? Anne vero potius ab omnium gentium sanctionibus & ritibus longo intervallo distincta? Quae consequentia illa est, quam Spencerus nescit? *Moses hoc in loco legem & conditionem Hebraeorum cum gentilium confert: at rudi populo clare constare vix potuit, quantum ipsorum leges & ritus gentium instituta sanctitate & excellentia superarent, nisi inter utraque similitudo vel affinitas aliqua generalis intercederet.* Longe validiori argumentatione hæc inverterim, & rudi populo de legum suarum prærogativa constare potuisse negaverim, si similes vel affines ritus inter gentes in usu fuissent. Unde depravatio rectius, quam textus explicatio censenda est, cum verba ita παρὰ φεδζες: *Si gentium exterarum instituta recolitis, dicite o boni, qui ritus externos affectu studioque maximo prosequimini, quanam ea natio sit, quae ritibus ea puritate, gravitate, splendore conspicuis, cultus sacri munia celebrare solet? Neque enim vulgari illa rituum farragine, quibus gentium ignorantia & superstitio tot ridicula & impura miscuerunt, Deo O. M. cultum exhibemus; sed ritibus emendatis, & Dei sapientissimi limam passis, qui tamen in gentium sacris integri & sine*

vindicta.

I.



De Levitico.

- ulla correctione retinentur. Ubi vero emendationis hujus in Moiaicis verbis vel vola compareret vel vestigium? Nec sane de qualitate saltem rituum, verum de substantia potius, qua a gentium differant institutis, ipsi sermo est. Sed pergamus ad reliqua. Secundum sententiæ suæ fulcrum subternit ex Pauli verbis *Act. XIII, 18.* ubi de Israelitis agens, Deus, inquit, per XL. annos ἐρεπεποφόνησε mores eorum toleravit in deserto: ubi per mores, quos Deus tulit, intelligendæ Spencero videntur consuetudines aliquæ, pueriles magis quam profana, quarum nonnullas ad tempus sustinuit, alias autem in sacrorum suorum classem transtulit. Unde autem probabit, ritus sacros & religiosos potius, quam vitæ ipsorum ad honestatem vel flagitia compositionem, per mores designari? Cum *ερεπεποφόνειν* a bonæ notæ Scriptoribus non ad sacra facientium ritus, sed hominum in communi vita naves & vitia referatur. Unde longe diversus a Spenceri somnio verborum sensus est, quem b. D. Dan. Arcularii *Comment. in b. l. p. 488.* quam meis verbis reddere malo: *Tertium beneficium* (hic exponitur) *summa Dei in tolerandis populi hujus sceleribus lenitas & indulgentia plus quam paterna, quæ quidem legenti Moysis historiam facile patebit.* Cum enim sapissime nunc in Deum, nunc in ministrum ejus Moysen gravissime delinquerent, ac proinde digni essent, qui ad interuersionem delerentur, Dominus illis clementer pepercit, ac quamvis rebelles nonnullos ex ipsis puniret, populum tamen ipsum conservavit, ut promissionem de Messia, patribus illorum factam aliquando præstaret. Conf. *Pl. LXXXVIII, 38. 39. Ezech. XX, 17.* Ceterum legi ad h. l. omnino meretur vir doctissimus Thom. Gatakerus *Adversarior. Miscell. Posthumorum cap. 41. Opp. T. I. p. 856.* Tertium ipsi argumentum illa loca præbent, quibus Deus de præcipuæ notæ ritibus & institutis agens, vocibus permittentem & dirigentem potius, quam præcipientem & adhortantem sonantibus utatur: e. g. *Exod. XX, 25. Si altare lapideum facere velis mihi, non adificabis e sceltis lapidibus: Lev. I, 2. Si quis e vobis obtulerit oblationem Domino, offeretis de pecoribus &c. Num. VI, 1. Si quispiam voverit votum ad separandum se Domino, se a vino &c.* Cum etiam tabernaculum nondum strueretur, Deus verbis, specie quidem præceptivis, revera autem permissivis tantum utebatur, *Exod. XXXV, 5.* Hinc Deus ipse, de Judaici cultus ceremoniis agens, aperte profitetur *Jes. I, 12. ea omnia se de manibus eorum minime requisivisse: nempe quod ritus illi permisi potius fuerint, quam præcepti, & a sæculi consuetudine magis quam Dei voluntate & intentione primaria*



via derivati. Sed fucum profecto facit, & ludit in re seria Spencerus, cum ubique Deus præcipiat, nec ullibi, ut locis supra citatis vidimus, arbitrio humano in re sacra quicquam definire permittat. Hinc toties *וְשִׁמְשֵׁם / מִצְוֹת / חֻקִּים* *statuta, præcepta & judicia* sua ipsi audiunt Levitica illa instituta. Et ut eamus per exempla, c. l. Ex. XX. altare sibi exstrui v. 24. diserte jussit; nunc modum determinat, si lapideum exstruendum sit, cujusmodi illud sit futurum, adeoque imperat, plane non populi arbitrio permittit. Ita Lev. I, 2. de sacrificiorum origine plane non agitur, sed de materia & modo, ubi rursus præceptiva occurrunt, non permissiva vocabula, ut inspectio textus docet. Longe enim majorem ferebat ætatem sacrificiorum religio, Patriarchis omnibus & jam Habeli frequentata, Gen. IV. quem fide obtulisse Paulus testari non potuisset, ni fides ipsius diserto Dei mandato & verbo fuisset nixa, per Rom. X, 14. Nequicquam vero vim hujus argumenti eludere conatur Spencerus *Lib. III. diff. 2. quæ est de origine sacrificiorum cap. 4. sect. 2. p. 671.* cum sacrificii Abelis acceptionem, quam Apostolus fidei ejus adscribit, Deum Gen. IV, 7. & S. Johannem 1. Ep. III, 12. illius bonæ vitæ, hoc est, fidei operibus probatæ tribuere dicit. Ita nimirum Theologus ille fidem in bonam vitam & opera transformat, & manifeste testatur, nullam sibi injuriam fieri, cum Leidekkerus (ap. Benthem. *Holland. Kirch- und Schulen-Staat P. II. p. 461. sq.*) hoc de legibus Ebræorum universum opus in gratiam Socinianorum conscriptum arbitratur. Si enim hoc non est, nescio quid sit Socinizare; ut ex collatione patet Socin. *P. IV. de servat. Christo c. XI. XII.* ut & *Tract. de fide & operibus p. 60. 123. & 128.* Sed ad institutum redeamus. Vota illa Num. VI, 1. &c. nuncupandi libera quidem unicuique potestas erat, unde etiam voluntaria dicuntur; at nuncupata exsolvendi ratio & modus non arbitrio cujusvis permittitur, sed certa circumscribitur lege, ut gratis hoc etiam exemplum allegetur. Tabernaculi porro structura annon disertis verbis Exod. c. XXV. toto, maxime v. 9. 40. præcipitur? Eum enim in finem Moses denuo ad Deum in montem vocatus, novam cum ipso quadragesimam exegit, ut hæc ipsa de condendo tabernaculo Numinis jussa capefferet. Apud Jesaiam denique c. I, 12. minime Judaicum cultum, sed Judæorum vitia, manuumque impuritatem v. 15. 16. Deus exagitat, a qua si se mundaverint, cultum se non repudiatum, v. 18. pollicetur. *Ultimum sententiæ suæ præsidium in verbis Apostoli quærit, quibus Judæi ὑπὸ τὰ σοιχῆα τῆ κόσμου δεδωλωμένοι* 4. Gal.



Gal. IV, 3. dicuntur. Magnus hic ipse Apollo Grotius est, qui per elementa illa mundi ritus intelligit, qui Judæis cum mundo erant communes, & MVNDI quidem elementa, a majore ea usurpantium parte, vocantur. Verum Grotii errores fuse & solide *ad h. l.* refellit Calovius, ubi inter alia: *Vocantur mundi elementa non quod lex terrena tantum promiserit vel transitoria, ut mundus, non cœlestia, ut glossa ordinaria habet: nec quod hominibus mundo & carni deditis potissimum parata sint, ut Hyperius cenfer: aut quod Judæis cum mundo communia, ut Grotius, quia ad totum Vet. Testamenti populum simul ad heredes & Dominos respicit Apostolus, non ad impios tantum, & mundo deditos: sed quia EXTERNA TANTVM ERANT ET MVNDANA, unde b. Lutherus euserliche Sâhungen reddidit. Nam de EXTERNIS ET SENSIBILIBVS agunt leges ceremoniales, utpote sacrificiis, lotionibus, decimis, feriis & similibus. Quod per antithesin illustrat b. D. Hoë Comm. ad h. l. p. 181. Patres V. T. inquit, circa 5017cœa & nuda quasi elementa occupabantur: ubi nos in Novo Test. res tractamus gravissimas, ab elementis illis mundi, a RITIBVS ET EXTERNIS CEREMONIIS Leviticis diversissimas. Paulo aliter explicat de universa lege Mosaica D. Seb. Schmidius Comm. ad h. l. p. 576. qui videatur. Ruunt ergo fulcra, quibus superstructum Grotio-Marshamo-Spencerianum commentum nitebatur; nec dubium amplius est, universam fere Ethnorum Theologiam, cultumque illum varium, ex Mose ejusque scriptis & populi Israelitici solennibus promanasse, quod Ger. Jo. Vossius in amplissimis illis *de Idololatriæ origine & progressu* commentariis demonstratum dedit: & quanquam negare non liceat, Hebræos ex Ægyptiorum consuetudine & moribus vitium traxisse, cujus rei fidem *Ezech. caput. XXIII.* abunde facit, id tamen DEO probatum & in legum sacrorumque ejus censum relatum fuisse, nulla demonstrari ratione potest. Quæ demum cum Hebræis Ægyptii in sacris communia habent, multo ea rectius ab Hebræis ad Ægyptios, quam vice versa, manasse creduntur, ut Hermann. Witsius solide evicit in *Ægyptiacis*, opere ex instituto Marshami sententiæ opposito, & summa eruditione referto, cujus *Libro I.* magnam atque admirandam plane convenientiam in religionis negotio veteres inter Ægyptios atque Hebræos esse docet: *L. II.* rationes examinat, quibus inductos se testantur adversæ sententiæ Patroni, ut ex Ægyptiorum fontibus Hebræorum plerosque rivulos derivatos esse credant: *L. III.* suam de singulis ἐπι-*

negiv



αἰσιν superaddit, Universam sententiæ hujus refutationem in compendium velut redegit, & XII. argumentis inclusit b. Patruus meus Joh. Ben. Carpzovius in *dissert. de Vacca rufa* P. II. Cap. 3. §. 21. p. 183. qui eandem jam in *notis ad Schickardi Jus Regium Cap. I. theor. 2. p. 44. sq.* attigerat. Ceterum dudum ante, quam isthæc moveretur controversia, b. Joh. Conrad. Dietericus *Antiquit. Biblicar. V. T. ad Deut. XII, 3. p. 274. sq.* ubi in origines idololatriæ inquit, hoc ipsum erudite observavit, quicquid in Judæorum, inquit, erat institutis, id tanquam *simia primum Egyptii, deinde ab his Græci & Romani mutuati videntur.* - - καὶ οὕτως si ullibi in paganorum doctrina, profecto in ritibus sacrificiorum, potest παρασάτωρ observari. Quicquid hic simile habent pagani, debitorum sunt Judæorum; Unde Augustinus l. XXII. contra Faustum c. 17. religiosa sacramentorum prædicamenta Ebræorum sacrilega imitamenta Paganis fuisse scribit. Quanquam istud jam ante Spence- rum perneget Sam. Parkerus itidem Anglus, qui lib. II. *tentam. Phys. Theol. c. I. p. 181. sqq.* omnem movet lapidem, ut vana esse omnia ostendat, quæ eruditi e veri Dei cultu in gentilium translata fuisse Theologiam produunt.

VI.

Sed ista de legum ceremonialium, quæ tantum non utramque Le- Legum ca-
vitici paginam faciunt, origine: Usus porro & scopum earundem pes- rundem sco-
sime pervertit Spinoza. Sententiam suam *Tract. Theol. Pol. c. V. p. 55.* his pus & usus
verbis exponit: Cum Ceremoniæ, eæ saltem, quæ habentur in *Vet. Test.* a Spinoza
Hebrais tantum instituta, & eorum imperio ita accommodata fuerint, ut pervertitur,
maxima ex parte ab universa societate, non autem ab unoquoque exerceri
potuerint, certum est, eas ad legem divinam non pertinere, adeoque nec
etiam ad beatitudinem & virtutem aliquid facere; sed eas solum Hebræo-
rum electionem, h. e. solam corporis temporaneam felicitatem & imperii
tranquillitatem respicere, proptereaque non nisi stante eorum imperio, ul-
lius usus esse potuisse. Si eæ igitur in *V. T.* ad legem Dei referantur, id
propterea tantum fuit, quia ex revelatione vel ex fundamentis revelatis
instituta fuerunt. Quibus deliramentis ut aliquem obducatur colorem,
ad *Jes. I, 10. & Ps. XL, 7. 9.* provocat, ubi omniâ sacrificiorum gene-
ra & festa omnia a lege secludantur. Verum largiamur licet, non nisi vindicatur.
stante Judæorum imperio integrum fuisse ceremoniarum usum, liqui-
dem umbras istas adventanti locum dare corpori & cedere oportuerit,
Col. II, 17. Hebr. X, 1. monstrum tamen non unum reliqua Spinozæ
P com-



De Levitico.

- commenta alunt. Ad legem enim divinam Leviticæ ceremoniarum constitutiones omnino pertinent; non moralem quidem, quæ omnes plane homines obligat, sed positivam tamen, præscriptam a Deo cum vi obligandi Hebræos ad obsequium sub pœna mortis, quæ legis propriè dictæ indoles est ac natura. Hinc, quod supra §. præc. jam observatum est, *præcepta, statuta, & judicia Dei* in scriptura audiunt, non sane ideo tantum, quod vult Spinoza, *quia ex revelatione vel ex fundamentis revelatis instituta fuerunt*, quo pacto omne revelatum, & sic ipsum quoque Evangelium, ad legem Dei referendum fuerit, quod absurdum; sed quod & istæ voluntas legislatoris promulgata, præcipiens sint & obligans. Legem vero divinam si fatalem in existendo & agendo necessitatem dicat Spinoza, ut ex cap. ejus præc. IV. intricatissime quidem proposito colligere est, tum ad hanc talem pertinere legem ceremonias ipsi negamus, istam vero legis descriptionem, ceu spuriam dudumque in Stoicis explosam, eadem opera repudiantes. Nec ullum ipsi in allegatis dictis præsidium est, quæ quippe non omnem sacrificiorum & ceremoniarum usum, sed profanum saltem hypocritarum abusum e medio tollunt & damnant. Porro quoque sani nihil in eo est, quod ceremonias istas ad beatitudinem & virtutem quicquam facere negat. Virtutis enim & beatitudinis licet partes, actus aut causæ non sint; sunt tamen adminicula divinitus peculiariter instituta, pars ordinis, & via, per quam ad virtutum & obedientiæ exercitium, tum & beatitudinis consecutionem perveniebatur. Demum vero aperte falsum est, quod ceremonias Leviticæ, *solam corporis temporaneam felicitatem & imperii tranquillitatem respexisse* contendit. Leges enim illæ pleræque, præsertim quæ sunt de sacrificiis, adumbrabant sacrificium Christi, in ara crucis pro nobis immolandum, ejusque beneficia spiritualia fide acceptanda, atque adeo felicitatem animæ, constitutam in remissione peccatorum & vita æterna; non quidem vi ceremoniarum, sed vi sacrificii Christi, quod adumbrabant, fide apprehensi, adipiscenda, ut commode monet D. Musæus *Dissert. contra Spinosæ tractatum Theol. Polit. §. 77. p. 65.* & fusiùs alibi a Theologis docetur. Ista ergo temporalia commoda, quæ obedientibus legi divinæ promittebantur, umbræ & cortices erant spiritualium bonorum, & vita facienti promissa, Lev. XVIII, 5. vel ipso Christo interprete *αἰώνιος αἰterna* est, Luc. X, 25. 28. Ut cetera nunc prætermittam, quæ non faciunt ad institutum.

VII. Tem-



VII.

Temporum ratio, nullis circa hunc librum difficultatibus involuta, Chronologia. uno mense absolvitur, a tabernaculo die 1. mensis primi, anni egressus secundi, erecto, ad mensem usque secundum ejusdem anni, cujus die primo populus numerari jussus est, quod ex collatione Exod. XL, 17. 33. cum Num. I, 1. patet. Incidit ille mensis a d. 21. April. Juliani ad d. 21. Maji, Anni O. C. 2514. Quod superest, tripartita plerisque ar. Partitio. rifit libri partitio, alio tamen aliis nomine & titulo insignita. Pelar-go & Walthero pars I. agit de rebus sacris, ritu nimirum sacrificiorum, c. I - VII. II. de personis sacerdotio fungentibus, c. VIII - XV. III. de actionibus partim necessariis, partim voluntariis, c. XVI - XXVII. Calovio I. de sacrificiis, II. de Sacerdotibus & Levitis, III. de temporibus oblationi destinatis c. 23 - fin. inscribitur. Heideggerus *Enchir.* p. 37. P. I. leges circa sacrificia c. 1 - 7. P. II. leges circa sacerdotes c. 8 - 10. P. III. leges circa fideles quosvis c. 11 - fin. versari censet. Eodem in- cedit tramite Franc. Burmannus, P. I. de sacrificiis c. 1 - 7. P. II. de in- auguratione Aaronis & filiorum c. 7 - 11. P. III. de variis legibus cere- monialibus c. 11 - fin. agere tradens. Nos b. Calovio calculum adjici- mus, ut ex subiecta tabella patebit.

VIII.

Agit Leviticus

I. de sacrificiis, eorumque

1. speciebus variis, cum alia sint sacrificia

a) voluntaria, sponte oblata; eaque rursus vel

עולה holocaustum, de quo c. 1.

מנחה Mincha l. sacrificium cibarium c. 2.

שלמים pacifica l. eucharistica c. 3.

β) necessaria, eaque

sacrif. על חטאת pro peccato per errorem c. 4.

sacrif. דמים pro reatu c. 5.

2. ritibus in oblatione observandis, ubi

a) ritus holocausti, Minchæ & pro peccato c. 6.

β) ritus sacrificii pro reatu & pacificorum c. 7.

II. de Sacerdotibus, eorumque

1. constitutione; ubi sacerdotii

a) inauguratio. c. 8. 9.

β) per contemptorum, Nadabi & Abihu poenam glorificatio c. 10.

P 2

2. puri-

Tabula Syn-
optica.



De Levitico.

2. purificationibus in immundis peractis; ubi præmisso mundorum & immundorum animalium discrimine c. 11, 1-42. traditur purificatio
 - a) immundorum per attactum c. 11, 43 - *fin.*
 - β) puerperæ c. 12.
 - γ) leprosi c. 13. 14.
 - δ) seminisflui & profluvium patientis c. 15.
 3. functione solenni, die expiationis obeunda c. 16. 17.
 4. iudicio ferendo circa
 - a) gradus agnationis & incestum c. 18.
 - β) varias & miscellas leges observandas c. 19.
 - γ) poenas prævaricatorum c. 20.
 5. incontaminata qualitate & requisitis c. 21. 22.
- III. de temporibus sacris, quæ dicata sunt
1. Sabbatho & Festis c. 23.
 2. apparatus tabernaculi (circa lucernam, panes propositionis &c.) c. 24.
 3. anno Sabbathico & Jobelæo c. 25. cum appendice promissionum & poenarum legalium c. 26.
 4. votis & decimis c. 27.

IX.

Commenta-
ria
Patrum:

E Patribus, præter supra in Pentateuchum laudatos, ad explicatio-
nem Levitici operam contulerunt ORIGENES, cujus exiguum ex
homil. 2. fragmentum Huetius edit, suæ p. 26. Græce exhibet, Latinæ ve-
ro homiliarum XVI. versiones non ab Hieronymo, quod Sixtus Sen.
vult, sed a Rufino adornatæ, *T. I. Opp. Lat.* leguntur, ita tamen ab in-
terprete (quod nec ipse diffitetur in peroratione subjecta interpretatio-
ni Commentariorum Origenis in Ep. ad Roman.) interpolatæ, auctæ,
immutatæ, ut quid genuino earum parenti, quidve interpreti acceptum
sit ferendum, difficile perquam sit judicare. Easdem vero Cyrillo Ale-
xandrino a nonnullis tributas, dubium reddidisse Bellarminum *lib. IV.
de verbo Dei c. 17.* Origenis ne, an cujusnam alterius esse crederet, eru-
dite observat Gerhardus *Conf. Cath. Lib. I. P. II. c. 13. p. 629.* PRO-
COPIVS, de quo ad Exod. dictum: HESYCHIVS porro, qui &
ISICHIVS audit, Presbyter Jerosolymitanus, cujus *libri VII. expla-
nationis in Levit.* ad Eutychianum Diaconum A. 1527. Basileæ impres-
si seorsim prodierunt, tum etiam *T. XII. Biblioth. PP. Max. f. 53.* inserti
conspi.



conspiciuntur, incerti tamen & auctoris & ævi, ut ex sententiarum collatione ac censura ap. Phil. Labbeum *de scriptor. Eccles. T. I. p. 633. sq.* apparet; Rabano tamen Mauro adeo adamati & excerpti, ut Lorino *Comment. in Lev. p. 8.* iudice, si aliqua glossæ inveniantur in hunc librum cum titulo Rabani, Hesychii censenda sint ut auctoris, Rabani ut sectatoris: ac tandem RADVLPHVS FLAVIACENSIS aut Flaicensis, Monachus Benedictin. cujus in Leviticum *commentarior. libri XX.* Marburgi in fol. A. 1556. excusi, deinceps *Biblioth. PP. Max. T. XVII. p. 47.* inserti sunt, quibus ex Sixti elogio *l. IV. Biblioth. S. p. 370. ita diserte, pie, & erudite omnia huius libri mysteria tam secundum historicum, quam secundum spirituales sensum explicavit, ut in comparatione ejus ceteri ejusdem libri expositores minime exposuisse videantur.*

In Judæorum scriniis פסקתא זוטרתא seu Commentarius in Levit. *Judæorum:* perantiquus, Venetiis in fol. A. 1546. impressus deprehenditur: quo majorem tamen adhuc fert ætatem ספרא Siphra, commentarius incerto autore circa A. C. 130. ut perhibetur, conscriptus. In *Siphre Jeshenim fol. 56. n. 41. a.* aliis ad Raf, qui discipulus R. Chajæ & R. Judæ sancti fuit, aliis ad R. Jehudam filium Elai autorem refertur. Idem alias תורת כהנים *Lex sacerdotum* vulgo audit, quia de ritibus & juribus sacerdotum ex Levitico, qui ipse pariter in *tract. sanhedrin fol. 103. col. 2.* hoc nomine venit, ex instituto agit. Impressus prostat Venetiis in fol. A. 1550. Prolixam in hunc librum Siphra expositionem composuit R. Aharon ben Chajim, quam קרבן אהרן *sacrificium Aharonis* inscripsit, Venetiis editam, de qua vide rursus *Siphre Jeshen. fol. 68. n. 63. a.* Commendantur etiam homiliæ in Leviticum R. Jehudæ, ספר החיים *Liber vitæ* inscriptæ, & Cracoviæ impressæ in 4. A. 1628.

E Lutherana ecclesiæ Doctoribus, ut Brentii, Chytræi, Pelargi, *Lutheranorum:* aliorumque taceam supra commendatos labores, b. WOLFGANG. FRANZIVS prælectionibus Academicis Leviticum egregie & succincte explanavit, ex quibus dein Commentarius enatus est, Wittebergæ editus in 4. A. 1615. & A. 1654. 1696. recusus. Tum etiam PAVL. CONSTANTIN. PHRYGIO commentario eundem enarravit, qui, adjecta ejus in I. Ep. ad Timoth. explicatione, Basileæ in 8. impressus est A. 1543. & 1596. His ERASMV. SARCEIVM Heideggerus in *Enchir.* addit, cujus tamen in Leviticum lucubrationes videre nondum contigit. Refer quoque huc VALER. HERBERGERI *Magnalium Dei P. VII.*



De Levitico.

Pontificiorum:

Inter Pontificios NICOL. TRIVETVS Anglus, Ord. Dominic. ejusque Conventus Londin. Prior, circa A. 1328. clarus, *Postillam in Leviticum* composuisse fertur, de qua tamen non constat, typis an unquam fuerit exscripta. Cui jungere licet RVPERTVM ROSEVM Anglum, *Postillæ Scholasticæ* autorem. Potiori jure JOHANN. LORINVM hic nominamus, S. J. Theol. cujus amplissimus in Levit. Commentarius Antvverpiæ in fol. A. 1620. recusus, autoris industriarum ubertate probat. PETR. SERRANVS quoque Complutensis ecclesiæ Canonicus, ex Commentario in h. l. Antvverpiæ in fol. A. 1572. edito inclaruit. THOMÆ WALDENSIS Angli, Carmelitæ in plurimos scripturæ libros, & in his in Leviticum annotationes Venetiis in fol. prodierunt A. 1571. ROBERTI CANVTI commentar. Marpurgi lucem adspexit in fol. A. 1536. JOH. RVSBROCHII in *tabernaculum Moysi* Commentaria, multa quoque Levitici loca illustrare dicuntur.

Reformatorum:

In Reformatorum interpretum numero ANDREAS WILLETVS Anglus celebris est, cujus in Levit. Hexapla Londini in fol. prodierunt A. 1608. 1631. JACOBI BROCARDI mystica & prophetica libri explicatio Lugduni in 8. A. 1580. excusa est. JOH. WOLFII sermones in Leviticum Tiguri in fol. A. 1585. impressi sunt. JOH. COCCEJI observationes *T. I. Opp. p. 166.* leguntur. FRIDER. SPANHEMII in *Leviticum observationes historica, typica & morales succinctæ & ad usus præcticos accommodatæ*, non quidem ab autore prælo destinatæ, sed ab auditoribus & lectionibus Academicis clamore exceptæ *T. III. Opp. conspiciuntur p. 617. sqq.*

Autores de sacrificiis.

Præter dictos vero libri interpretes, multum haud dubie ad ejus explicationem quoque facient philologici & historici eorum labores, qui de sacrificiis V. T. ex instituto egerunt, quos inter principem tenet locum b. WOLFG. FRANZIVS in *schola sacrificiorum Patriarchalium sacra*, Wittebergæ A. 1654. edita, qua per Disputationes XXII. satisfactionem Domini nostri J. C. in sacrificiorum veterum typis fundatam, contra recentium Photinianorum strophas solide asserit, simul etiam universam sacrificiorum indolem ac naturam declarat. Quocum conferri poterit b. JOH. SAVBERTI *de sacrificiis veterum* commentatio, Jenæ A. 1653. & Amstelodami A. 1664. in 8. excusa. Sed & JACOB. HEERBRANDVS de sacrificiis Leviticis quædam commentatus est Tubingæ in 4. A. 1573. b. FRIDER. RAPPOLTI disser-



differtatio, *Jesum typicum* adversus Photinianos in veterum sacrificiis demonstrans, quæ T. II. Opp. p. 1417. conspicitur, usum forte magis polemicum quam exegeticum præstabit. E Judæis PHILO peculiaribus libris, uno περὶ ζώων τῶν εἰς θυσίας, καὶ τῶν θυσίων εἶδη, de animalibus idoneis sacrificio, deque victimarum generibus Opp. p. 646. altero περὶ θυόντων de victimas offerentibus p. 656. data opera egit. R. MOSIS MAIMONIDÆ librum de sacrificiis ex Hebræo in Latinum convertit sermonem, notis illustravit, & cum Abarbanelis præmio commentariorum in Leviticum edidit Londini in 4. A. 1683. Ludovic. de Compeigne de Veil. E Reformatis GVILIELM. OVTRAM Theologus Anglus & Canonicus Westmonasteriens. de sacrificiis libris duobus rem omnem ita expedit, ut primo omnia Judæorum, altero sacrificium Christi exponeret. Impressum opusculum cernitur Londini in 4. A. 1677. & Amstelod. A. 1678. in 8. Sed multo ante JOHANN. CLOPPENBURGIVS sacrificiorum Patriarchalium scholam sacram struxit, in qua sacrificiorum antiquitatem, usum & antiquationem examinat, subjuncto aliquot Problematum præteritorum spicilegio: Lugduni Bat. A. 1637. in 12. Collationem Aaronici cum Christi sacerdotio HERMAN. WITSIVS in- & aliis huc pertinentibus. *Miscellan. Lib. II. Diss. II. p. 454. sqq.* Caput de mundorum & immundorum animalium discrimine, ut & quæ alia circa pecora & jumenta, nec non circa volatilia sacrificiis idonea observanda veniunt, solide & prolixè explanavit SAMVEL BOCHARTVS in *Hiero-zoico*, opere insigni eruditione referto, Londini primum in fol. & postea studio Dav. Clodii Francofurti edito A. 1675. Ut quæ THOMAS GOODWIN Anglus, in antiquitatum Hebraicarum compendio, *Moses & Aaron* inscripto, quæ JOH. LVNDIVS in *Jüdischen Heiligtümern* passim, cum primis L. III. IV. V. quæ porro Cl. RELANDVS in de Antiquit. Hebraicis; nec non quæ b. Frischmuthius, Summe Rev. D. Dassovius, aliique celeberrimi nominis Philologi atque Theologi Dissertationibus eruditis, ad antiquitatem sacram facientibus, ad Levitici illustrationem suppeditant, silentio prætermittamus.

CAP.



CAP. VII. De Numerorum libro.

Summarium *Libri appellationes, & Numerorum precipue nomenclatura, explicantur*
capitis.

§. 1. *Scriptor Moses a Spinoza & Peyrevio impugnatus vindicatur & asseritur: ubi de libro bellorum Domini ex Num. XXI, 14. §. 2. Ordo: argumentum: scopus §. 3. Autoritas divina & canonica. §. 4. Chronologia §. 5. Stationes populi iter facientis per desertum §. 6. Partitio §. 7. Tabula Synoptica §. 8. Commentarii Patrum: Judaeorum: Lutheranorum: Pontificiorum: Reformatorum: cum manifestis eorum, qui typos V. T. explicarunt §. 9.*

§. I.

Appellatio.

HEbraeis ex more recepto initiali voce נומרי & locutus est, tum etiam ab extantiori versus primi vocabulo במדבר in deserto, quartus Moysis liber appellatur, quod in deserto acta prae ceteris hoc libro describuntur. LXX. Senes ἀριθμοὺς dixere, quam Graeci Patres denominationem retinuerunt, Latini Numerorum vocabulo imitati sunt, Tertullianum si exceperis, qui l. IV. c. Marcion c. 23. & 28. Graecam vocem Latinitate donavit, Arithmorum nomine librum citans. Nominis rationem variam reddiderunt varii, Numerosque dictum censet Ambrosius, quod egressae ex Aegypto Israeliticae plebis numerum liber exhibeat; Leontius Byzantinus, quia tribus Israelitarum earumque principes recenseantur; Athanasius, quod totius populi numerum complectatur; Isidorus, quod egressae plebis non modo quantitatem, sed & mansiones ejusdem in deserto, dedicati tabernaculi diem, oblationumque modum, non sine mystici numeri sacramento & ratione tradat; Abulensis denique, quod praeter numeros nihil sit, per quod liber iste a Mosaicis reliquis specialius distinguatur, quae ex Hieronymi prologo hujus libri haud dubie mutuatus est. Hanc & Rabbini adoptarunt denominationem, hunc librum, quanquam rarius ספר הפקודים Numeros, ut & ספר הפקודים librum recensitionum saluantes.

II.

Scriptor
impugnatus

Scriptorem libri a quibusdam in dubium vocatum fuisse, b. noster Waltherus jam observavit *Offic. Bibl. §. 752.* idque gemino argumento, quod



quod & locutiones tertiae personae hic occurrant, v. g. dixit Dominus ad Moysen &c. & quia liber bellorum Domini citatur, qui Moyses tempore nondum extiterit. Prius Spinoza ex Aben Esra hauitum recoxit *Tract. Theol.* a Spinoza *Pol. c. 8. p. 105.* ad Deut. XXXI, 9. provocans, ubi Moyses expressum nomen alterius scriptoris, Moyses facta & scripta narrantis indicium esse suspicatur; quod, si momenti alicujus esset, pari valore contra Numeros quoque & reliquos Mosaios, Genesi excepta, argumentum urgere posses. Sed solide huic dubio satisfecit Illustr. Huetius *Dem. Ev. Prop. IV. cap. 14. §. 9. p. 305.* quod hæc si valeat argutatio, eadem consequentia confici queat, nec Cyri expeditionem, nec Cæsaris commentarios, nec Josephi de bello Judaico libros, nec Procopii historiam, genuinos autorum, quorum nomen præferunt, factus esse, cum & in illis Xenophon- tis, Cæsaris, Josephi, & Procopii, tanquam diversarum ab autoribus personarum, mentio fiat. Moris quippe Scripturae S. est, bene inquit Gregorius M. *præfat. in Job. c. 1. ut ipsi, qui scribunt, sic de se in illa quasi de aliis loquantur.* Hinc est enim, quod Moyses ait: erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra. Hinc Johannes dicit: discipulus ille, quem diligebat Jesus. Hinc Lucas ait, quod ambularent duo ex discipulis in via, Cleophas & alius. Et paulo post: scriptores igitur sacri eloquii, qui impulsu Sancti Spiritus agitantur, sic de se in illo testimonium, quasi de aliis proferunt. Eadem plane ratione Augustinus contra Faustum Manich. lib. XVII. c. 1. Fausti refellit fucum, Matthæo suum Evangelium ideo abjudicantis, quia de Matthæo intertia persona loquatur. Confer huc omnino b. Casp. Finckii *Canon. Theol. log. Cent. I. can. 66. p. 118. sq. & can. 93. p. 193.* Posterius argumentum Peyrerius arripit, & ex Num. XXI, 14. concludit, librum bellorum Domini laudari non potuisse a Mose, in quo facta fuisset mentio eorum, quæ in Arnon & in ipsa arena a Mose ipso gerebantur: quia enim neque conscriptus erat liber ille, neque potuerat. vid. *System. Præ. Adam. P. I. Lib. IV. c. I. p. 174.* Diurnos scilicet rerum a se gestarum commentarios composuisse Moysen judicat, ex quibus longo post ipsum tempore bellorum Domini consarcinatus, atque ex hoc demum Numerorum liber fuerit excerptus, qui proinde non autographum (Mosis) sed apographum ex autographo ipso exscriptum: sed vere apographum apographi reputari debeat. Haud parum vero m. Doctissimum Huetium huic argumento adeo succumbere, ut c. 1. §. 14. p. 309. convicium sacro textui facere, & quoniam de genuina loci hujus scriptu-

Q

ra



De Numeris.

ra non satis constet, nullam inde posse certam exculpi sententiam, criminari non erubescat. Grotii nimirum hæc critica erat, qui Hebræa obscura esse tradit unius literæ facto dispendio, alteraque paulum mutata; quam temerariam textus violationem b. Calovius noster ex merito castigat. Enimvero sint licet verba aliquantum obscura, sua tamen lectioni vel scripturæ facta testata constat integritas, quam nec versionum dissonantia, nec variæ interpretum sententiæ vitium esse passam evincunt. Licet autem tot ferme circa hunc locum diversæ occurrant explanationes, quot sunt interpretes, nulla tamen omnium impiæ Peyrerii consequentiæ locum facit. Alii nimirum significationi Futuri מִנִּי מִדְּבָרִים inordinicus inhærentes, librum bellorum Domini extitutum demum prænunciari, atque sic scriptore Numerorum posteriorem esse, cum Heideggero *Exerc. Bibl. IX. §. 17. p. 261.* Ariæ Montani versionem secuto, existimant. Sed ut taceam, Futurum apud Hebræos frequentissime nunc in præteriti, nunc in significatione temporis præsentis poni, quod b. Glassius *Philol. S. Lib. III. Tr. 3. can. 49. p. 653. sq.* multis demonstravit exemplis; ipsa quoque textus circumstantia interpretationi huic reclamatur, siquidem sequentes duo versiculi ex isto libro citentur, indicio haud fallaci, jamdum in hominum manibus eum fuisse versatum. Alii vocem מִנִּי sollicitant, quanquam non eodem omnes modo. Hanc enim non semper integrum cujusdam molis librum, sed interdum simplicem recensitionem, chartam quancunque, cui aliquid inscriptum est, quin imo enarrationem quoque aut historiam, quæ in ore hominum hæreat, notare observant. Inde ullius hoc loco libri mentionem fieri negant Hebræorum Magistri apud Lyræ *ad b. l. Augustinus* quidam, Chisamenensis Episcopus, apud Sixtum Senensem *Biblioth. S. lib. II. voc. bellorum Domini liber, p. 54.* Francisc. Junius *Comm. ad b. l. & e nostratibus b. D. Pelargus. Hottingerus Thes. Phil. Lib. II. c. 2. Sect. 2. p. 524.* eorum calculo suo approbat paraphrasin, qui verba illa: *Propterea dicitur in recensitione bellorum Domini, ita reddunt, q. d. horum duorum versuum (scil. 14. & 15.) in recensendis bellis Domini sera posteritas maximam semper habebit rationem.* E recentissimis Vir Cl. Joh. Clericus in paraphrasi loci sensum ita eloquitur: *Ideoque quotiescunque post hæc bella, Dei auspiciis ab Israëlitis gesta narrabuntur, horum locorum ante omnia mentio fiet: Vabebi nempe, sive Matthanis in Supba, & Arnonis ejusque decursus &c.* Cum quo doctissimus Gallus, Lud. Elias du Pin *Prolegomen. in S. Biblia Lib. I. Cap. I. §. 8. p. 22.* consentit, verba reddens:



reddens: quemadmodum dicitur, cum Israelitæ commemorabunt bella Domini. Quanquam idem in eam potius inclinare videatur sententiam, per librum bellorum Domini canticum forte designari, quo victoriam, de qua ibi sermo est, celebrarint Israelitæ, cum verba in medium producta poetice quid (*des expressions Poëtiques*) haud obscure præ se ferant: quæ eadem & Hug. Grotio arrisisse, ex iis apparet, quæ ad v. 14. annotavit: *Potest ספר verbi narratio, ut intelligamus carmina quedam vetusta, quibus res gestæ insignes celebrabantur.* Quibus haud gravatim assentiremur, dummodo voc. ספר recensitionem oralem designare, quod præsupponunt, posset evinci. Quicquid enim sit de rad. ספר, cui enumerandi, recensendi, narrandi significatum non denegamus; derivatum tamen inde nomen vereor ut in S. Codice de narratione non scripta, sed ore saltem decantata reperias. Alii porro librum aliquem bellorum Domini concedant, sed & ii scinduntur in partes. Quidam enim hodiernum extantem censent & Canonicum, eumque vel ipsum hunc Numerorum librum, quæ Hottingero etiã cit. l. placuisse sententia videtur: vel librum Judicum, cujus c. XI, 13. sq. fines Moabitarum & Ammonitarum, nec non prælia Israelitis contra Amalekitas gesta describantur, quod Aben-Esra censet, Sixto Senensi quoque allegatus. Sed citata verba repugnant, quæ & in Judicum libro frustra quæres, & aliunde quam ex Numeris deprompta esse, necesse est; ut taceam, insignem hic fingendam esse *περίληψιν* vel prævisionem saltem propheticam, cum Judicum liber longo tempore post illam citationem exaratus fuerit. Alphonsus Tostatus, Abulensis Episcopus T. IV. *Opp. Comment. in Num. Parte II. f. 44. sq.* hunc bellorum Domini eundem facit cum libro Justorum Jos. X, 13. & 2. Sam. I, 18. allegato, conjectura tam facili, quo adstruitur, negotio respuenda. Mendoza in 4. libb. *Regum Annotat. Proem. 2. sect. 2. num. 48.* a Mose scriptum hunc librum conjicit, & quidem post Genesin: cum & naturæ & doctrinæ ordo postularit, ut prius mundi exordia, quam Patrum certamina scribere aggrediretur: dudum vero eum periisse existimat. Drusius in *Comment. ad loca difficilia Num. p. 454.* cum Mose Gerundensi peculiarem hunc vult esse librum, qui bella, quæ Deus per Patriarchas & Israelem a tempore Abrahamæ contra gentes confecerat, prolixius quam in libris Mosaicis descripta tradebat, in qua sententia b. Jac. Martini *dissert. de libris scripture deperditis* §. 71. coll. cum 69. acquiescit. Denique Augustinus qu. 42. in Num. librum hunc vere deperditis accenset, citra tamen sacri codicis



De Numeris.

jacturam, cum nec sacer fuerit, nec Canonicus, sed politicus saltem, exteræ gentis historiam complexus: quæ b. Waltheri quoque sententia est *Offic. §. 1331. Hackspanii not. Philol. Theol. ad b. l. Part. I. p. 476.* & nostratum bene multorum. B. Joh. Henr. Ursinus in *Exercit. de Zoroastre, Hermete & Sanebon. p. 221. sq.* forte divinum fuisse istum librum, conjicit, ac proinde autoritatis irrefragabilis: canonicum tamen fuisse, negat, quia periit: idque ideo, quia ecclesie non commendatus, non in cano- nem relatus, nec in capsâ s. librorum ad arcem latus aservatus fuit. Quid si vero dicamus, particulam *וַיִּבְנֶה* h. l. notare de, ut sensus verborum integer sit: propterea dicitur (vel si Futurum malueris, dicitur) in recen- sione (scripta utique, sed qualicunque demum) bellorum Domini de Va- heb in Supha & de fluviis (inprimis) Arnone, & (de) aque ductu fluvio- rum, qui declinat ad habitationem Har, & sistit se ad terminum Moab: de his inquam dicitur, fines esse Moabitarum & Emorrhæorum, quod proxime præcesserat, & in cujus fidem hæc verba allegantur. Id enim unum vult Moses his verbis, quod Vaheb (sive urbs fuerit, sive mons, quod b. Lutherus voluit) & fluviis Arnon Moabitarum & Emorrhæo- rum fines dirimant. Sane particulam *וַיִּבְנֶה* sæpius de notare, ac de ob- jecto sermonis vel scripti usurpari, b. Noldius in *Concordant. Partic. p. 117. sq.* probe observavit, idoneis & luculentis exemplis demonstravit, & in *annot. p. 864.* solide vindicavit. Hoc autem pacto necesse non est, ut verba ista sententiam ex libro bellorum Domini signatis verbis excerptam continere, aut paræmiam quandam quotidiano usu tritam fuisse dicamus, quod quidem e nostris b. Zehnerus voluit in *Adag. Sac. Cent. I. Ad. 3. p. 13.* & e Pontificiis del Rio in *Adagial. Sac. V. T. n. CX. p. 103.* quem vide, ut in asserenda Vulgata versione, fontes hic prorsus deferente, mire se torqueat, & magno conatu magnas nugas agat. Jam ad Peyrerium ut revertamur, unde hæc ipsi *παρρησία*, librum bellorum Domini ante Numeros conscriptos ut extitisse neget? An nulla hæc- tenus ab Abrahami ætate gesta bella fuerant, quæ in hoc libro consigna- ri potuerint? & ut nondum extitisse largiamur, an a Mose definiri non potuit, hos, nec alios, Moabitarum & Emorrhæorum terminos in re- censione bellorum populi Dei describi debere? Adeo clumbe sane ejus argumentum est, ut quamcunque demum ex supra memoratis senten- tiam eligas, nulla satis tutum ipsi præsidium præstet aut patrocinetur. Invenit ergo perstat, quod communi omnium seculorum consensu cre- ditum fuit, præter Moſen Numeros haud alium agnoscere scriptorem.

Mosaicis

afferitur.



Mosaicis enim haud obscure hunc librum accenset Christus Joh. V, 46. 47. coll. cum Joh. III, 14. nec exactissima hujus cum Mosaicis ceteris in stylo, historia, temporum serie, reliquisque circumstantiis convenientia ullam de hac re dubitationem admittit.

III.

Ordine, quo præcedentes libros noster excipit, non tam ad legum respici discrepantiam, quasi in Exodo moralis, in Levitico ceremonialis, forensis in Numeris lex rogetur, aut explicetur, ut Abulensis censet; nec tam ad officiorum sacrorum & secularium distinctionem, ut postquam cultus divini ratio, quoad ecclesiam V. T. certis definita legibus esset, nunc politica sequatur gubernatio, certis veluti gradibus & functionibus ordinata; cum & in hoc libro haud pauca ad cultum & sacra pertinentia occurrant: quam ad Chronologiam temporumque, quibus res singulae gesta sunt, seriem censendum est, cum populi numeratio & reliqua hujus libri contenta, post ea demum contigerint, quæ per unum mensem acta Leviticus exposuerat. Ut quod Glossa Ordin. mysterium hic quærit, reliquasque Pontificiorum circa numerum quaternarium ejusque perfectionem nugas, quas Lorinus *Comm. in b. l. præfat. c. 6. p. 5.* exhibet, taceamus. In enarranda nimirum profectionis Israeliticæ a mansionem Horeb, ad illam usque, quæ in campestribus Moab eregione Hierichuntis instituebatur, historia versatur, & itinerarium exhibet Israelitarum a primo die secundi mensis in secundo exitus anno, usque ad primum diem XI^{mi} mensis in quadragesimo post exitum anno, ut adeo, præcedens legalis cum esset, hic noster historicus censendus sit liber. Quicquid enim per XXXIX. fere annos cum Dei populo in deserto actum est, quæ Numinis in gubernando eo provida & sedula eluxerit cura; quæ rebellis & ingrata multitudinis protervia, severis coërcita pœnis, quæ itineris vicissitudines, quæ occupandæ terræ hæreditariæ fuerint auspicia, & quæ alia per universum tanti temporis tractum memoratu evenerint digna, ordine & luculenter tradit. Scopus vero non moralis tantum est, eo tendens, ut veritatem Dei in beneficiis pariter ac judiciis semper sibi constantem, tum & ecclesiæ nostræ conditionem & modum, ex Israeliticæ ecclesiæ facie, rerumque commemoratarum historia colligamus; in quo solo acquiescit Heideggerus *En b. p. 43.* sed & omnino didacticus atque Evangelicus; Christum cum merito suo sub typis serpentis ænei c. XXI. coll. cum Joh. III, 14. vaccæ ruffæ c. XIX. coll. cum Ebr. IX, 13. 14. Nazaræatus c. VI. coll.

Ordo

Argumentum.

Scopus.



De Numeris.

cum Matth. II, 3. virgæ Aaronis c. XVII. coll. cum Jes. XI, 1. percussæ & aquam fundentis petreæ c. XX, coll. cum 1. Cor. X, 4. ut & in clarissimis Bileami vaticiniis c. XXIV, 17. sqq. ob oculos ponens.

IV.

Auctoritas
divina.

In asserenda libri auctoritate divina eo minus nobis laborandum est, quo firmitus crebra historiarum & contentorum ejus in N. T. allegatio, quam aliqua sui parte §. præc. tetigimus, eam demonstrat. Nequicquam vero nervum hujus demonstrationis incidere tentat Lorinus præf. in Numer. c. 1. p. 1. *argumentum istud non penitus concludere, cum libri quoque non-Canonici in Canonicis citentur, & Apocryphis ecclesia interdum utatur in officio ecclesiastico; sed magnam saltem probabilitatem habere contendens.* Ut enim posterior allata in medium ratio ejus plane nihil officit, quin allegatæ in Novo Test. libri cujusdam Veteris Test. historiæ vel sententiæ divinam libri ipsius auctoritatem evincere possint: ita circa priorem, quæ majorem præ se fert speciem, citatorum momentum, scopus & argumentum caute dignoscenda sunt. Citantur utique non-Canonici, imo profani omnino gentilium libelli, quanquam rarius, a Scriptoribus *θεοπνεύστοις*, velut Paulum ex Epimenide, Callimacho, Menandro & Arato versiculos nonnunquam usurpasse legimus, de quibus erudite disputat Hieronymus in *Epist. ad Magnum Oratorem Roman.* sed nunquam ad Evangelici dogmatis confirmationem, verum illustrationis saltem gratia, vel etiam κατ' ἀνθερωπον: ex quocunque autem libro sententiæ vel argumenta, ad doctrinæ Evangelicæ demonstrationem, in Novi Fœderis libris petuntur, ille non potest non canonicam ipse atque divinam obtinere auctoritatem. Non enim aliud, præter divinum & Canonicum Evangelica veritas principium agnoscit, ex quo vel innotescat, vel demonstretur, nec humana ulla sagacitas vel sapientia tanta est, ut ea suppeditare valeat, quæ solus in cœlis revelat Pater Matth. XVI, 17. 1. Cor. II, 7. 14. Hinc recte omnino b. D. Kessler in *de dictorum Veteris Test. in Novo allegatione*, quæ Hackspanii subjuncta Syllogæ p. 563. sqq. legitur, dissertatione, *thes. 1. p. 564. sexta ratio*, cur Vetus Test. in Novo citetur, *assertio est V. T. apud Christianos.* Jam itaque Numerorum librum cum tanti faciat Christus, ut deprompto ex illius historia typo Joh. III, 14. redemptionis fidem Nicodemo ingeneret & solide demonstret; & Paulus, ut pari demonstrationis genere virtutem sanguinis Christi Hebr. IX, 13. evincat: quis apodicticum ex ejusmodi allegationibus argumentum, pro corroboranda Numerorum auctoritate canonica, enasci temere neget?

V. Chro-



V.

Chronologia ratio annorum 38. mensium 9. spacio circumscribitur, facto supputandi initio a die primo mensis secundi, anni ab exitu secundi, uti Num. I, 1. diserte indicatur; usque ad diem 1. mensis undecimi, anni post exitum quadragesimi, quod ex Deut. II, 3. colligere in proclivi est. Temporum vero series ita habet:

A.O.C. Anno

Exitus.		
2514	2	mensis secundi die 1. (Juliani d. 21. Maji) numeratio & census peragitur populi, Num. I, 1. XXVI, 64.
-	-	menſe quinto poſt exitum, a deſerto Paran, circa tempus primarum uvarum (Num. XIII, 20.) duodecim exploratores, terram Canaan luſtratum emiſſi, exactis 40. diebus ab exploratione terræ Kadeſchum revertuntur, Deut. I, 24. 25.
2515	-	Kadeſchi conſederunt Iſraelitæ dies multos, Deut. I, 46. Ad quam vel proximas huic manſiones referenda ſunt colligentis ligna in Sabbatho lapidatio Num. XV. Kore, Dathan & Abiram ſeditio c. XVI. Miraculum virgæ Aaronis c. XVII. &c.
		<i>Quæ omnia & alia, poſteriore ſemeſtri anni ab egreſſu ſecundi contigiffe exiſtimantur: duorum tantum primorum annorum atque ultimi hiſtoria a Moſe temporum intervallis ſignata; intermediorum vero XXXVII. annorum rebus ſilentio prætermiſſis.</i>
2552	40	venere in deſertum Tſin: ubi moritur Mirjam, ſoror Aaronis & Moſis, quatuor ante Aaronem, & undecim ante Moſen menſibus Num. XX, 1.
-	-	d. 1. menſis quinti exitus (d. 18. Aug. Jul.) Aaron Moſeræ in vertice montis Hor moritur, anno ætatis CXXIII. Num. XX, 23 ſqq. XXXIII, 38. 39.
-	-	menſe ſexto exitus erectus ſerpens æneus c. XXI.
-	-	hiſtoria Bileami c. XXI. ſqq.
-	-	Moſi mors denunciatur, & ſucceſſor Joſua designatur Num. XXVII.

Huc porro reliqua totius libri ſpectant, ad menſem hujus anni XLimum, quem Deuteronomium exponit

VI. Sunt,



VI.

Mansiones
populi in
deserto.

Sunt, qui rationem temporum, quibus in deserto populus oberravit, juxta mansiones Israelitarum, seu loca illa, in quibus confedit & substitit populus, metiuntur, quas e Num. XXXIII. capite XLII. numerat Hieronymus & in peculiari tractatu *de 42. mansionibus ad Fabiolam To. IV. f. 18.* ex Hebraicis nominum significationibus mystice exponit. Earum vero cum paucissimæ signatis temporum intervallis notentur, & ad topographiam itinerisque delineationem rectius referantur omnes, indivulso nexu junctas, ductum Spiritus S. c. l. secuti, ob oculos hic ponemus. Mansio itaque

I. *Rameßes* fuit, ex Hieronymi calculo: quanquam non tam itineris statio, quam terminus a quo censenda sit, ubi Israelitæ simul convenerunt omnes, qui vel cum Ægyptiis mixtim habitabant Exod. III, 22. vel stipulas quæsitum per totam terram fuerant dispersi c. V, 12. Num. c. l. 3.

II. *Succoth*, ubi Moyses mandata Dei de annuo Paschatis ritu, & primogenitorum consecratione populo proposuit Exod. XII, 37. Num. c. l. 5.

III. *Etham* in extremo Troglodytarum deserto, Domino per columnam nubis & ignis præeunte Ex. XIII, 20. 21. Num. c. l. 6.

IV. *Pi-Hachiroth* inter Migdol & mare rubrum, e regione Baal-Zephon Ex. XIV, 2. Ibi Pharaon cum exercitu Hebræos assecutus, mari submersus periit: hi trajecto mari ad orientale ejus littus, in desertum Etham pervenerunt Exod. XIV. XV. Hinc continuo tridui itinere per desertum processerunt, aquam non invenientes Exod. XV, 22. Num. c. l. 7. 8.

V. *Marah*, Moyses miraculo, aquas amaras injecto ligno edulcorante, incluta Exod. XV, 23. sqq. Num. c. l. 8.

VI. *Elim*, ubi 12. fontes aquarum, & 70. palmæ Ex. c. l. 27. Num. c. l. 9.

VII. *Mare rubrum* Num. c. l. 10.

Hinc mense secundo ab exitu, die 15. pervenerunt ad stationem in

VIII. *Sin* deserto, quod est inter Elim & Sinai, ubi circa vesperam coturnices, & mane Manna cælo deplutum nacti sunt Exod. XVI, 1. sqq. Num. c. l. 11.

IX. *Dophkah* Num. c. l. 12.

X. *Alus* v. 13.

XI. *Rephidim*, ubi populo, ob aquæ penuriam murmuranti Moyses percussa petra aquam suppeditat, populum deinceps per universum iter secutam.

- secutam. Loco autem in rei gestæ memoriam *Meriba* & *Masse* nomen hæsit. Ex. XVII, 1. sqq. Num. v. 14. Pl. LXXVIII, 16. 20.
- Tertio mense die 15. in novam delati Israelitæ mansionem, quæ XII. *Sinai* desertum, ubi e regione montis Horeb castra metati per integrum fere annum obhæserunt. Conf. Ex. XIX, 1. cum Num. X, 11. 12.
- Anno ab exitu secundo, mensis secundi die 20. castra movent Israelitæ, & confecto tridui itinere confederunt in statione
- XIII. *Kibroth-thaavab* Num. v. 16. ubi murmurantes divino igne absumti, loco Taberæ nomen indiderunt Num. XI, 1. sqq.
- XIV. *Haberoth* Num. v. 13. & c. XI, 35. ubi Aaron & Mirjam in fratrem Moysen confremuerunt Num. XII.
- XV. *Rithma* in deserto Paran juxta Kadesch-Barneah v. 19. & c. XII, 16. XIII, 26. Unde exploratores missi.
- XVI. *Rimmon-Parez* v. 19.
- XVII. *Libna* v. 20.
- XVIII. *Rissa* v. 21.
- XIX. *Kebelatha* v. 22.
- XX. *Mons Schepher* v. 23.
- XXI. *Charadab* v. 24.
- XXII. *Makbeloth* v. 25.
- XXIII. *Thabath* v. 26.
- XXIV. *Tharab* v. 27.
- XXV. *Mithkab* v. 28.
- XXVI. *Hafmonah* v. 29.
- XXVII. *Moseroth* v. 30.
- XXVIII. *Bene-Jaakan* sive plenius *Beeroth Bene Jaakan* putei filiorum Jaakan (Deut. X, 6.) v. 31.
- XXIX. *Hor-Hagidgad* v. 32.
- XXX. *Jothatha* v. 33.
- XXXI. *Hebrona* v. 34.
- XXXII. *Ezion-gaber* v. 35.
- Anno Exodi quadragesimo, mense primo regressi a Meridie Aquilonem versus in desertum Sin, redierunt ad stationem
- XXXIII. *Kadesch-Barneam* v. 36. & c. XX, 1.
- XXXIV. *Hor* mons, juxta fines terræ Edomæorum, v. 37. in quo diem obiit Aaron. Hinc post triumphum ex rege Harad actum, circum-

R

acta



- acta Edomæorum terra in Moabitidem iverunt, ad latus orientale, & castra metati sunt in statione
- XXXV. *Tsalmonab* v. 40. 41. ubi presteribus infestati sunt Hebræi c. XXI, 5.
- XXXVI. *Phunon* v. 42.
- XXXVII. *Oboth* v. 43. & c. XXI, 10.
- XXXVIII. *Ije-Abarim* ad terminum Moabitarum v. 44. ante conspectum scilicet Moabitarum ab ortu Solis c. XXI, 11. quod desertum Moab appellatur Deut. II, 8.
- XXXIX. *Dibon-Gad*. v. 45.
- XL. *Halmon-Diblatbaim* v. 46.
- XLI. Montes *Abarimorum* ante Nebuntem v. 47.
- XLII. *Shittim* vel *Abel-Shittim* v. 49. ubi permanserunt; donec sub Josua inde profecti, ad Jordanem pervenerunt Jos. III, 1. Hic tentata populi per Bileamum devotio c. XXII. sqq. hic tertius populi a Mose & Eleazaro census peractus c. XXVI. hic reliqua, quorum in Numeris & Deuteronomio recensio legitur, ad mortem usque Mosis gesta sunt.

Atque ista quidem e re duxi ut apponerentur, cum temporum pariter ac narrationis Mosaicæ seriem mirifice illustrent: castrorum vero ordinem, signa, duces, & quæ sunt alia ad Israelitarum profectiones pertinentia, huc non spectare ratus sciens omisi, petenda, cui ista cognoscere volupe est, ex Christ. Schotani *Bibliotheca Hist. S. V. T. Tom. II. p. 276. sqq.*

VII.

Partitio.

Partes alii duas libri constituunt; vel ratione materiæ, ut b. Gerhardus in *Exeg. L. de Script. S. S. 122.* qui describi iter Israeliticum tradit, tum qua *antecedentem præparationem*, tum qua *consequentem stationem*, qua occasione exempla obedientiæ præmiis honoratæ, & inobedientiæ poenis visitatæ legislator inspergat; vel ratione Chronologiæ, ut b. D. Pelargus, qui P. I. gesta in deserto ab anno 2. usque ad annum 40. capitibus XIX. P. II. quæ quadragesimo anno secuta sunt a cap. XX. ad fin. exhiberi censet. Communissima reliquis libri interpretibus est *τὸ ὁδοποιοῦν*, e Pontificiis Tostato Abulensi, e Reformatis Heideggero, cum primis e nostratibus b. Walthero *Offic. S. 755.* arridens; juxta quam P. I. populi ad continuandum iter ex deserto Sinai præparationem c. I-X. P. II. institutas peractasque a monte Sinai ad solitudinem usque Moab

Moab & confinia terræ Canaan profectioes c. XI-XXI. P. III. hereditatis terræque promissæ capeffendæ rationem tradit. Paulo aliam alii partiendi viam ingressi, juxta tria deserta ab Israelitis peragrata, tres libro partes assignant, P. I. ad desertum Sinai referentes capp. I-X. P. II. ad desertum Kadesch c. XI-XX. P. III. ad desertum Moabitarum c. XXI. ad fin. Nobis ea se cumprimis probavit distributio, quæ magno Calovio nostro *Bibl. Ill. T. I. p. 506.* & Reformationum Burmanno *ad h. l. p. 643.* commodissima visa, ab argumenti petita est diversitate, & in quatuor sectiones librum dispescit, quarum I. est ἀριθμητική, universam populi secundum tribus recensionem c. I-IV. complexa. II. διατακτική leges quasdam in deserto rogatas commemorans c. V-X. III. ιστορική, rerum gestarum historiam enarrans c. XI-XXVII. IV. mixta, leges partim ceremoniales nonnullas, partim rerum gestarum expositionem mixtim sistens.

VIII.

- Absolvitur Numerorum liber sectionibus IV. quarum
- I. ἀριθμητική, sive populi numeratrix est, exponens censum
- α) civilem, qui tradit
- tribuum p. numerum ac summas c. 1.
- p. castra & situm juxta plagas mundi c. 2.
- β) sacrum, qui exponit
- Levitarum p. numerum & in primogenitorum locum surrogationem c. 3.
- p. ministerium & officiorum distinctionem c. 4.
- II. διατακτική, sive legum quarundam ordinatrix,
- α) qua personas p. immundas castris ejiciendas, & Zelotypas c. 5.
- p. Nazaræatus voto obstrictas c. 6.
- p. principum offerentium c. 7.
- p. Levitarum consecrandorum c. 8.
- β) qua res: scil. (1) qua paschatis celebrationem c. 9. 1-14.
- (2) - profectiois signa & ordinem v. 15. - fin.
- (3) - conventuum per tubas argenteas indictio-
- nem c. 10.
- III. ιστορική sive rerum gestarum commemoratrix, recensens
- α) profectioem ex deserto Sin ad stationem usque in terra Moab, secundum octo murmuraciones distinctam; quarum
- (1) ex radio itineris, cujus poena ignis c. 11. 1-4.

Tabula
Synoptica.

R 2

(2) ex



De Numeris.

- (2) ex tædio Mannæ & carniū desiderio v. 4 - fin.
 - (3) ex æmulatione Moſis c. 12.
 - (4) ex diffidentia poſt explorationem terræ promiſſæ: ubi
 - a. murmuratiōis cauſa, exploratorum decem terriculamenta c. 13.
 - b. murmuratio ipſa, ejusque pœna c. 14.
 - c. reconciliatio intervenientibus ſacrificiis, & ſequentibus legibus miſcellis c. 15.
 - (5) ex invidia principatus Moſis, & Pontificatus Aaronis, cum pœna hiatus terræ c. 16. 1 - 41.
 - (6) ex indignatione ſupplicii, de turbatoribus Coreh &c. ſumti: ubi
 - a. ipſa murmuratio c. 16. 41 - fin.
 - b. ſacerdotii Aaronici per miraculum virgæ confirmatio c. 17.
 - c. ſacerdotum & Levitarum diſcretio c. 18.
 - d. aquæ luſtralis inſtitutio c. 19.
 - (7) ex aquarum penuria: cujus p. connexa, p. conſequentia ſunt: Moſis ad petram incredulitas: Edomæorum perfidia; Aaronis mors, & ſucceſſoris introductio c. 20.
 - (8) ex tædio viæ, & Mannæ contemtu, cum pœna preſterum c. 21. cujus conſequens profectio erat ad limites uſque terræ promiſſæ, & debellatio Sihon atque Og. c. eod. v. 9 - fin.
- β) occupationis terræ Canaan obſtacula, illata per
- (1) Bileami affectatam maledictionem, ſed in benediſtionem verſam c. 22. 23. 24.
 - (2) fornicationem tam ſpiritualem, quam corporalem cum Midianitis c. 25.
- γ) novæ generationis Iſraelitarum cenſum c. 26, cujus conſeqq. ſunt
- (1) legis de ſucceſſionibus hæredum promulgatio c. 27.
 - (2) Joſuæ ad principatum inauguratio c. eod.
- IV. Mixta, ita ut ex parte ſit
- α) νομικὴ, de (1) ſacrificiis quotidianis, ut & Sabbathi, Paſchatis, Pentecoſtes c. 28.
- (2) ſacrificiis ſeptimi menſis, diei Kippurim, & Feſti tabernaculorum. c. 29.
 - (3) votis marium ac fœminarum c. 30.

β) ἱςορικὴ



- β) *isogixh*, de 1. hæreditate Israelitarum per spolia Midianitarum amplificata c. 31.
 2. hæreditate cis Jordanem, Rubenitis, Gaditis, & dimidio Manassi designata c. 32.
 3. mansionum 42. & profectionum populi Israel. ordine c. 33.
 4. terræ Canaan situ, limitibus, & diribitoribus c. 34.
 5. Levitarum urbibus & asylis c. 35.
 6. filiabus Zelaphead, legibusque ea occasione latis c. 36.

IX.

In venerando Patrum ordine vix deprehendes, præter *supra p. 50.* Commentatores *Patres*:
sq. nominatos, qui explicando Numerorum libro operam navarit. ORIGENIS extant XXVIII. in h. l. homiliæ, quarum autorem Origensem, metaphrasten qui in Latinum sermonem transtulit, Rufinum Ill. Huetius *Origenian. L. III. Sect. 3. §. 4. p. 245.* asserit, contra Andr. Riveti criticam, qui Latinum quendam illarum autorem facit. Ambrosium quo jure huc citent Bibliothecarum Sacrar. Scriptores, me fugit. HYPPOLITI quoque meminit Heidegger. *Ench. p. 49.* quem librum quoque unum in Numeros adornasse, Hieronymus testis est, sed qui hodie desideratur. De PROCOPIO supra ad Exodum dictum est *cap. V. §. 8.*

Judæis in Numeros & Deuteronomium laudatur *ספרי Siphre*, commentarius ejusdem cum Siphra autoritatis & æstimmii, in *Siphre Jeshé-nim f. 56. n. 43. b.* R. Schimeoni filio Jochai autori adscriptus, & excusus Venetiis A. 1546. Confer. etiam Buxtorf. *Bibl. Rabb. p. 389. sq.*

E nostris vero non habeo, quem hic nominem, si in Pentateuchum laudatos, Brentium, Chytræum, Osiandrum &c. repetere nolim: JOH. BVGENHAGIVM tamen huc referri video ab Heideggero, de cujus vero in Numeros commentario non liquido constat. VALERII HERBERGERI autem *Magnalium Dei P. VIII.* huc spectat. *Lutherani*:

E Pontificiis, missis jam Corn. a Lapide, Bonfrerio & ceteris, qui Pontificii: Pentateuchum illustrarunt universum, insigniter suam in hunc librum industriam probavit JOH. LORINVS Jesuita, commentario prolixo nec inerudito, edito in fol. Coloniae 1623. & recuso Lugduni A. 1629. Addit Heidegger. ROB. CANVTVM: alii JOH. RVSBROCHIVM, de quibus supra ad Leviticum diximus.



De Numeris

Reformati:

Inter Reformatos COCCEJVS in prophetiam Balaam five Numerorum cap. 23. & 24. cum cura commentatus est, *T. I. Opp. p. 189.* Notæ vero ejus analyticæ in universum librum vix tria folia complent *T. I. ἀνεκδότων p. 31.* Rerum gestarum historiam hoc libro comprehensam fusius exponit CHRISTIAN. SCHOTANVS *Biblioth. V. T. T. II. p. 279-342.* ubi de profectioe & obhæsiōe populi inter montem Sinai & Jordanem satis copiose disseruit. In Anglia celebris est GVILIELM. ATTERSOL, cujus Commentar. upon Numbers A. 1618. Londini in fol. luci publicæ expositus est. JOH. BALÆVS Episcopus Ossoriensis in Hibernia, trigessimum tantum caput explanavit in *the Exposition of the XXX. Chapter of Numbers* Londini in 8vo. A. 1550.

Scriptores
typorum
V. T.

Conferti quoque cum fructu poterunt typorum V. T. expositores, LVCAS BACMEISTERVS in *explicatione typorum V. T. adumbrantium Christum, ejusque personam, sacerdotium &c.* Lubecæ A. 1604. excusa: MICH. BAVMANNVS in *analectis typicis sacris*, Ulmæ in 4. A. 1665. evulgatis: FRIDER. BALDVINVS in *passione Christi typica* Wittebergæ in 8. A. 1614. DANIEL. FESSELIVS in *Christo Mystico*, Cüstrin. in 4. A. 1665. DIDACVS BAEZA *Comment. de Christo figurato in V. T.* 6. Tomis, Lugd. in f. 1633. 1636. & e Reformatis potissimum THOMAS TAYLOR Anglus in *Christo revelato s. de typis V. T.* Anglice Londini A. 1635. & Latine Genevæ in 8. A. 1665. edito: & JOH. BIERMAN Belga, in *Mose & Christo*, seu tabula præcipuorum V. T. typorum, Trajecti A. 1700. in 4. edita: qui præcipuas Numerorum historias, typum complexas & ad litteram explicarunt, & applicationem ad antitypum ostenderunt.

CAP. VIII.

De Deuteronomio.

Summari-
um capitis.

Libri appellationes. Cur legis repetitio a Mose instituta? Rabbinica libri nomina §. 1. *Scriptor Moses* ex c. I, 1. c. XXXIV. c. III, 10. 11. c. II, 21. c. III, 14. c. XXIX, 5. *impugnatus asseritur.* Hug. Grotii *parum religiosa* de b. l. *sententia*: §. 2. *Argumentum & contenta libri.* Scop. *Autoritas divina* §. 3. *Chronologia* §. 4. *Partitio* §. 5. *Tabula*



bula Synoptica §. 6. Commentarii Patrum: Lutheranorum: Pontificiorum: Reformatorum §. 7.

§. I.

HEbrais ut plurimum ab initialibus vocibus אלה והיכרי Appellatio. *ista verba*, hic liber ex more in Mosaicis recepto appellatur. Porro משנה חזרה repetitionem, vel plenius משנה חזרה iterationem legis ex Deut. XVII, 18. eundem dicunt, eo quod δευτέρωσι νόμος & recapitulationem legis complectatur. Unde LXX. Senes δευτερονόμου inscripserunt, voce a Vulgato Interprete in Latium quoque translata & civitate donata; non quod δεύτερον νόμον secundam & novam legem contineat, quam denominandi rationem Athanasius in *Synops.* primo loco affert; sed quod δεύτερον denuo lex jam ante lata, maxime Decalogus, hoc libro explicetur & ab integro fanciatur, quam priori rationem Athanasius d. l. subnectit. Hinc recte magnus Lutherus noster, *proem. annot. in b. l. Vocatur secundaria*, inquit, *non quod alia sit quam ea, quæ in monte Sinai data est, sed quod denuo repetita sit, novo pacto per ministerium Moysi, coram iis, qui priorem in monte Sinai non audierant.* Et commodè Theodoretus qu. 1. in b. l. *Quod Moses non secundam legem dederit, sed prius latam in memoriam reduxerit, docet hoc libri proemium: cepit Moses explicare legem hanc c. I, 5.* Neque enim nudam legum superius latarum repetitionem hic liber complectitur; sed, ut bene habet Athanasius δεύτερον νόμον διακρίσεις repetit & declarat, quæ antea forte strictim dicta fuerant, imo & nonnullas, quarum nulla in præcedentibus libris facta erat mentio, superioribus addit. Cum enim prisca illa gens ex Ægypto egressa, variis ob murmura & rebelliones cladibus per XL. annos in deserto consumpta, posteritatem reliquisset prima legis promulgatione sequiorem; necesse erat, ut novus populus novo non solum fœdere Deo obligaretur & jungeretur, Deut. XXIX, 1. sed & de vero legis sensu instrueretur ac usu. Præterea Moses magistratu jamjam abiturus hoc veluti Testamentum relinquere, legisque hac repetitione memoriam profundius imprimere volebat; quam ob causam novis quoque regibus eam commendat describendam & assiduo usu terendam c. XVII, 13. & quolibet septimo remissionis anno promiscuæ plebi prælegi jubet c. XXXI, 10. Ceterum Rabbini, Fagio & Münstero observante, ספר ודבורות liber ob-
jurgationum Deuteronomium audit, eo quod severis ac duris in eodem
verbis



De Deute-
ronomio.

verbis a. c. XXVIII. populum Moses redarguat ac objurget. Addunt alii באר התורה *expositionem legis*, petitam ex Deut. I, 5. nomenclaturam, nec tam usu receptam, quam ex Interpretum quorundam judicio commode recipiendam.

II.

Scriptor
Moses

Mosen libri scriptorem nemo facile in dubium vocabit, qui Deut. XXXI, 9. 24. accurate perpenderit. Neque tamen defuisse memorat Lyranus *in cap. I. b. l.* qui Mosen literis hunc librum exarasse negantes, sententiam saltem ac verba protulisse crediderint, quam Josua & Seniores memoriter retinentes post fata viri in librum redegerint; idque tribus potissimum de causis: 1) quod in fronte libri verba hæc loquutus fuisse, non vero scripsisse dicatur Moses; quasi vero, quæ ore primum protulit, in literas postmodum referre, & in posteritatis usum memoriæ mandare nequiverit. Apostoli sane, quæ annunciaverant prius, mox & scripserunt, I. Joh. I, 3. 4. 5. Mosen idem fecisse quid prohibet? quem, quæ hoc libro exhibentur, & locutum fuisse, Petrus Act. III, 22. cum Stephano Act. VII, 37. affirmat, & scripsisse, Philippus Joh. I, 45. & Paulus asserunt Gal. III, 10. 2) quod c. l. locutus hæc dicatur Moses *trans Jordanem*, unde colligere pronum sit, ad littus alterum dicta, ad alterum vero & oppositum scripta fuisse, quæ hoc libro traduntur: Mosen vero flumen nunquam trajecisse, sed cis Jordanem obivisse, ex Deut. XXXI, 2. constare, quod ipsum quoque ex Aben-Esra recoxit argumentum Spinoza *Tract. Theol. Pol. cap. 8. p. 104. sq.* Verum illud בעבר הירדן non modo & ultra & citra Jordanem notat, nec nisi ex loco loquentis & audientis judicari potest, utra locum habeat significatio; unde sæpius post hanc phrasin subjungi observant eruditi vel מִזְרְחָה *versus Orientem*, ut Deut. IV, 49. Jos. XII, 1. vel יָמָה *versus occasum*, ut Jos. XII, 7. quo ad vitandam omnem ambiguitatem vel citerior vel ulterior pars apertius designaretur; ut commode perquam b. Varenius: *secundum Jordanem* reddat, sic ut terram reliquam trans Jordanem oculis quidem jam usurparent, sed pedibus nondum calcarent: sed & cum עָבַר transitum notet, (Jos. XXII, 11. I. Sam. XIV, 4. XXVI, 14. &c.) rectius *ad transitum*, in *transitu* vertitur, in loco scil. ubi communis patebat trajectus, ac filii Israel postea transiverunt. 3) quod in fine libri mors ac sepultura Mosis describatur, quod ad Mosen referri autorem nequeat; id quod rursus arripit Spinoza p. 107. & acrius stringit, quod *facta comparatione cum omnibus*

Pro-

ex Deut.
XXIV.



Prophetis, qui postea vixerunt, dicatur, ipsum omnes excelluisse: non ex-
titerit unquam Propheta in Israel sicut Moses, quem Deus viderit de facie
ad faciem. Quod testimonium non Moses ipse de se, nec alius, qui eum
immediate secutus est, sed aliquis, qui multis seculis post vixit, dare po-
tuit: praesertim quia Historicus de praeterito tempore loquitur, nunquam ex-
titerit Propheta &c. & de sepultura, quod nemo illam novit in hunc usque
diem. Ubi quidem sunt, qui cum Josepho lib. 4. Antiqu. c. ult. & Phi-
lone lib. 3. de vita Moysi, Moysen morti vicinum spiritu prophetico per
πρόλυσιν suum in literas retulisse obitum censent, veritum nempe, ne
propter excellentes virtutes Judæi se a Deo raptum prædicarent; imo
R. Simeon Cod. Menachoth. cap. 3. p. 30. octo ultimos Deuteronomii
versiculos dictante Domino inter profusas lacrymas a Mose scriptos tra-
dit. Sed cum sequentia versus sexti verba tempus morte Moysi omnino
posterius designent, pervulgata omnium est confessio, cap. XXXIV inte-
grum, vel a v. 5. saltem ad finem, ab autore alio, æque tamen Geo-
ργίου, Josua scilicet, quod e Judæis R. Judas vult, e nostratibus b. Ger-
hardus Exeg. L. I. de Script. S. §. 124. p. 135. vel ab Eleazaro, quo in-
clinare videtur Coccejus ad ultima Moysi §. 1714. vel Samuele, aut ab
Esdra demum, ad quem Judæi communiter hoc, ut & Genes. c. XXXVI.
referunt, fuisse profectum. Unde vero evincet Spinoza, nullum, nisi
qui multis seculis post vixit, dare hoc ipsi elogium potuisse? Multis sa-
ne annis post Moysi excessum commode Josua hoc ipsum encomio or-
nare potuit: ut taceam, quod ex Bedæ, Saliani, & Cornelii a Lap. ju-
dicio clausula illa: usque in hunc diem, quoties in V. T. occurrit, ab
Esdra divinitus agitato addita videatur. His, quorum Lyranus memi-
nit, 4) argumentum accedit Aben Esræ in ordine sextum, ex Deut. III, ^{ex Deut. III,}
10. 11. petitum, ubi narrationi de Og rege Basan sequentia interserun- ^{10. 11.}
tur: solus Og, rex Basan relictus erat de reliquis Rephaim: ecce sponda
ejus sponda ferri est: nonne illa in Rabboth filiorum Ammon? cujus lon-
gitududo novem ulnarum, & quatuor ulnarum latitudo ejus, in cubitis viri.
In qua parenthesi mirifice sibi placent Spinoza æque ac Peyrerius Sy-
stem. Præ-Ad. lib. IV. c. 1. scriptorem Mose longe posteriorem inde
conjicientes, quia hic modus loquendi ejus tantum sit, ut censet prior,
qui res antiquissimas narrat, quique rerum reliquias ad fidem faciendam
inducat; & sine dubio hic lectus tempore primum Davidis, qui hanc ur-
bem subegit, ut 2. Sam. XII, 30. narratur, inventus est. Addit Peyrerius,
non nisi ex temporum longitudine, quæ omnia mutare consuevit, factum
esse

De Deuteronomio.

esse, ut non in Basanitide terra amplius, sed in urbe Ammonitarum Rabbath lectus ille jam viseretur. Ut vero temerariae Spinozæ conjecturæ, quasi ferrea illa sponda Davidis demum, Rabbatham subigentis tempore inventa fuerit, nuda atque simplex opponi potest negatio, donec idoneis rerum monumentis vel testibus figmento fidem fecerit; ita reliqua ejus argumentatio nihil solidi concludit. Non enim iis, qui vel vivum Ogum vel hutni prostratum viderant, prodigiosæ altitudinis fidem facere Moses allaborat; sed & illis, quibus spectandi gigantis copia t. t. facta non fuit, utpote pueris, senibus, sceminibus, ægrotis; & posteris cumprimis, in quorum gratiam historiam suam exaravit. Nec magis hujus lecti in urbem Rabbath transvectio præcedentis scriptorem longæ antiquitatis fidem firmat, cum vel ab Ogo ipso, adversus Israelitas præliaturo, ad Ammonitas transferri, vel a Mose, statim a victoria, cum Basanitidis regionis sectione inutilis hæc supellex vendi, vel alio demum, quod nos latet, fato in Ammonitarum devenire potestatem potuerit. Huc facit porro haud inconcinna b. Varenii observatio *Decad. Bibl. in Deut. p. 6.* Ogum imperasse quidem Emorrhæis, sed domo vel gente Emorrhæum non fuisse, quin unum ex illis Ammonitarum antecessoribus gigantibus, Zamzummæis, paulo ante adventum Israelis ex ipsa metropoli ejectis, prout Emæi a Moabitibus, Choræi ab Idumæis, Evæi a Caphthoræis. Sic vero sponda illa ferrea jam ante prælium Israeliticum in Ammonitarum urbibus fuit. Haud tanti ponderis præ se fert speciem 5) argumentum, Peyerio ex *Deut. II, 12.* peti-
ex Deut. II, 12. ubi plane contra verborum scriptorisque mentem colligit, Horæos ab Idumæis de monte Seir fuisse dejectos, quemadmodum ab Israelitis Idumæi postmodum ex eodem monte deturbati sunt. Quod cum ante Davidem non contigerit, hinc Pentateuchum, maxime Deuteronomium majorem Davide ætatem ferre negat. Sed aperte reclamant textus litera, quæ Israelitas non in Idumæorum ab illis exterminatorum loco, sed *לְאֶרֶץ יְרֵשָׁתוֹ* in terra possessionis suæ, quam ipsis Deus dedit vel occupatam cis Jordanem, vel occupandam statim trans Jordanem habitare affirmat; ut adeo non loci identitas, sed occupandi & possidendi ratio ac modus idem innuatur. Sed & istud 6) objicit Peyrerius, *ex Deut. III, 14.* quod *Deut. III, 14.* Jair omnem regionem Argob cepisse dicatur, quam Mo-
14. sis tempore capere non potuerit; cum tamen hæreditatis Jairi denominatio saltem exprimat, tum antiqua, regio Argob, tum nova, villa Jair. Neque verba ista usque ad hanc diem diuturnum temporis tractum



tractum necessario evincunt, sed præsens saltem tempus designant. Quæ autem frons Peyrerio est, addenti: *vix possedisse Jairum villam suam, quo tempore introducitur Moses hæc loquens.* Ergone potior Peyrerio, quam Mosi loquenti, habenda fides erit? Sed qua religione sacra volumina Præ-Adamitarum ille Parens verset, satis inde apparet, quod lib. IV. *System. c. 6.* divinum miraculum Deut. XXIX, 5. memoratum, de non attritis Judæorum in deserto vestibus & calceamentis, in libri totius opprobrium vertere, ejusque descriptionem, tanquam *portentosam, futilem & puerorum naniis annumerandam* exagitare non erubescat, gemina tamen repetitione c. VIII, 4. & c. XXIX, 5. inculcatam, communique Hebræorum pariter ac Christianorum suffragio & consensu, non tam de rerum omnium, qua affluerint Israelitæ, copia, quam prout verba sonant miraculum hoc exponentium comprobata. Quod superest, Hugonem Grotium in *explicatione Decalogi fere sub initium* haud adeo magnifice de Deuteronomio sentire, ejusque suspectam & dubiam reddere Θεοπνευσίαν, dum Mosén *memoriter ea retulisse* criminatur, & quidem ea libertate, ut voces transponat interdum, quasdam cum idem significantibus commutet, omittat quedam satis nota ex prioribus, addat alia, interpretamenti vice &c. b. Calovius noster *Bibl. Illust. ad Deut. Proloqu. T. I. p. 552.* observat, & prout par erat, confutat.

III.

Paucis verbis totius libri summa exponitur v. 5. capitis I. *cæpit Moses dilucide explanare legem.* Morti quippe vicinus fidelis Dei servus in id unum incumberebat maxime, ut quam veri Dei cultus rationem legumque observantiam restauraverat, ad æram posteritatem sartam tectam transmitteret. Quod ut obtineat, gravissima populum oratione hortatur, in qua benevolentiam prius per admirandi itineris & perceptorum a supremo Numine beneficiorum recensitionem captat c. 1-4. mox ad legem ipsam conversus, ejus promulgationem repetit, summam denuo inculcat, eamque explicat universam, moralem quidem a c. 6. ad c. 13. ceremonialem a c. 14. ad 17. forensem ad c. 27. Hinc foedus cum populo divinum solenni ritu denuo instaurat c. 27. sqq. factaque solenni partim officii resignatione c. 31. 32. partim tribuum benedictione c. 33. magistratu abit, consensuque monte Pisga ærumnosam hanc cum meliore vitam commutat. Hinc Catastrophen fabulæ, quam in his terris Moses egit, hoc libro comprehendi dixeris, nec non *explicationem Decalogi plane copiosissimam & locupletissimam, qua cognita nihil*



De Deute-
ronomio.

Scopus.

Auctoritas
divina.Chronolo-
gia.

prorsus desiderare queas, quo ad intelligentiam X. præceptorum opus sit, observante hic b. Luthero. Unde scopus libri ad oculum patet: idem nimirum, qui prælectæ & repetitæ in festo tabernaculorum legis fuit, ut audientes discant timeantque Jehovam Deum suum Israelitæ, & custodiant impleantque omnia verba legis hujus: inprimis filii eorum, qui non sciunt, audiant & discant timere Jehovam Deum suum omnibus diebus, Deut. XXXI, 12. 13. Partim itaque legalis hujus libri scopus est, ut nova hac iteratione lex universa divina declararetur amplius, & præsentis Israelitarum conditioni applicata, in uno volumine junctim haberetur, tam ad publicam, singulis Sabbathis per sectiones institutam Act. XV, 21. in festo tabernaculorum autem anni remissionis, plenam prælectionem Deut. c. I. quam in perpetuos Regis usus, cui singulis diebus vitæ suæ ponenda ob oculos erat c. XVII, 18. Partim Evangelicus, ut solennem de Messia promissionem testamentariæ dispositionis loco Israelitis commendaret Moses c. XVIII, 15. Partim denique historicus, ut integra nobis Mosaici regiminis ad finem usque vitæ suæ historia constaret. Tandem de divina & canonica libri auctoritate nec creberrima in N. T. ad confirmationem dogmatum instituta allegatio, nec publica ad latus arcæ fœderis depositio & asservatio (Deut. XXXI, 26.) dubitare sinit, ut adeo & hic liber inter τὰ λόγια τῆς Θεῆς Israel concredita referendus Rom. III, 2. & ἐνδιὰ Θεοῦ ac testamentarius sine ambiguitate habendus sit. Hinc est, ut libri hujus oracula ceu Domini eloquia Rom. XII, 19. Hebr. X, 30. &c. diserte citentur. Ut tacitam cœlestis Patris vocem, qua in transfiguratione Christi audiendum filium præcepit, ex c. XVIII, 19. hujus libri haud obscure fuisse petitam.

IV.

Chronologia libri, ex c. I, 3. 4. & Josuæ IV, 19. & V, 10. petenda, ultimum duorum mensium anni exitus quadragesimi, & sex dierum ex mense I. anni XLI. spacio absolvitur. Computandi rationem b. D. Varenii eloquar verbis, in quibus nihil est, quod desiderem. Scilicet, a posteriori putando, ante vespeream paschalem, die 14. mensis I. anni XLI. (Jos. V, 10.) dandi circiter quatuor dies sunt circumcisionis sacramento (a v. 2. ad v. 8.) Facta adeo illa est die 11. mensis primi: porro die 10. ex Jordane ascenderant c. IV, 19. addantur dies octavus & nonus, seu biduum preparationis Jos. I, 11. III, 2. & pervenietur ad diem septimum mensis primi, quo reversi in castra exploratores Jerichuntini, jam antea intra 30. dies planctus funeralis emisit: conf. c. II, 1. 22. Porro

abstra-



abstrahantur 30. dies planctus illius Deut. XXXIV, 8. & pervenietur ad diem septimum mensis duodecimi, in anno quadragesimo, qui fuerit fatalis & funeralis Mosi c. XXXIV, 1. 5. 6. (non autem dies nonus, mensis undecimi) prout dies 1. mensis quintilethalis Aaroni Num. XXXIII, 38. Initium autem historiae Deuteronomii incidit in diem 1. mensis undecimi Anni XL. cap. 1, 3. Ergo intervallum hujus libri seu temporis illius est mensis undecimus integer, cum septem diebus solidis ex mense 12. ad usque mortem Mosi; seu bimestre novissimum novissimi in illa quadragesima anni, cum diebus solidis sex ex mense primo anni XLI. si includantur 30. dies planctus, falsumque adeo, historiam Deuteronomii pauculorum, scil. 9. saltem dierum historiam continere.

V.

Ad illum temporis ductum partitionem libri Francisc. Junius accommodat, septem Deuteronomii constituens partes, quarum 1. historiam diei primi mensis undecimi anno XL. ab exitu Israelitarum ex Ægypto, quatuor primis capp. complectatur; 2. diei secundi gesta, inde ad cap. XI. 3. historiam dierum ad summum quatuor, inde a c. XII. usque ad XXVI. 4. historiam diei unius, septimi nimirum, cap. XXVII. & XXVIII. 5. diei octavi recensionem c. XXIX. XXX. 6. diei noni c. XXXI. XXXII. XXXIII. 7. historiam mortis ac luctus triginta dierum c. XXXIV. Sed concinnius haud dubie ad orationis structuram atque seriem componitur distributio, in qua tamen rursus non eodem omnes tramite incedunt. B. Gerhardus *Comment. Proleg. p. 9.* universum librum in (I.) *πρόλογον* dispescit, sive *προοίμιον* c. I, 1-6. (II.) *λόγον*, eumque *vel διηγητικόν*, tum beneficia populo præstita, tum pœnas inobedientibus irrogatas c. I. II. III. repetentem, cui exhortatio ex *διηγήσει* illa deducta, ut Deo adhæreant, fœdusque ejus observent, c. IV. subjungitur: *vel δογματικόν*, explicationem legis continentem, moralis nimirum a c. V. ad XII. ceremonialium & forensium a c. XII. usque ad XXVII. cui promissiones & comminationes, seu sepimentum legis subjunguntur c. XXVII. usque ad XXX. *vel προφητικόν* vaticinium rerum futurarum complexum c. XXXI, sq. cui *εὐλογία* sive benedictio in forma Cantici subnectitur c. XXXIII. (III.) *ἐπίλογον*, qui mortem & sepulturam Mosi, ac publicum populi luctum recenset c. XXXIV. Paulo aliter instituit b. Varenius, qui ad plenissimæ concionis instar Deuteronomium in (I.) Præambulum sive Exordium distinguit, quo ad reverentiam & audientiam populum preparat, c. I - IV.



De Deute
ronomio.

(II.) in Thema five Propositionem, quæ ipse Decalogus est c. V. (III.) confirmationem p. dehortatoriam a fiducia in idolis & propriæ justitiæ meritis c. VI, 14. c. VII, 3. 4. 5. c. IX, 4. 5. p. adhortatoriam ad fiduciam in solo Deo & obedientiam legum a c. VI. ad c. XXIX, 18. (IV.) confutationem Atheistarum a v. 18. ad fin. c. XXX. (V.) conclusionem a c. XXXI. ad libri finem. Nobis ea cum primis libri distributio se probat, in qua, exigua variatione excepta, b. Er. Marbachio, Walthero, Calovio, & e Reformatis Heideggero convenit, ut *P. I.* sit *παρασκευαστική*, five præparatoria populi ad adeundam terræ promissæ possessionem a. c. I - IV. *P. II.* *ἐξηγητική* & expositoria legis, comprehendens omne populi officium, ubi ille optato confedisset loco c. V - XXVI. *P. III.* *βεβαιωτική* & adsertoria, solennem legis sanctionem & confirmationem per signa, promissiones, minas & publicam fœderis redintegrationem, cap. XXVII - XXX. exponens : *P. IV.* *ἱστορικὴ* & narratoria de Mosis novissimis, testamento, benedictione & morte c. XXXII - ad fin.

VI.

Tabula
Synoptica. I. Constat itaque Deuteronomium Parte
παρασκευαστικῇ five *præparatoria*, quæ absolvitur

a) historica repetitione

1. itineris ex monte Horeb usque in Kadesh-Barneah c. 1.
2. eorum, quæ circa Moabitas, Ammonitas & bellum contra Sihonem contigerunt c. 2.
3. belli contra Ogum & Basanem prospere gesti c. 3, 1 - 20.
4. denunciatae Mosis mortis, & investiti Successoris v. 21 - 39.

β) gravi exhortatione ad obsequium Deo præstandum, cavendam idololatriam, & constituenda asyla c. 4, 1 - 44.

II. *ἐξηγητική* five *expositoria* legis, quæ exhibeta) præcognita & locum repetita *νόμοθεσίας* c. 4, 44 - fin.

β) sermonem Mosis, quo legem

1. Moralem

in genere *repetit*, cum promulgationis historia & conseqq.
c. 5.

in specie *explicat*.

a. de habendo uno Deo, eoque serio colendo c. 6.

b. de cavendo cum idololatriis omni commercio & abolenda idololatria c. 7. id quod inculcat

N. viæ



2. viæ per deferta beneficiorumque Dei repetitione c. 8.
 2. gratuita Dei introducentis in Canaan misericordiæ de-
 prædicatione c. 9.
 3. debitæ gratitudinis & obedientiæ, ex Numinis bene-
 ficentia deductione c. 10. 11.

2. Ceremonialem explicat, circa

- a. locum cultus Deo præstandi, cum vitatione *κακοζηλίας*
 c. 12.
 b. Pseudoprophetas, & civitates idololatriæ reas c. 13.
 c. munda & immunda animalia caute discernenda c. 14, 1-24.
 d. decimas Levitis pendendas v. 22 - fin.
 e. Sabbathismum terræ & manumissionem servorum c. 15.
 f. festa solenniora, Paschatis, Pentecostes, tabernaculorum
 c. 16, 1-17.

3. Judicalem interpretatur, ubi de

- a. constituendis Judiciis & requisitis Regis v. 18 - fin. & c. 17.
 b. stipendiis sacerdotum, eliminandisque divinatoribus c. 18,
 1-14. ubi promissio additur de magno Propheta Christo
 v. 15. *sqq.*
 c. civitatibus refugii, & testium requisitis c. 19.
 d. jure belli c. 20.
 e. homicidiis incompetis, digamia & suspensorum cadaveri-
 bus c. 21.
 f. æconomicis & matrimonialibus casibus leges miscellæ c.
 22. 23. 24.
 g. litigiis & vindicta c. 25.
 h. primitiis & decimis: de fœdere Dei religiose custodiendi
 c. 26.

III. *βεβαιωτικῇ* sive assertoria, quæ sanctionem legis confirmat per

- a) signa p. columnarum lapidearum, p. altaris ex lapidibus Jorda-
 nis erigendi in monte Ebal c. 27, 1-10.
 β) contestationem publicam in montibus Ebal & Garizim edendam
 v. 11 - fin.
 γ) promissiones obsequentium, & comminationes prævaricatorum
 legales c. 28.
 δ) solennem fœderis Dei cum populo redintegrationem, ubi
 a. fœderis stipulatio & declaratio c. 29.

b. ejus-



De Deute-
ronomio.

b. ejusdem per evangelicas promissiones de verbo fidei & salute illustratio, ut ad Christum, juxta Rom. X. deducamur c. 30.

IV. ἱστορικὴ sive *narratoria* novissimorum Mosis, quæ sunt

a) successoris confirmatio & scripturæ commendatio c. 31.

β) canticum Mosis c. 32.

γ) Prophetica XII. tribuum benedictio c. 33.

δ) Mosis mors, sepultura, lessus publicus c. 34.

Commen-
tarii
Patrum:

VII.

Inter Patres, si supra dictos eximas, nullius in Deuteronomium lucubratio in hunc diem extat. Heideggerus equidem in *Enchir.* & e nostris Lipenius *Biblioth. Theol.* p. 513. ne ἀσύμβολον hunc librum transmitterent, e Latinis AMBROSIVM, e Græcis GREGORIVM NYSSENVM huc citant; quo autem jure, plane me fugit. In illius sane operibus frustra omnino quæres, quod ad Deuteronomii explicationem faciat: hujus vero *Opp. T. I. p. 167. edit. Paris. A. 1638.* liber prostat περὶ τῆς βίης Μωσέως τῆ νομοθετίαι, ἢ περὶ τῆς κατ' ἀρετὴν τελειότητος de vita Mosis, sive de perfectione vite ex prescripto virtutis instituta: qui vero tantum abest, ut lucem Deuteronomio affundat, ne dicam commentarii vicem præstet, ut vix fata Mosis tam copiose ac plene, quam illic descripta leguntur, exhibeat. E Judæorum laboribus supra ad Num. Siphre laudavimus, nec quod superaddam, nunc succurrit.

Lutherano-
rum:

Copiosorem omnino apparatus nostra suppeditat ecclesia, in qua b. LV THERVS Deuteronomii versionem ex Ebræo castigavit, adjectisque illustravit annotationibus *T. III. Jenens. p. 74 - 160. & T. V. Alt. f. 1031.* JOH. BVGENHAGIVS commentario eundem enarravit, Basileæ 8. A. 1524. & Wittebergæ A. 1525. WOLFG. FRANZIVS Disputationibus XV. discutit, quæ ad commentarii instar usum præstant, Witteb. 4. A. 1608. JOH. GERHARDVS cum primis copiosissimo & erudito commentario textum libri declaravit, quæstiones dubias evolvit, observationes utilissimas subnexuit, ἐναντιοφανεύας conciliavit & dissolvit, ut vix, quod addi posset, reliquum fecerit; nisi quod in cap. XXVII. viri summi, beata morte præventi, industria substituerit. Edidit tamen filius Joh. Ernestus Jenæ 4. A. 1657. Quibus JAC. ANDREÆ meditationes prophetica ex Deut. XXVIII. Lipsiæ 4. A. 1628. excusæ poterunt addi.

E. Pon-



E Pontificiis unus fere JOH. LORINVS librum hunc seorsim & data opera illustravit II. tomis Lugduni fol. A. 1625. 1629. Qui huc citantur reliqui BALTHAS. PAEZ, Lusitanus, AVGVSTIN. de QUIROS, Hispanus, FRANCISC. TITELMANVS, Minorita Franciscanus, JAC. JANSONIVS, Theologus Lovanienſis & ad D. Petri Decanus, *Caput XXXII. Deuteron.* tantum explicarunt. NICOL. ANTON. MONGEORGII de Moſaico & veteri jure enucleando codicem, Bonon. editum in 4. A. 1573. huc quoque video allegari.

Reformatorum haud multo plures Deuteronomio enarrando operam suam addixerunt, quos inter JOHANN. MACCHABÆVS, Scotus, patria Alpinus, nominandus est, cujus in *Deuteron. enarratio* Londini prodiit in 8. A. 1563. & JOH. WOLPHIVS, Tigurinus, cujus in *Deuteron. sermones* libris IV. Tiguri in fol. A. 1585. lucem adspexerunt. JOH. COCCEII ad *ultima Moſis b. e. sex poſtrema capp. Deuteron. conſiderationes* seorsim edebantur in 4. Francqueræ A. 1650. *Opp. vero T. I. p. 195.* conſpiciuntur. Notas autem analyticas perbreves a c. I-XXVIII. *Opp. cūvendit. T. I. exhibet p. 37.*

De Deuteronomio.
Pontificiarum:

Reformatorum:

CAP. IX. De Libro Joſuæ.

Prophetica cur diſtinguantur a Moſaicis ſcriptis? Propheta vel priores Summarium Capituli.
ſunt, vel poſteriores. Cur inter priores Joſua reſeratur? §. 1. Libri inſcriptio; ubi de Joſua nomine, ortu, vita, matrimonio, rebus geſtis, morte, ſepulchro §. 2. Geſta Joſua etiam ethnicis innotuerunt: typicam autem cum primis relationem habuerunt ad Chriſtum; variaque præbent emblemata & ſymbola §. 3. Scriptor libri putatur diverſus a Joſua Autori Synopſeos, Theodoreto, Andr. Maſio, Grotio, nonnullis ap. Calvinum & Lavaterum, Abarbeneli, Abulenſi, Calovio, Franc. Junio, Spinoza, Hobbeſio, Rich. Simonio, Joh. Clerico §. 4. Ipſe vero Joſua cenſetur Talmudiciſ, Bonfrerio, Serario, Sixto Sen. Huetio, Altingio, Hottingero, Spanhemio, Heideggero: quibusdam Jo ἐπέχων in hac quaſtione placet. Expenduntur argumenta pro Joſua

T

Joſua



De libro
Josue.

Josua autore afferri solita; & nostra sententia certis positionibus includitur §. 5. Libri argumentum: scopus: usus: Autoritas divina §. 6. Libri Josue ὁποσείμασθαι rejiciuntur §. 7. Chronologia §. 8. Partitio §. 9. Tabula Synoptica §. 10. Commentarii Patrum, Rabbiorum, Lutheranorum, Pontificiorum, Reformationum, Remonstrantium §. 11.

§. I.

Inter Pro-
phetas prio-
res

Mosaicam scripturam in nostro codice Sacro Prophetica excipit, a Prophetis nimirum divinæ inspirationis beneficio exarata; non quasi Moses in Prophetis locum non mereatur, sed quod insigni excellentiæ gradu reliquos omnes longe supergressus, eodem cum ceteris censu non sit habendus. Unde tot effusa Rabbiorum in dignitatem Moïsi, præ omnibus, quos unquam sol conspexit, Prophetis encomia, quæ copiose congesse-
Reuchlinus lib. I. de arte Cabbal. p. 619. Raym. Martini P. III. Pugion. fidei dist. III. c. XX. p. 689. Joseph. de Voisin l. I. Theol. Jud. c. I. p. 10. Hottingerus l. II. Thes. Phil. p. 575. sqq. & e nostris D. Joh. Tob. Major in Hebr. I. thes. X. sqq. p. 8. sqq. Prophetas vero, arrepta ex Zach. I, 4. occasione, in **נְבִיאֵי יְהוָה** Prophetas priores, & **נְבִיאֵי אֲחֵרִים** posteriores distinguunt Hebræorum magistri. Una omni-
bus distinguendi ratio temporum sunt intervalla, in quibus tamen di-
rimendis non eodem omnes tramite incedunt. Talmudici quippe in Gemara tr. Sota c. 9. §. 12. priores dicunt eos, qui ante captivitatem Babyloniam vaticinati sunt, cum Jeremia & Ezechiele, quorum in ipsa excidii Hierosolymitani tempora incidit ætas, deficientes: posteriores vero, qui captivitatem secuti sunt, ut Haggæus, Zacharias, Malachias. Alias vulgo priores sunt, qui ante Uziam Regis tempora vixerunt: qui vero post, posteriores. Illorum scriptis, præter utrumque Samuelis, & utrumque Regum, Josue quoque ac Judicum libri accensentur, eam fortassis ob causam, quod & isti, si non integri, ex parte tamen ad Samuelem quamplurimis referuntur scriptorem. Quem Prophetarum in ordine primum, a quo etiam Petrus Apostolus Act. III, 24. divinorum vatum inchoat seriem, proximum a Mose dignitatis tenuisse locum, infra ad libb. Samuelis demonstratum dabimus.

Josua pri-
mus est.

II.

Libri inscri-
ptio.

Primo itaque loco inter Prophetas priores nominatur **סֵפֶר יְהוֹשֻׁעַ**
liber



liber Josue, Græcis Ἰησοῦς Ναυῆ *Jesus Nave*, (quod unius literæ immutatione corruptum esse ex Ναῦν, censet Drusius) inscriptus, vel ab autore secundo, quem Josuam plurimi credunt, vel ab argumento petita denominatione, quia in clarissimi hujus Israelitarum ducis ac herois imperio rebusque gestis ordine describendis versatur. Ita nimirum Autor *Synopsos*, quæ Athanasio tribuitur: τὸ παρὸν τοῦ βιβλίου ἐπιγράφεται Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ ἐπειδὴ αὐτὸς Ἰησοῦς ὁ τοῦ Ναυῆ διαδεξάμενος Μωυσῆν, ἐσφαλήγησε τὴν λαὸν καὶ τὴν κατ' αὐτὸν ἰσχυρίαν, καὶ τὰς πράξεις αὐτῶν περιέχει. *Præfatus liber inscriptionem habet Jesus Nave: propterea quod ipse Jesus Nave Mosi successor populi Dux factus est, cujus isto volumine historia & res gesta continentur.* T. II. *Opp. Athan.* p. 73. Porro vero Josue, quod ex circumcissione hærebat, nomen a Josue nomine: *יְשׁוּעַ* quod *Salvatore* sonat, Moses præfixa ex *יְשׁוּעַ* & *יְהוָה* Dei nomine syllaba auxit, & conflato ex *יְהוָה* & *יְשׁוּעַ* quod quidam volunt, vel, quod rectius creditur, ex *יְשׁוּעַ* uno vocabulo in *יְהוָה* mutavit, populi servatorem futurum divino suggerente Spiritu auguratus Num. XIII, 17. *Salutem* itaque Dei, sive a Deo in gentis suæ salutem datum dixit, quod & divinitus destinatus esset ad procurandam Israeli salutem, sedesque promissas, quo Syracides respiciens, scite de ipso pronunciat, quod magnus fuerit καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *juxta nomen suum ad SALVTEM electorum DOMINI*, c. XLVI, 2. & quod hoc ipso nomine eum adumbraret, quem SALVTEM DEI Israeli ac omnibus gentibus divina pollicentur oracula *Jes. XLIX, 6. &c.* Conf. Dietricum *Antiqq. Bibl. ad Num. XIII, 17. p. 239. sq.* Serarium *Comment. Lib. I. cap. 2. p. 13. sqq.* Paul. Fagium *Annot. in Thargum Num. XIII.* & Pet. Galatinum *lib. III. Arc. Cath. Verit. cap. 20.* Natales viri I. Chron. VII, 20 - 28. (*Bibl. Germ. c. VIII, 20.*) *expos.* *cujus ortus,* nuntur, quibus ex tribu Ephraim oriundus, decimo consanguinitatis gradu Josephum attingit, *si tamen hæc successive generationes fuerunt*, ut Frid. Spanhemius *H. E. Vet. Test. Opp. T. I. p. 335.* addit; patre Nun, quem Græci Nave dicunt, satus, & in Ægypto adhuc in lucem editus. Mosi ministeria per annos bene multos obiit, edito egregio scientiæ ac fortitudinis bellicæ specimine in gloriose debellatis victisque Amalekitis, *Exod. XVII, 9.* Suam quoque fidem DEO probavit, cum ab exploratione terræ Canaan redux factus, populo animum ad ceterorum exploratorum terribilia despondente, cum Calebo solus mascule se opponeret, dignus inde habitus, qui cum Calebo unus ex universa illa,



De libro
Josuz.

matrimoni-
um,

res gestæ,

mors ac se-
pultura,

illa, quæ Ægyptum egressa erat, turba terram promissam adiret & incoleret, Num. XIV, 6. sqq. 38. Hinc porro factum est, ut, cum Mosis magistratu abituro successor esset dandus, Josuam præ ceteris omnibus Deus ipsi surrogaret, Num. VIII, 10. XXVI, 18. sq. Deut. XXXI, 7. sqq. XXXIV, 9. Matrimonio Rahabam sibi junxisse creditur Judæis, quam viginti annos natam fuisse nugantur, cum exirent Israelitæ ex Ægypto, fornicatamque XL. annos, quibus subsisterunt Israelitæ in deserto, post illa vero nupsisse Josuæ; quam tamen Salmoni potius, patri Boasi, conubio junctam fuisse, sacra pagina testatur Ruth. IV, 21. Math. I, 5. Contra vero ea Josuam ἀγαπῶν ac cœlibem egisse vitam, Hieronymus lib. I. contra Jovinian. c. 12. tradit: *Ostende mihi, inquit, Jesum Nave vel uxorem habuisse vel filios; & si potueris monstrare, victum me esse fatebor.* Hinc & virginibus eundem annumerat Ignatius epist. ad Philadelph. c. 4. Tertullianus vero libro de monogamia c. 6. digamum saltem fuisse negat, matrimonium vero eum iniisse, videtur largiri. Res inter præclare gestas præcipuam meretur laudem Cananæ partim occupatio, miraculorum quoque gloria, sistentis sese alvei Jordanis, remorati in cursu suo per diem integrum solis, corruentium ad tubarum sonum murorum Hierichantis &c. insignita; partim ἀνερχία seu distributio finiumque constitutio; quæ præcipuum libri universi conficiunt argumentum. Diem demum obiit, cum & ecclesiæ, & Reipubl. & sibi gloriæque vixisset satis, centesimum decimum agens annum, & sepultus est in Thimnath-Serach civitate sua, c. XXIV, 30. Quod vero Josephus addit: *μνημεῖον αὐτοῦ καὶ ἱερός ἐν Γαβαθᾷ πόλει Ἰουδαίας, monumentum ipsi impositum extat in urbe Gabaatha*, vellem probasset, cum fidem non inveniat; nec magis Isidori Hispalensis probanda incuria est, lib. de vita & morte Sanct. c. 27. Opp. p. 361. civitatem Josuæ, quam Tamnasar dicit, in tribum Dan rejicientis, quam tamen in montanis Ephraim sitam sacer textus c. 1. docet & c. XIX, 51. Sepulchro Josuæ solis imaginem impositam, urbemque postea Jud. II, 9. *תְּמִנַת הַחֵרֶם* quasi תְּמִנַת הָחֵרֶם figuram solis, ab ejus statione ad tumbam Josuæ expressa, vel marmori incisa, dictam plerique volunt Judæorum, quibuscum Andr. Mafius facit Comment. ad b. l. Ceterum præter Josephum lib. V. Antiqq. c. 1. vitæ ejus historiam, allatis in medium Hebræorum, Arabum, & Samaritanorum testimoniis, prolixam texuit Heideggerus Smegm. Orient. Lib. I. cap. 8. n. II. p. 468 - 530. ut & autor der Lebens-Beschreibung Biblischer Scribenten P. II. c. 2 p. 10. Ut Nicol. Serarium taceam, qui integro commentario non librum mo-



do Josuæ, sed & illa, quæ in Mosaicis ac Chronicis de eo habentur, Josuæ.
ab utero usque ad tumulum, enarravit.

III.

Quis ergo dubitet, tanti Herois ex tot præclare, quin etiam mi- fama in
raculose editis facinoribus incluti famam longe lateque vagatam, & in gentes spar-
remotissimas etiam oras gentesque fuisse sparsam, quod productis te- la,
stibus b. Waltherus probat *Offic. §. 783. p. 914.* Quin imo sub Her-
culis fabula Josuæ historiam latere, erudite dudum demonstrarunt Ger.
Joh. Vossius *de Idolol. lib. 1. c. 26. p. 96.* Pet. Dan. Huetius *Dem. Evang.*
Prop. IV. p. 323. sqq. & e nostris Dietricus *Antiqq. Bibl. p. 752.* Sed
ista nunc non attinet fufius persequi. Propius ad institutum facit, ut typica rela-
discipiamus, quo respectu ac modo Josua typum gesserit ac figuram tio ad Chri-
JESV Servatoris. Scite omnino Origenes *homil. 1. in lib. Josue T. K.*
Opp. Lat. p. 150. Liber hic, ait, non tam gesta nobis filii Nave indicat,
quam Jesu mei Domini nobis sacramenta depingit. Cui suffragatur Hie-
ronymus *epist. ad Paulin.* Jesus Nave typum Domini non tantum ge-
stis, sed & nomine præfert: Jordanem transit, hostium regna subvertit,
dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumi-
na, torrentes, atque confinia ecclesie celestisque Jerusalem spiritualia re-
gna describit. Præfiguravit itaque Messiam 1) nomine, quod cum JE-
SV gessit idem Matth. I, 21. vide e veteribus Tertullian. *adversus Ju-*
deos cap. IX. T. I. p. 218. ex recentioribus Gerhard. *Exeg. L. IV. de Per-*
sona Christi §. 18. p. 1126. 2) ministerio, quod ille Mofi, hic legi Mo-
saicæ præstitit, Gal. IV, 4. 3) munere, ad quod ille Spiritu sapientie,
Deut. XXXIV, 9. hic eodem spiritu, non ad mensuram instructus, Luc.
IV, 1. accessit; quo ille summa fide perfunctus est, Jos. XI, 15. nec mi-
nori Christus: 4) introductione in terram Canaan: ἐκεῖνος εἰς τὴν
γῆν τῆς ἐπαγγελίας, ἔτος εἰς τὸν ἔθρονον, καὶ τὰ ἐν τοῖς ἔθρονοις ἀγαθὰ
ἐκεῖνος μετὰ τὸ τελευτῆσαι Μωυσέα, ἔτος μετὰ τὸ παύσασθαι τὸν νό-
μον ἐκεῖνος ὡς δὴ ἀγαγὼς, ἔτος ὡς βασιλεύς. Ille in terram pro-
missionis, hic in cælum, & ad bona in cælis reposita: ille post mortem
Mofis, hic postquam lex cessavit; ille tanquam populi Dux, hic tanquam
Rex, ut habet Chrysost. *homil. II. in Matth. p. 10.* 5) fortitudine bel-
lica, & triumphis ex hostibus: 6) terræ ac hæreditatis distributione: 7)
actibus vitæ variis &c. in quibus fufe deducendis operam haud infeli-
citer posuerunt e nostris b. Waltherus *Offic. §. 785.* & Autor der Lebens-
Beschreibung Biblischer Scribenten *P. II. cap. IV. p. 24.* e Reformatis Joh.
Bierman. *in Moses en Christus lib. 1. cap. 9. p. 207. sqq.* & Ludov. Cap-
pellus



De libro
Josuæ.

pellus *Not. Crit. in Jos. Opp. in V. T. p. 416.* Præterea Symbolis quoque ac emblematis variis illustrat, & ad obedientiam aliasque adumbrandas virtutes Josuæ gesta accommodat Phil. Picinellus *Mundi Symbol. lib. III. c. 87. p. 193. sq.*

IV.

Autor libri
putatur

aliis a Josua
diversus,

Jam de autore libri secundario & ministeriali gravis movetur quaestio, circa quam ut discrepantes autorum sententias in compendium mittamus, in tres veluti familias abeunt, quarum prima recentiore vel alium saltem ac diversum a Josua autorem tuetur, altera ipsi Josuæ scriptum assignat, ultima rem omnem in medio relinquit. Et Athanasius quidem in *Synopsi T. II. Opp. p. 73.* generaliter pronunciat, Josuæ & sequentes ad Esdram usque libros non prorsus ἐκείνων εἶναι συγγράφας, ὧν καὶ τὰς ἐπιγραφὰς φέρουσι, καὶ περὶ ὧν διαλαμβάνουσι, ab illis esse conscripta, quorum inscriptiones præferunt, & de quibus tractant. λέγος δὲ φέρειναι, παρὰ τῶν κατὰ τὰς ἐκάστης καιρὸς προφητῶν συγγεγραμμέναι αὐτά: feruntur autem a Prophetis, qui singulis temporibus vixerunt, esse scripta. Theodoretus excerptum hunc existimat ex libro Justorum, cujus Jos. X, 13. mentio fit: autorem enim suspicatum, ne quis verbis de statione solis non adhiberet fidem, dixisse, hoc inveniri in antiquo commentario; unde porro colligit, δὴλον τοίνυν καὶ ἐὶν εὐδεν, ὡς ἄλλος τις τῶν μεταγενεστέρων τὴν βιβλον ταύτην συνέγραψε, λαβὼν ἐξ ἐτέρας βιβλῶν τὰς ἀφορμὰς, quare constat ex hoc loco, posterorum quempiam alium librum hunc conscripsisse, ex alio libro capta occasione. *Quest. XIV. in Josuam T. I. Opp. P. I. p. 202.* Cujus vestigia legit Andr. Masius *Præfat. in Jos. p. 2.* Esdram sive solum, sive unacum equalibus, insigni pietate & eruditione viris, cœlesti Spiritu afflatus, ex variis annalibus, qui tum magna cura in templo asservabantur, librum compilasse existimans. Sed & hæsitat omnino Grotius, num ad Esdram librum referre debeat, quo propensius videtur inclinare, an ad Josuam? cum *ad c. VI, 25.* circa phrasin illam: usque in presentem diem, annotat: a Josua hoc, an ab Esdra additum? & *ad c. XV, 63.* ad idem temporis indicium: hinc quoque apparet, neque a Josua, neque prope ejus tempora scriptum, aut certe consummatum hunc librum. Et *ad c. XIX, 27.* ex urbis Cabal mentione conjecturam de tempore, quo scriptus liber sit, capi posse tradit, cum ab Hiromo demum terra ista Tyrii vicina id nominis acceperit. Sunt porro, qui Eleazarum summum Pontificem, filium ac successorem Aharonis, literis eum consignasse, autumant,



mant, nulla tamen probabilis ratione inducti. Conf. Calvinum & Lud. Lavaterum *Comment. in Josuam argument.* Don Isaac Abarbenel *Prefat. in Josuam fol. 3. col. 1.* a magistrorum sententia, quam ex Baba Batra allegaverat, discedens, postquam argumentis compluribus Josuam autorem impugnasset, Samueli tandem hunc & Judicum librum adscribit; hinc esse, ait, ut, cum sub finem verba fœderis Josuam consignasse discrete indicetur, nullo prorsus tamen indicio constet, universum ab ipso librum provenisse; quod in Mosaicis tamen aliisque libris sacris usu sit receptum. Et pro Samuele quidem e Pontificiis Tostatus Abulensis *qu. 13. in c. 1. & qu. 9. in c. 7. & qu. 11. in c. 16.* e nostratibus vero b. Calovius *Bibl. Illustr. Pref. ad Jos. p. 653. & ad Judic. XVIII, 7. p. 732. b.* sententiam ferunt. Franc. Junius *ad Jos. XI, 21.* ubi distincta occurrit montanorum Jehudæ & montanorum Israelis mentio, hinc colligitur, inquit, librum hunc compositum fuisse post divisionem populi in duo regna, & Saulis mortem. Spinozæ verba, utut paulo prolixiora, non tamen pigebit adscribere, cum argumenta Josuam impugnantia fere omnia conglomerata exhibeant. Ita autem habent *Tract. Theol. Pol. c. 8. p. 110.* Josuæ librum similibus rationibus ostenditur non esse autographon: alius enim est, qui de Josua testatur, quod ejus fama fuerit per totam tellurem c. VII, 1. quod nihil eorum omiserit, quæ Moses præceperat c. VIII, v. ult. & XI, 15. quod senuerit, omnesque in concionem vocaverit, & quod tandem animam egerit. Deinde etiam quedam narrantur, quæ post ipsius mortem contigerunt: videlicet, quod post ejus mortem Israelitæ DEVM coluerunt, quamdiu senes, qui ipsum noverant, vixerunt; & c. XVI, 10. quod Ephraim & Manasse non expulerunt Kanabanitam habitantem in Gazer, sed (addit) quod Kanabanita inter Ephraim habitavit usque in hunc diem, & fuit tributarius. Quod idem ipsum est, quod Jud. I. narratur, & modus etiam loquendi: in hunc usque diem, ostendit, scriptorem rem antiquam narrare. Huic etiam consimilis est textus c. XV, ult. de filiis Jebudæ & historia Kalebi ex v. 13. ejusd. capituli. Et casus ille etiam, qui c. XXII, 10. narratur, de duobus tribubus & dimidia, quæ aram ultra Jordanem edificaverunt, post mortem Josuæ contigisse videtur: quandoquidem in tota illa historia nulla Josuæ fit mentio, sed solus populus bellum gerere deliberat, legatos mittit, eorumque responsum expectat & tandem approbat. Denique ex c. X, 14. evidenter sequitur, hunc librum multis post Josuam seculis scriptum fuisse. Si quem igitur librum Josua unquam scripsit, fuit sane ille, qui c. X, 13. citatur.



De libro
Josuæ.

citatur. Postquam deinceps de libro Judicum, Samuelis, Regum, Chronicon, paucis sententiam suam dixisset, subnectit tandem p. 111. *Concludimus itaque, omnes hos libros esse apographa, resque in iis contentas ut antiquas enarrari.* Si jam ad connexionem & argumentum horum librorum attendamus, facile colligemus, eos omnes ab uno eodemque Historico scriptos fuisse, qui Judæorum antiquitates ab eorum prima origine usque ad primam Urbis vastationem scribere voluit. Quisnam autem is fuerit, pag. seq. subdit, non ita evidenter ostendere possum: suspicor tamen, ipsum HESDRAM fuisse, & quedam nonlevia concurrunt, ex quibus conjecturam facio: quæ ipsa dein fusius persequitur. Sic Thomas Hobbesius in *Leviath.* c. 33. recentiorem Josuæ ætate librum facit, tempus tamen vel autorem definire non audet. Pariter Rich. Simonius *Hist. Crit. V. T. L. I. c. I. p. 3.* ad scribas publicos, de quibus *ad Genesim. p. 39. sq.* mentem ejus exposuimus, se rursus recipit, eosque ex Actis & annalibus publicis Archivi Israelitici, incertum quo tempore, Josuæ ut & ceteros historicos libros compilasse censet, Theodoretum & Masium in partes suas citans. Joh. Clericus in dissertatione *de Scriptoribus librorum historic.* Commentario in Josuam præmissa §. 2. quædam hujus libri, v. g. fœderis formulam, quam populo in solenni fœderis cum DEO restauratione prævit, porro historiam belli, quod cum Chananæis per annos sex gessit, & tandem divisionem terræ Chananææ Josuam ipsum vel æqualem consignasse scriptorem, fatetur & erudite adstruit: librum autem ipsum, ut nunc est, an Esdras ita concinnaverit, an alius, prorsus ignorat, nisi quod verba ista, quibus c. XI, 16. 21. distincta Israelis & Judæ mentio injicitur, non esse statuat nisi a manu hominis, qui post tempora secessionis decem tribuum vixit.

V.

aliis ipse
Josuæ,

Contra vero ea pluribus iisque gravissimis Theologis Josua ipse, divina inspiratione instructus, librum hunc, exceptis, quæ a recentiore manu profecta sint, paucis, exarasse creditur. Talmudici sane in *Baba Batra cap. I. fol. 14. b. sq.* Josuam librum suum & octo ultimos Deuteronomii versiculos, qui de morte Moïsis agunt, composuisse, ipsam porro Josuæ mortem c. XXIV, 29. sqq. Eleazarum adjecisse; fata denique Eleazari Pinehasum filium v. ult. subnexuisse, tradunt. Non immerito itaque Isidorus Hispal, *Origin. lib. VI. c. 2. p. 45. a. Scriptorum ejus eundem Josue Hebræi asseverant.* Eandem tuerentur sententiam e Pontificiis Jac. Bonfrerius *Præloqu. in Script. S. cap. 7. Sect. 2. p. 23.*

Nic.



Nic. Serarius *Prolegom. in b. l. 2. p. 212.* Sixtus Senenf. *Bibl. S. l. 1. p. 9.* Josuæ. & cumprimis Huetius *Dem. Evang. Prop. IV. p. 314. sq.* alique bene multi. E Reformatis adstipulantur Henr. Altingius *Theol. Hist. Loc. II.* Hottingerus *Thef. Phil. l. II. cap. 1. Sect. 2. p. 463.* Nec dubium est, ait Frider. Spanhemius *Hist. Eccl. V. T. Opp. T. I. p. 339.* scripsisse Josuam res principes, suo ministerio gestas, ad Mosis exemplum: quam libro Josuæ, uti in Canone extat, inserta sint dudum postea a viro Prophetico, vel ab ecclesia Israelitica opportunis locis, quæ post contigerunt, e. g. expeditio Danitarum adversus Leshem vel Lais, Jos. XIX, 47. Jud. XVIII, 7. montana Israelis s. Samaria &c. distincta a montanis Jude, Jos. XI, 21. exusu, qui distractionem X. tribuum excepit. Illud: & permanet in hunc diem c. IV, 9. VI, 15. & sepe alias, additio est posteriorum Josua temporum. Paulo aliter Heideggerus *Enchir. lib. I. c. 7. S. 2. p. 60.* qui, quanquam largiatur, pleraque a Josua, diarium quoddam consignante, & præcipua etiam fusius describente, fidelibus literis fuisse mandata, ea tamen successu temporis a Propheta vel viro Θεοπνευστῶ, qualis Esdras esse potuerit, insertis quibusdam, quæ post Josuæ mortem contigerunt, aucta, locupletata, & in ordinem redacta esse, arbitratur. Sunt denique, qui certi nihil in hac quæstione definire audent, unde e Pontificiis Ludov. El. du Pin in *Prolegom. Bibl. L. I. c. 3. S. 2. p. 78. b.* alii, in medio rem re-
e Reformatis Franc. Burmannus *Præfat. in b. l. p. 2.* & nostris b. Waltherus *Officin. Bibl. S. 777. p. 912.* allatis in medium discrepantibus, incertus.
Doctorum sententiis, rem omnem in medio relinquunt. Et ut dicamus, quod res est, conjecturis quidem aliquis, certis vero ac indubiis positionibus locus plane nullus hic superest, cum nec negantium rationes militent omnes, nec tanti ponderis sint affirmantium momenta, ut Josuam libri autorem absque dubio evincant. Recentiore enim & fata Josuæ infecutam demum manum redolent omnino, quæ c. XV, 13 - 19. de hereditate Calebi, filiæque ipsius Achsæ, coll. Jud. I, 10 - 15. porro, quæ c. XVI, 10. coll. Jud. I, 29. de ejectis e Gaser Cananæis: cumprimis quæ c. XIX, 47. coll. Jud. XVIII, 7. de Danitarum adversus Leshem expeditione; & tandem, quæ c. XXIV, 29. sqq. de ultimis Josuæ & iis, quæ post mortem ejus gesta, commemorantur. Sed nec eorum, qui librum universum Josuæ acceptum ferunt, argumenta satis roboris habent, diluta a Ludov. El. du Pin *l. c. p. 75. sq.* Quod enim ex c. XXIV, 26. urgent: *Scripsit quoque Josua omnia verba hæc in volumine legis Domini:* neutiquam ad universum librum, sed ad illa tantum



tantum referendum est, quæ ad fœderis restorationem facientia hoc ipso capite recensentur. De fœderis enim formula tantum sermo est: & quid attinebat, in descriptione fœderis mentionem eorum facere, quæ toto libro consignata exhibentur? Pari fide ad Syrac. XLVI, 1. provocant, ubi *Successor Moysi in Prophetiis* dum dicitur Josua, nulla ratione consequitur, eundem literis, æque ac Moyses, res gestas consignasse. Ut taceam, apocryphum librum tot seculorum intervallo ab hoc nostro determinatum, inidoneum perquam Canonico Scriptori testimonium ferre. Tandem quod ex 1. Reg. XVI, 34. profertur, id quidem demonstrat, Josuæ librum jam Eliæ ætate consignatum extitisse, tum etiam per Josuam prolata fuisse verba ista, quibus diris devovetur restitutor Jerichuntis; at vero scripsisse librum, nondum evincit. Quæ reliqua Huetius producit, vetustatis libri indicia, non vero Josuæ scriptiorem solide probantia documenta sunt. Ut itaque dicendorum finem faciamus, vero videtur simile, 1) Josuam ipsum plurima hoc libro contenta consignasse, cum e re esset ecclesiæ pariter ac Reipubl. Judaicæ, ut finium terminos, urbes quoque Sacerdotales & Levitarum, & alias terræ Canaan divisiones descriptas haberet, eoque ipso infinitas occuparet lites, alias orituras: 2) hunc nostrum libro Regum longe esse antiquiorem, quod ex 1. Reg. XVI, 34. coll. cum Jos. VI, 26. ad oculum patet: 3) neque tamen Josuam ipsum universum librum exarasse, ob illa, quæ ætate ipsius recentiora, supra observavimus: 4) non itaque liquere, an Samuel forte aut alius vir pius, vel universum librum exaraverit, an vero iis, quæ post mortem demum Josuæ evenerunt, auxerit & locupletarit: 5) neque vero opus est, ut singuli librorum auctores sigillatim cognoscantur, ii nimirum, quorum indicia firma in Scriptura ipsa non extant, cum & historica sit ejusmodi quæstio, non de fide aut dogmatica, & si quid de ea probabiliter affirmetur, fide saltem historica & humana suscipiendum. Quin Deus ipse pro sua sapientia singulos in individuo scriptores nobis innotescere noluit, ut ad auctorem librorum sacrorum unicum Spiritum S. ubique respiceremus. *Quis hæc scripserit, valde supervacue quaeritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter credatur. Ipse igitur hæc scripsit, qui hæc scribenda dictavit. Si magni cujusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, eaque quo calamo essent scripta, quaereremus, ridiculum profecto esset, si non epistolarum auctorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo verba earum impressa fuerint, indagare studeamus, scite de hac quæstione*

ratio=



rationatur Gregorius M. in *Moralib. ad Job. X.* Vid. Carpzov. *Dispp. Josue. Acad. XXVII. de Θεοπνευσία Scripturae* S. S. 2. p. 1336. Unde commode in hanc sententiam Hottingerus: *haud ἀπὸ γονήτος factum esse*, inquit, quod, cum de autoritate librorum Josue, Judicum, Samuelis, Regum, Canonica dubitet nemo, de autoribus tamen eorundem nihil certi extare voluerit studiosissimus ecclesie sue custos, Deus. Nempe ea verba suo indidit divinitatis refulgentia, & luculentissima ἐνεργείας καὶ ἐναργείας documenta, ut collato illi cum quibuscunque scriptis palma sponte cesserit. Non ab Amanuensibus, non ab ecclesia, quod impudentissime urgent Romanenses, sed a propriis & insitis sibi notis suam Scriptura Sacra commendare poterat ἀποδείξαι, originemque prorsus divinam, in *Thef. Philol. Lib. II. c. 1. Sect. 2. p. 467. sq.* ubi plura de hoc argumento. 6) Quicumque tandem fuerit scriptor, Θεοπνευστος fuisse, credendum est, divinitus impulsus, ut canonici Mosaici librum Josue, ad normantem ecclesie usum destinatum adjiceret, autoritate & fide Mosaicis nihil inferiorem. Jam quod ad Spinosa, Massi, Junii, aliorumque attinet argumenta, leviora ea sunt, & ab Huetio, du Pin, aliisque abunde profligata, iis ut immorari necesse non sit. Id unum addo, distinctam montium Judae & Israelis mentionem Jos. XI, 16. 21. aetatem Rehoboamo posteriorem, quod ipsi quoque Huetio, Spanhemio & aliis, Josuam autorem asserentibus, visum est, non evincere, cum vel Davidis aetate Ps LXXVI, 2. distincta Judae & Israelis mentio, tanquam usu recepta, occurrat. Leviora sunt cetera, vel in concessis, ut missa illa merito faciamus.

VI.

Pergimus ad argumentum, quod in rerum Josue auspice ac duce Argumentarum, ut & mortis ejus enarratione versatur, & ad terrae promissionem, occupationem, subactam per tribus singulas distributionem, ac distributam tandem quietam possessionem reduci commode potest, quod Isidorus Hispalensis *L. VI. Origin. c. 2. p. 45. a.* concise complexus: *in libri hujus textu*, ait, *post Jordanis transitum regna hostium subvertuntur, terra populo dividitur, & per singulas urbes, viculos, montes atque confinia ecclesie caelestisque Hierusalem spiritualia regna praefiguntur.* Historicus etenim hic quoque liber est, a Mosis excessu continuo pergens filo, fataque populi Dei ecclesiaeque Israeliticae per annos, quibus publicae rei Josue, sacrae autem Eleazar Pontifex praefuit, viginti septem exponens. Scopum autem generalem cum Mosaicis eundem habet, Scopus. Christum piis mentibus fide apprehendendum ut offerat, cujus partim



De libro
Jofuz.

Ufus.

officium, gloriosam fidelium in terram promissam introductionem, regnique tenebrarum destructionem, typis Jofuz & præclarorum ejus facinorum adumbrat, partim prosapiam & genealogiam, Rahabæ descriptione, illustrat Matth. I, 5. Porro etiam, piorum ut animos divinis promissionibus pariter, ac veritatis & providentiæ documentis fulciat & confirmet, quo manu quasi nos ducit allegatio Paulina Ebr. XIII, 5. Præter hos specialis quidam libri scopus ad gentem & Rempublicam Hebræorum spectat, ut descripti singularum tribuum fines, tum urbes refugii designatæ, Sacerdotumque & Levitarum divina autoritate constitutæ mansiones essent. Omnino enim Sacerdotum non minus, quam tribuum omnium intererat, scriptas easque authenticas asservari tabulas, quibus universa terræ Cananæ divisio perspicue traderetur, ad quarum ductum & normam, si quæ nascerentur de finibus contentiones, semina daturæ bellis civilibus, examinari & decidi possent. Idque eo magis, quo curatius singularum tribuum distinctionem servari, omnemque evitari familiarum confusionem in eo populo, e cujus certa tribu, familia & domo oriundus olim erat Messias, sapientissimum voluit Numen. Usus itaque non unum ad hunc usque diem ecclesiæ Dei præbet. *Primo* quippe Dei in servandis promissis veracitas & constantia abunde inde probatur. Quæ enim de terra Canaan promissiones Abrahamo olim Gen. XIII, 15. Isaac c. XXVI, 4. Jacobo c. XXXV, 12. Josepho c. L, 24. Mosis quoque Exod. III, 8. totique populo plus vice simplici factæ, per tot secula intercidiisse fere, aut oblivioni datæ videbantur, suo tandem tempore, hoc libro teste, prolixè præstitæ sunt ac impletæ. *Deinde* quoque historiæ, de ecclesiæ juxta ac populi Judaici regimine, a Mosis inde excessu, ad Judicium fere ætatem usque, sua constat integritas, ut non interrupta rerum in populo Dei gestarum series inde pertexatur. *Tertio* Geographiam sacram exhibet, ac terræ Israelitis in hæreditatem datæ, cujus deinceps ac urbium ejus creberrima in universo Codice sacro fit mentio, delineationem ob oculos ponit. *Quarto* boni Principis & strenui Imperatoris imago veluti ac idea in Jofuz exhibetur exemplo, ut quibus uterque virtutibus instructus, qua pietate, prudentia, fortitudine, vigilantia, patientia ornatus requiratur, hinc elucescat. *Quinto* observatæ ac neglectæ legis divinæ illustria hic proponuntur exempla, utque præmia recte factis & supplicia sceleribus a DEO fuerint reddita, commemoratur. Sed & *sexto* DEI in plantanda, gubernanda, protegenda, & conservanda ecclesia sua



sua hinc elucet fidelitas, potentia, sapientia, magnam præbens afflictis temporibus consolationem, ne animum despondeant pii, cum gravissimas calamitatum tempestates, aut insuperabiles imminere sibi videant difficultates.

VII.

Nec est, ut de divina libri & Canonica autoritate dubitet quisquam. Ut enim characteres & signacula divinitatis libro insita taceam, quibus ipse fidem sibi & venerationem in legentium animis, a Spiritu Sancto illuminatis conciliat, quæque alibi a Theologis prolixè traduntur; non obscura tamen in N. Testamento allegatio & comprobatio, Hebr. XI, 30. 31. ex Jos. VI, 20. II, 18. VI, 17. 23. porro Hebr. XI, 1, 5. ex Jos. 1, 9. tum etiam Jac. II, 25. ex Jos. II, 1. sqq. facta; ut & generalis illa Pauli asseveratio, omnem Scripturam, Christi & Apostolorum tempore Canonis insertam, esse *θεόπνευστον*, 2. Tim. III, 16. tandem & constans ecclesiæ Judaicæ pariter ac Christianæ testimonium, canonicam illi manifesto asserunt & vindicant majestatem. De qua ut dubium nullum est, ita e contrario omnino *νοθεύεται*, *Chronicon* illud, quod libri Josuæ nomine inscriptum Samaritani venerantur, cuiusque Arabicum exemplar, ex Scaligeri munere, Bibliothecæ Leideni accessit, in *Catalogo Leideni* p. 282. satis accurate descriptum. Hinc epitomen operis in Latinum translata Hottingerus concinnavit, *Exercitationibus Anti-Morin.* subnexam, unde excerpta varia & Samaritanæ Theologiæ specimina in *Enneade Disp. I. §. 15. sqq. p. 18. sqq.* subministrat. De rebus quippe Josuæ gestis prolixè agit, sed nec ætatem fert, nec divinæ veritati consonat, & fabulis indulget, autoremque prodit neque veracem, neque divinum. Pari passu ambulat *epistola Josuæ* ad Schaubeci provocationem responsoria, quam dictum *Chronicon Samarit. cap. 26.* exhibet, indeque mutatis nonnullis R. Samuel Schullam in *Append. libri Juchasin fol. 154.* repetit, ex quo rursus R. Gedalia in *Schalschelet bakkabala fol. 96. sqq.* cum ipsa rei gestæ historia transcripsit. Schaubecum nimirum superstitem cujusdam Regis Cananæi a Josua occisi filium, nunc Regem Armeniæ minoris, fingunt Reges Persarum & Medorum XLV. fœdere sibi junxisse, & cum Japheto gigante immensum collegisse exercitum, quo Josuam cum universo Israele Cananæa exterminaret, & pristinas recuperaret sedes. Literis vero datis bellum ipsi ante denunciassè, tricesimo die post inferendum: ad quas cum contempsisset prius Josua, postea tamen, communicatis cum populo con-

Autoritas divina.

Libri Josuæ
*ὑποβόλι-
μαῖοι.*



lo consiliis, responfionem dediffe, qua feroces hostium minas Dei atque angelorum affiftentia retuderit. Universam hiftoriam ex Samaritano & Hebræis autoribus confert, & utriusque epiftolæ exemplar signatis verbis refert Hottinger. *Hiftor. Orient. Lib. I. cap. 3. p. 60. sqq.* Tandem etiam tres Josuæ epiftolas, ad Cananæos ante invasionem terræ ipforum datas, commemorant Judæorum magiftri, quarum prima scriptum fuerit: **כל מי שרוצה להשלים יבוא וישלים** *quisquis pacem inire cupiat, veniat & paciscatur*: secunda: **כל הרוצה להפנות ופנה** *quisquis se alio vertere velit, vertat*: tertia: **כל הרוצה לעשות מלחמה יעשה מלחמה** *quisquis belligerare voluerit, conferat prælium*: de quibus vide Seldenum *de Jure N. & G. Lib. VI. cap. 13. p. 772.* & Carpovium *ad Schickardi Jus Regium cap. V. theor. 16. d) p. 306. sq.*

VIII.

Chronologia.

Implicata paululum temporum est ratio circa hunc librum, eo quod de Josua **בפסוק נשיאתו דמן נשיאתו לא מצינו** *tempus imperii ejus in sacris literis non reperimus*, ut in *Zemach David p. 5.* recte observatur. Hinc mite discrepant eruditorum sententiæ. Patres sane veteris ecclesiæ fere omnes viginti septem annos principatui ejus tribuunt, quorum mentem ita expromit Augustinus *lib. XVIII. de Civ. DEI c. XI. T. V. Opp. p. 1019.* Cum Jesus Nave populum rexisset post mortem Moysi viginti & septem annos, etiam ipse defunctus est: regnante apud Assyrios octavo decimo Amynta, apud Sicyonios sexto decimo Corace, apud Argivos decimo Danao, apud Athenienses quarto Erichthonio. Consentit Lactantius *lib. IV. Divin. Inst. c. V. p. 224.* Eusebius vero *lib. X. Prepar. Evangel. cap. 10. p. 489.* ex lib. III. Chronographiæ Africanæ, viginti quinque saltem numerat: cum quo Beda facit, Josephum secutus. Elmacinus apud Hottinger. *Thef. Philol. Lib. 2. c. 1. Sect. 2. p. 463. sq.* unum super triginta imperio ejus annos assignat. Ut taceam, qui diversum sentiunt, reliquos, quorum tamen calculus ratione destituitur. Ad veritatem itaque proxime accedit recentiorum computus, qui septendecim annorum spacio omne istud, quod ab excessu Moysi ad obitum Josuæ fluxit, tempus circumscribit. Quem rite ineundi ratio haud alia suppetit certior, quam quæ annos ab exitu ad exstructum templum Salomonis numerat. Hi i. Reg. VI, 1. expresse definiuntur, quod CCCCLXXX. fluxerint, quorum intervalla ita discriminantur:

Ab



Ab exitu populi ad principatum Josuæ sunt	-	anni 40 Josuæ.
Inde ad κληρονομία. terræ distributionem Jos. XIII, 1. sqq.	-	
XIV, 10.	-	7
Reliqui regiminis Josuæ anni ad mortem ejus usque, indefinite saltem in Scriptura per רבים ימים <i>dies multos</i> Jos. XXIII, 1. describuntur, quorum definitus numerus infra ex illis, qui toti annorum summæ defunt, petendus erit.	-	
A Josua ad Eli sunt	-	299
<i>Quorum distincta enumeratio, ut & Pauli Act. XIII, 20. 21. cum autore libri Regum d. l. conciliatio, cap. seq. commodius instituitur.</i>		
Inde ad Samuelem, per 1. Sam. IV, 18. fluxere	-	40
Inde ad Davidem, per Act. XIII, 21.	-	40
Inde ad Salomonem, per 1. Reg. II, 11.	-	40
Inde ad initium structuræ templi per 1. Reg. VI, 1.	-	4

Prodit summa annorum : 470.

Decennium igitur, quod toti summæ deest, dandum erit regimini Josuæ a κληρονομία usque ad ejus mortem, quod septem illis ante κληρονομία si jungatur, septendecim conficiuntur anni, quibus rerum potitus est Josua princeps. Septennium ergo in bellis & occupanda Cananæa, decennium in pace & ordinanda Republica exegit : quem cum decem annis supervixisse credatur Eleasar Sacerdos, in cujus obitu finitur liber, ortum inde videtur, quod Josue alii XXVII. annos tribuerint : quod verum est de annis libri Josue (non principatus ejus) quo pacto conciliari poterit sententia illa de 27. annis Josue, ait b. Calovius Bibl. Ill. Præf. ad Jos. T. I. p. 653. Hi itaque si cum annis O. C. conferantur, chronologia libri ita habebit :

A. O. C.	Anno Exitus.
2553 Josua in vocatione sua a Deo confirmatus (cap. I, 1. sqq.)	41
exploratores Jerichuntem misit c. II.	inci-
die 10. mensis primi anni 41. Israelitæ ex Jordane ascenderunt in promissam terram Cananæam c. IV, 19.	pien-
die 11. circumciditur omnis populus, interrupto hujus Sacramenti per 40. annos usu c. V, 2-9.	te.

A. O. C.



De libro
Josuæ.

A. O. C.

Anno Exitus.

die 14. ejusd. mensis, vespere Israelitæ Pascha primum in terra Cananæa celebrarunt *c. V, 10.*

postridie Paschatis comederunt ex annona ipsius terræ, cessavitque Manna postridie, quam comederent de annona terræ: neque fuit deinceps illis Manna, sed comederunt de proventu terræ anno illo *c. V, 10. sqq.*

2554 ab autumnno hujus anni, quo post cessationem Mannæ terram primum serere Israelitis contigit, incipit primus τῆς γεωργίας annus, in quo Sabbathicorum annorum figendam esse radicem, Exod. XXIII, 10. 11. Lev. XXV, 2-7. Deut. XV, 1-9. & XXI, 10. docemur. 41

2559 κληροχία s. terræ distributio novem tribubus & dimidiæ Manassis cis Jordanem facta *c. XIII, 1. sqq.* Huc spectant, quæ a *c. X, 20.* usque ad finem *c. XI. & Jud. I, 9-15.* referuntur. Quo tempore Caleb, annis XLV. postquam ad explorandam terram a Mose missus fuerat, Hebronem cum montanis Judææ pro hæreditate petiit *c. XIV, 6. 10, 13.* 46

2560 annus septimus a terra primum ab Israelitis coli cœpta, primus Sabbathicus Israelitis contigit, a quo annorum Jubilæorum epocha auspicanda est, qui septem hebdomadibus annorum enumeratis, i. e. annis XLIX. recurrebant, ita ut Jubilæus annus unusquisque quinquagesimus hinc vocaretur Levit. XXV, 8-13. 47

Cum eodem anno terra primum a bello quiesceret, tabernaculum in Siloh erectum est *c. XVIII, 1.* quod deinceps cum Arca fœderis annis 328. ibidem quievit.

Postquam reliquis septem tribubus, terræ, quæ supererat, descriptione in libro facta, hæreditates assignatæ essent *c. XVIII. XIX.* atque ita, post deletas VII. gentes in Cananæa, distributioni terræ finis impositus esset, annis post electionem Patrum circiter 450. (Act. XIII, 17. 19. 20.) dante illis Deo requiem circumquaque, copiarum auxiliares, e Rubenitica, Gaditica & dimidia Manassis tribu accitæ, cum benedictione Josuæ, ad possessiones trans Jordanem a Mose assignatas, redierunt *c. XXII, 1.*

A. O. C.



A. O. C.

Anno Exitus. Josuæ.

2569	Josua moritur, annos natus 110. c. XXIII, 1. XXIV, 29. 30.	56
	Decennio post κληρονομία	
2579	moritur, (ut putant, & ut eadem phrasis, c. XXIII, 1. & XXIV, 31. recurrens, innuere videtur) Eleasar Pontifex Aaronis filius, in quo finitur liber Josuæ.	66

IX.

Partitio.

Capita liber habet XXIV. versiculos 656. quorum medius numeratur c. XIII, 26. In partes autem eum alii tres, alii duas secant interpretes: quorum illi cum Heidegger. *Comment. in b. l. p. 7. primam* completi dicunt gloriosissimas Josuæ de populis Cananæis reportatas victorias, a cap. I. ad XIII. usque; *secundam*, distributionem terræ Canaan inter duodecim tribus Israelis, a cap. XIII. ad XXIII. usque; *tertiam*, ablegationem duarum tribuum & dimidiæ, orationem Josuæ emortualem ad populum, nec non ipsa extrema Josuæ & Eleazari summi Sacerdotis, a cap. XXIII. ad finem usque: hi non uno omnes modo procedunt. b. Calovius enim *Bibl. Ill. p. 653. T. I. I.* in historiam rerum gestarum Josuæ, & II. in *προσθήκην* de morte ejus ac consequentibus usque ad mortem Eleazari, dispescit. Nic. Serarius *Proleg. 8. b. l. p. 215.* partem I. in ipso promissæ terræ accessu & primo quasi limine, ante Jordanis transitum constituit; II. in iis, quæ post eundem transitum evenerunt. Convenientissima nobis illa videtur divisio, juxta quam P. I. terræ promissæ *occupationem*, & quæ bello a Josua gesta sunt capp. XII. prioribus comprehendit: II. occupatæ *gubernationem*, & quæ pace ab ipso, aliisque post ipsius obitum acta commemorantur, reliquis capp. XII. tradit. Ita Waltherus noster *Offic. §. 780.* & Burmannus *ad b. l. p. 3.*

X.

Tabula Synoptica.

Enarrat itaque liber Josuæ historiam

I. occupationis promissæ terræ, circa quam nota

α) actus præparatorios, qui sunt

1. Josuæ in principatu confirmatio c. I.

2. exploratorum missio c. II.

3. Jordanis trajectio c. III. cujus memoriale lapidum est erectio c. IV.

4. populi per circumcisionem & Pascha sanctificatio c. V.

β) actus formales, sive victorias Josuæ, in

X

I. Jeri-



De libro
Josuæ.

1. Jerichuntis destructione c. VI. cujus consequens, furtum Achannis c. VII.
2. urbis Ai expugnatione c. VIII. cujus consequens, Gibeonitarum fraudulenta deditio c. IX.
3. quinque regum, ad Solis stantis miraculum, devictione & suspendio c. X.
4. gentium reliquarum, profligato cum confederatis Jabino, excisione c. XI.

Tandem subjicitur, *coronidis vice*, victoriarum Josuæ catalogus, & regionum cis ac trans Jordanem occupatarum *ἀνασ-Φαλαίνσις* c. XII.

H. occupatæ administrationis, circa quam nota

α) κληροχίαν five terræ distributionem

p. generalem, cum repetitione distributionis tribui Ruben, Gad & dimidiæ Manassis a Mose factæ c. XIII.

p. specialem, ubi

1. Calebi portio c. XIV.
2. Sors Judæ c. XV.
3. Sors Ephraim c. XVI.
4. Sors Manasse c. XVII.
5. Sors Benjamin c. XVIII.
6. Sors reliquarum sex tribuum c. XIX.

p. specialissimam, qua

1. urbes refugii, five asyla c. XX.
2. urbes Sacerdotum ac Levitarum c. XXI.

β) honorificam tribuum Ruben, Gad & dimidiæ Manassis, ad hæreditates suas dimissionem: ubi pomum Eridos, altare ad Jordanem extructum c. XXII.

γ) comitia populi, ob legis custodiam celebrata c. XXIII.

δ) comitia in Sichem, & concionem Josuæ, per novum fœdus populum ad unum Deum colendum obstringentis c. XXIV, 1 - 19. cui tandem subnequitur

Appendix de Josuæ morte & sepultura v. 30. 31.

de ossium Josephi contumulatione v. 32.

de Eleasaris obitu & sepultura v. 33.

XI.

Commentariis hunc librum illustrarunt e Patribus *Græcis* ORI-
GENES,

Commen-
tarii
Patrum:



GENES, cujus in Josue sex & viginti homilias Latina tantum exhibet Josue.
editio T. I. Opp. fol. 149. b. sqq. Hieronymum versionis autorem fert
Prologi titulus, operose autem negat Huetius *Origenian. L. III. Sect.*
III. §. 5. p. 246. qui Magdeburgenses simul *Cent. III. cap. 10.* homilias
ipsas Origeni abjudicantes, refutat. Fragmentum ex homilia XX. in
cap. XV. Jos. Græcum ipse exhibet *Opp. Origen. p. 26. sq.* THEO-
DORIVS porro, qui in quæstionibus in Octateuchum T. I. Opp.
P. I. Josuam suo loco explicavit: & PROCOPIVS GAZÆVS,
de quo supra *ad Exod. p. 97.* Allegoricam historiæ Josuæ applicatio-
nem, non tamen admodum prolixam, GREGORIUS NYSSÉ-
NVS exhibet, *Orat. adversus eos, qui differunt baptismum*, quæ Latine
tantum, Gentiano Herveto interprete T. II. Opp. p. 124. sistitur. E
Latinis AVGVSTINVS, quæstionibus super Josue T. IV. Opp. p.
284. sqq. ISIDORVS HISPALENSIS, cujus in Josuam ob-
servaciones *Opp. p. 330. sqq.* occurrunt, concisæ perquam & commen-
tarii titulum vix sustinentes: BEDA, cujus *quæstiones super librum Je-*
su Nave ex dictis Patrum T. VIII. Opp. p. 339. edit. *Basileens.* leguntur.
Quibus addi forte poterunt S. PATERIVS, Romanæ ecclesiæ No-
tarius & secundicerius, Gregorii M. discipulus, cujus hortatu librum col-
legit testimoniorum ex operibus Gregorii, textus varios Scripturæ S.
explicantium, in quo, ut Pentateuchum, ita Josuam quoque, sed hunc
concisus & duobus saltem capitibus, illustrat T. III. Opp. *Gregorii M.*
p. 623. & RVPERTVS Tuitiensis Abbas, circa A. 1119. celebris, in
cujus Opp. Moguntiz A. 1631. excusis, Josua quoque explicatus T. I. p.
355. occurrit.

Ex Hebræis, præter supra p. 35. sqq. nominatos, succinctum com- *Rabbino-*
mentarium, ex Raschi, Aben Esra, Kimchio, Gersonide & aliis, in Pro- *rum:*
phetas tam priores, quam posteriores, adeoque suo loco in Josuam col-
legit, & חבורי רקט *compositiones collectaneas* inscripsit R. ABRA-
HAM ben Rabbi Jehuda Chassan, Lublini in fol. A. 1612. Tum &
SAMVEL LANIADO כל יקר *vas pretiosum* s. Commentarium
in Josuam, Judices, Samuelis & Regum libros conscripsit, Venetiis ex-
cusum in fol. ap. Joh. de Gara. R. AHARON ben Chajim suum in
Prophetas priores Commentarium לב אהרון *cor Abaronis* ex Exod.
XXVIII, 30. inscripsit.

Inter nostrates JOH. BRENTIVS geminum in Josuam *Lutherano-*
commentarium reliquit, quorum unus alterum excipit, sub init. *Tomi rum:*

X 2

II. Opp.



De libro
Josuæ.

II. Opp. DAVIDIS CHYTRÆI commentarius in Josuam &c. & Prophetas minores Wittebergæ in fol. A. 1590. excusus est. PHIL. LVDOV. HANNEKENII *annotata Philologica in Josuam* Giesfæ in 12. A. 1665. 1668. prodierunt. JOH. CHRISTOPH. ISINGII *exercitationes in Josuam Pentateucho junctæ sunt* Regiomonti in 4. A. 1588. MAVRITIUS HELINGIUS in Josuam, Judices & Ruth Periocham conscripsit in 8. Norimbergæ A. 1593. qua singulorum capitum argumenta & locos communes breviter delineavit. JOH. ADAMI OSIANDRI *Commentarius in Josuam*, Tubingæ in fol. A. 1681. editus, eandem cum illis in Pentateuchum rationem ac structuram servat. SEBAST. SCHMIDII *prælectiones in VIII. priora capp. Josuæ* Slesuici A. 1693. in 4. lucem viderunt. Lic. JOH. MVLMANNI, Professoris quondam & Archi-Diaconi Lipsiensis in lib. Josuæ commentarium, dudum post b. Viri obitum a situ ac tineis vindicavit & in lucem protraxit D. Christoph. Martini, Dresdæ in 4. A. 1701. In vernacula lingua librum explicarunt D. FRIDERIC. BALDVINVS LXVIII. homiliis, Wittebergæ editis in 4. A. 1621. ESAIAS HEIDENREICH in LVI. *Helden-Predigten Josuæ* Lipsiæ in 4. A. 1586. & Stettini A. 1654. MICH. HERMANVS in *Josua enucleato*, Wratislaviæ in 4. A. 1640. WOLFGANG. SILBER in *Josua typico* Lipsiæ in 4. A. 1624. Huc quoque facit VALERII HERBERGERI *Magnalium Dei Pars X.* forte etiam MICH. DILHERRI *Jugend-Schah* p. 219 - 229. ubi vitam Josuæ concisè enarrat: & HEINRICI BVNTINGI *Itinerarium Sacræ Scripturæ* p. 94 - 103. ubi Geographiam libri designatam exhibet.

Pontificia-
ria:

E Pontificiis in hunc librum studia sua contulit BENEDICT. ARIAS MONTANVS. in *de optimo Imperio*, Antvverp. in 8. A. 1583. ANTONINVS Florentinus Archi-Episcopus, seculo XV. clarus, in cujus *opere Chronicorum*, quod 3. tomis in fol. Argentorati A. 1496. prodiit, sæpiusque recusum est, de gestis Josuæ & aliorum Judicum filiorum Israel, commentatio extat: THOMAS de VIO CAIETANVS, cujus in *omnes authenticos V. T. historiales libros, Josuam scilicet, Judices, Ruth, Reges, Paralipomena, Hezram, Nehemiam & Esther* commentarii perquam succincti, uno volumine in fol. Romæ A. 1533. prodierunt: JACOB. BONFRERIVS, cujus in *Onomasticum urbium & locorum S. Scripturæ* ab Eusebio Græce scriptum,



ptum, & ab Hieronymo Latine redditum, operi commentarius in Jo-
suam junctus est, Parisiis in fol. A. 1631. ANDREAS MASIUS,
cujus operosum & pereruditum in h. l. commentarium in fol. Ant-
werp. A. 1574. editum, Theologi Angli in Biblia Critica retulerunt
quidem, sed præfatione sua, quod dolendum, truncatum: NICOL.
SERARIUS Soc. Jes. qui T. II. Moguntia in fol. A. 1622. & sæpe
alias excusis, Josuæ gesta erudite enarravit: HENRIC. MARCEL-
LIVS, S. J. Herbipoli in 4. A. 1661. COSMAS MAGALIA-
NVS, S. J. Tomis II. cum appendice, Turnon. in fol. A. 1612. THO-
MAS MALVENDA, Lugduni in fol. A. 1650. JOH. FERVS,
Colonia in 8. A. 1571. EMANVEL de NAXERA, S. J. prius
in Collegio Complutensi Sac. literar. interpres, postea in Madritensi
pro scholis Regiis Politicorum Magister, qui commentarios literales
& morales amplissimos in h. l. composuit, Lugduni in fol. 1647. &
Antvv. 1650. ALOYSIVS NOVARINVS, qui duo volumina
in h. l. conscripsit, Lugduni in fol. A. 1646. ADRIAN. CROM-
MIVS, S. J. qui theses theologicas in eundem Lovanii edidit A.
1631. ALPHONSVS TOSTATVS, Venetiis in fol. A. 1597.

Inter Reformatos ipse JOH. CALVINVS librum hunc ex-
plicavit, de quo Lavateri elogium in præfat. ad homil. in Jos. ita ha-
bet: *Clariss. & doctissimi viri Joannis Calvini brevem commentarium,*
quem pro perpetuo suo de ecclesia bene merendi studio, paulo ante obi-
tum suum, in morbo conscripsit & absolvit, tum demum accepi, cum jam
ad caput XXII. interpretandum pervenissem. Quem si ab initio habere
contigisset, vel hoc meo labore supersedissem, vel multos locos difficiles, ab
eo adjutus, enarrassem diligentius. Prodiit seorsim Genevæ in 8. A.
1564. & Opp. T. I. edit. Genev. A. 1617. indici subjunctus est. D. MAR-
TINI BORRHAI, alias CELLARII, Theologi Basileensis in
Jos. Judic. Ruth. Samuel. Regum commentationes junctim Basileæ ex-
cusæ sunt in fol. A. 1577. JOH. DRVSII ad loca difficiliora Josuæ,
Jud. & Samuel. commentarius, Arnheimii in 4. A. 1618. recusus, Bibliis
Criticis insertus legitur. LVDOV. LAVATERI in h. l. homiliae
LXXIII. Tiguri in fol. 1576. iterato prodierunt. ARTHVRI JACK-
SON Angli explicatio hujus libri in 4. Londini A. 1646. lucem vidit.
CONR. PELLICANVS in libros Historicos V. T. Josuam, Judices &c. Ti-
guri commentatus est, in fol. A. 1582. VICTORINI STRIGELII
X 3 in h. l.

Reformato-
rum:Brevem
commentarium-Famulus
iniqui

De libro
Josuæ.

in h. l. scholia Lipsiæ in 8. A. 1575. prodierunt. JOH. WOLPHII in historiam Josuæ, de occupatione & divisione terræ sanctæ liber, filii ad Senatum Argentinensem præfatione instructus, Tiguri in fol. A. 1592. typis exscriptus est. In JOH. HENRICI HEIDEGGERI *laboribus exegeticis*, Tiguri in 4. A. 1700. evulgatis, commentarius in Josuam analyticus primum locum occupat: quæ vero in JOH. COCCEJI *Opp. ἀνεκδότων* T. I. p. 47. exhibentur notæ breves in Josuam, adeo exiles sunt & jejunæ, ut vix locum hic inveniant. Copiosior omnino est FRANCISC. BVRMANNVS in *die Uitlegginge ende Betragtinge van de Boeken Josua, der Richteren, ende Ruth*, t' Utrecht in 4. A. 1675. quæ postea in Germanicum idioma versa explicatio recusa est. Satis erudite quoque historiam libri exponit CHRISTIAN. SCHOTANVS T. II. *Biblioth. Sacr. de Ducatu Josuæ* p. 348-417. Huc quoque refer FRANC. RIDDERI *Schriftuyrlick Licht over schynslydende duystere ende misduydende texten der H. Schriftuyre* &c. Rotterdam in 4. A. 1676. HVGON. ROBINSONI *Annal. Mundi Lib. V. VI.* & EDMVNDI DICKINSONI *Delphos Phœnicizantes*, quibus Græcos, quicquid apud Delphos celebre erat, e Josuæ historia & scriptis sacris hausisse, demonstrare satagit Oxonii in 8. A. 1685.

Remon-
strantium:

E Remonstrantium cœtu JOH. CLERICVS, eodem, quo in Mosaicos ceperat, ordine ac modo, in libros historicos, Jos. Jud. Ruth, Samuelis, Regum, Paralipomena, Esdræ, Nehemiæ & Estheræ commentari perrexit, Amstelodami in fol. A. 1708. præmissa de scriptoribus librorum historicorum V. T. dissertatione, subiectaque gemina, de 72. virorum in Republ. Ebr. Synedrio, & de lepra Mosaica, exercitatione, nec non tabulis Chronologicis, quibus temporum, libris historicis descriptorum, calculum subducit.

CAP. X. De Libro Judicum.

Summari-
um Capitis.

*Libri ordo ac in serie Biblicorum locus: inscriptio, ejusque autor & ætas
§. i. Judices distincti ab ordinariis Senatoribus & Judicibus: eorum munia ac partes: an peracto bello magistratu rursus abierint?
Punicum*



Punicam sufferes ex Hebræo **שופטים** est. *Judices* an ad decreta Synedrî alligati fuerint? Regibus erant inferiores: Dei saltem vicarii, qui ipse hoc tempore Rex erat Israël; cum forma Reipublicæ t. i. Theocratica esset, omniumque felicissima Israël. Eorum ordo ac recensio: in quibus an Juda & Simeon locum inveniant? Cur Moses & Josua iisdem non accenseantur? Cur in Simsonis fati liber subsistat, nec Eli ac Samuelis, filiorumque ejus præfecturas adjiciat? §. 2. Scriptori libri alius unus est; isque vel Ezechias, vel Esdras, vel Samuel: aliis plures, iique Actuarii vel Judicum civiles, vel in tabernaculo ecclesiastici. §. 3. Ex nostra sententia incertus est: unus tamen, non multiplex, quod ab objectione ex Matth. II, 23. petita vindicatur: ante Davidis tempora florens, adeoque nec Ezechias, nec Esdras; quod ab objectionibus ex Jud. XVII, 6. ex Jud. XVIII, 30. 31. ex Jud. I. ubi mentio injicitur nominis Jerusalem, depromptis liberatur: tempore Saulis librum componens: certe **Σαουλ** & **Δαυιδ**: isque forte Samuel §. 4. Argumentum libri: Scopus, ubi simul inquiritur: an omnes Judices Sancti, adeoque Christi typi fuerint? Usus varius §. 5. Autoritas Canonica libri probatur §. 6. Chronologia libri Judicum, cum calculis diversis libri Regum 1. Reg. VI, 1. Jephthæ Jud. XI, 26. Pauli Act. XIII, 20. conciliatur §. 7. & in tabulam Chronologicam redacta, cum annis O. C. & exitus ex Aegypto confertur §. 8. Ad quæ tempora referenda sint capita quinque libri posteriora, de historiis idoli Micha, & belli Benjaminitici? §. 9. Partitio §. 10. Tabula Synoptica §. 11. Commentarii in b. l. Patrum, Judeorum, Lutheranorum, Pontificiorum, Reformatorum, & Remonstrantium §. 12.

§. I.

Josue librum jure merito Judicum excipit commentarius, ordine in Hebræis pariter ac Christianis codicibus recepto, ipsaque divini Spiritus autoritate firmato. Namque & prima libri verba: *Et factum est post mortem Josue, interrogaverunt filii Israel Deum* &c. hunc cum Josue libro, historiæ immediata serie, ætissime connectunt; & Paulus in Antiochena Judæorum Synagoga pro concione gentis suæ historiam paucis complexus, primo Moysi, tum Josue, mox Judicum & demum Samuelis librorum contenta recenset Act. XIII, 16. sqq. quem ipsum quoque ordinem in enarrandis Vet. Testamenti Heroi.

Libri ordo
ac locus:

De libr.
Judicum.

Heroibus Ebr. XI. servat. Nec est, ut Epiphanii moti autoritate, cum quibusdam ordinem turbemus, quod illi *lib. de mensuris & ponderibus* c. 23. T. II. Opp. p. 180. post Pentateuchi mentionem, ἡ τῆ ἰησοῦ τῆ Ναυῆ, ἡ τῆ ἰαβ, ἡ τῶν κριτῶν, *liber Jesu Nave, Jobi, Judicum &c.* numeratur, Jobusque adeo inter Josuam & Judices medius inseritur. Plane enim isto in loco librorum sacrorum ordinem neglexisse Epiphanium, ex tota recensione affatim patet, in qua mox libros Samuelis Chronicis postponit, Psalmos utrisque pramittit, & δωδεκαπρόφητων majoribus quatuor Prophetis anteponit, ac cum Estheræ demum libello colophonem imponit. Hinc alias idem *lib. I. contra hereses, heres. VIII. §. 6. T. I. Opp. p. 19.* Josuæ & Judicum libros sine intermedio invicem subnectit, hoc ipso, ordinis rationem in prior illa recensione habitam a se fuisse nullam, aperte docens. Inscriptio vero libri in
inscriptio. Codice Hebræo יְהוֹשֻׁעַ וְשִׁפְטֵי, in Græco Κριτῶν, in Latinis *liber Judicum*, ex cap. II, 16. petita, argumentum designat. ἐπειδὴν μετὰ τὸν θάνατον Ἰησοῦ υἱοῦ Νάυη, διὰ τῶν κριτῶν ἔσωζεν ὁ Θεὸς τὸν λαὸν θλιβόμενον ὑπὸ τῶν ἀλλοφύλων, τῶν περιλειφθέντων χαναναίων, καὶ τῶν τῶν κριτῶν ἐκάς, καὶ τὰς πράξεις, καὶ τὸν χρόνον τῆς ζωῆς ἡ βίβλος αὕτη περιέχει, propterea quod post mortem Jesu Nave populum suum Deus ab alienigenis, relictis quippe Cananæorum gentibus pressum, per Judices servavit: quorum hoc volumine singulorum facta & vite tempus continentur, ut scite explicat *Synopsis Script. S. T. II. Opp. Athanasii p. 74.* Quando autem Philo *lib. de confusione linguar. Opp. p. 265.* τὴν τῶν κριμάτων ἀναγραφομένην βίβλον *librum judiciorum* appellat, præter rem facit, cum Judicum vitas & gesta, non vero judiciorum rationem exponat. In autorem vero & ætatem hujus inscriptionis dum inquit b. Seb. Schmidius *Prolegom. in h. l. qu. 3. p. 10. 179.* ad tria cumprimis genera librorum Biblicorum titulos revocat, & hanc quidem aliasque huic similes inscriptiones, non tam autoribus librorum secundariis, quam vel collectoribus in codicem canonicum, vel recentioribus scribis editoribusve tribuendas esse, censet, ita tamen ut antiquissimam ferant ætatem, ipsa totius Codicis Hebræi in suas classes, Moysen scilicet, Prophetas & Psalmos, distributione nihilo recentiorem, eo quod in scriptis Talmudicis eæ occurrant, & sub iis tanquam usu tritissimis & antiquissimis libri sacri recenscantur ac citentur.

II. Judi-



Judicum vero istorum quæ dignitas, quæ partes fuerint, quæ forma regiminis, fusc disceptatur eruditis. Et primo quidem satis constat, longo dignitatis & officii intervallo eosdem a tribunalium urbanorum Assessoribus, vel Senatoribus summis determinari, quorum mentionem Exod. XVIII, 26. Deut. I, 16. XVI, 18. XIX, 17. 18 XXI, 2. factam, justo pene commentario Vir Clar. Joan. Seldenus *lib. II. de Synedriis c. 4. 5. 6. 7.* erudite persequitur: cum & extra ordinem hi nostri divinitus excitarentur, & majore multo autoritate pollerent; quam laudatus modo Seldenus *c. l. cap. 16. §. 2. & 3. p. 405.* Bartenoræ & Jarchii autoritate motus, *Synedrii magni Principes* eos existimet extitisse. Extraordinario potius munere fungebantur, & velut Hebræorum Dictatores quidam, & vicarii Dei, delegata a supremo Numine potestate gaudebant, judiciorum, consiliorum, & bellorum principatum tenentes. Judicasse sane Debora populum sub palma inter Rhama & Bethel in monte Ephraim, Jud. IV, 4. 5. legitur, & Samuel circumiens quotannis in Gilgal, Bethel & Mizpa, lites dirimebat, 1. Sam. VII, 15. sqq. Comititia porro populi egisse, & quid facto opus sit, consuluisse in medium, Samuelis denuo exemplo constat *c. l. v. 5. 6.* Maxima vero in bello ipsorum autoritas erat, quod vel exercitu instructi gerebant, vel per se soli absque exercitu, ut Samgar & Simson. Neque tamen, quod quibusdam ap. Burman. *preloqu. in h. l. §. I. n. V. p. 178.* Heideggero *Enchir. I. c. 8. §. 2. p. 68.* & Laur. Fabricio *Partit. Cod. Hebraei c. 14.* in Thesaurο Philol. Thomæ Crenii p. 298. visum fuit, colligere inde licet, peracto bello, vindicataque ex hostium manibus gente sua, magistratu ipsos rursus se abdicasse, & ad pristinum rediisse vite genus, cum & post belli tempora judicasse populum legantur, v. g. c. XII, 7. & complures ipsorum, ut Thola & Jair c. X. Abesai, Ahijalon & Abdon c. XII. Eli ac Samuel exercitum duxisse, aut in expeditionem profecti nullibi memorentur, quos tamen juri dicundo, & litibus popularibus componendis præfuisse, dubium non est. Unde communi vocabulo Josephus *ἡγεμόνας αὐτοκράτορας* eos appellat, alias quoque *δικαστὰς & στρατῆγας*; quos honorum titulos dum sub examen vocat Grotius *ad Deut. XVII, 9.* & in *prefat. annot. ad Jos.* Hebræis, Tyriis & Carthagenensibus *Judices* dictos perhibet, *κατ' ἐξοχὴν* summos magistratus, quos Latini, Punico servato vocabulo, *Suffetes* vocaverint, h. e. *שופטים* immutato paululum vocis sono; aut ex molliori pronuntiatione,



De libro
Judicum.

ne, qualis erat Ephrathæorum, Jud. XII, 6. aut ex corruptione per Latinos scriptores. Ita namque Livius *Lib. XXX. c. 7. Senatum Suffetes, quod velut Consulare imperium apud Carthaginenses, vocaverunt*: & rursus *lib. XXVIII. c. 38. Ad colloquium Suffetes eorum, qui summus Pœnis est Magistratus, elicit.* Summum itaque cum penes ipsos imperium post Deum esset, merito dubitatur, an in gravioribus causis ad decreta Synedrîi alligati fuerint, quod cum b. Calovio *præloqu. in b. l. T. I. Bibl. Ill. p. 694.* quibusdam ita videtur; quia agitante incalcescentes Numine retineri tam non potuerunt, quam Simson a parentibus absterri, quo minus Philistæam puellam duceret; & Ephraimitarum exemplum, ingenti suo damno, Jud. XII, Jephtam in jus vocantium, luculenter evincit, *ἀνυπερβύνης* fuisse, regiaque fere potestate præditos, quorum integrum non fuerit, ad humanorum judiciorum decreta & normam, heroica revocare facta. Quanta vero cunque Judicum fuerit *ἐξουχία*, ad regium tamen fastigium omnino non accedebat, quum potestate novas condendi leges, juxta ac tributa imponendi populo, regiis porro insignibus, unctione nimirum & diademate, ac satellitii tandem reliquaque, qua carebant, pompa, regibus essent inferiores. Præter hæc imperium quoque ipsorum, procul omni violentia & tyrannide, civile perquam ac mansuetum, a jure Regio 1. Sam. VIII, longe distabat, ut Pastores, Præsides, Consules liberi populi essent, & a ceteris civibus, quoad externum splendorem, parum differrent. Prolixè hoc argumentum excussit Don Isaac Abarbenel in *Præfat. Comment. in libr. Josue*, quam Latinitate donatam Buxtorff. *Dissertationibus Philologico-Theol.* subjunxit *p. 450. sqq.* ubi quinque convenientiæ, totidemque discrepantiæ inter Reges & Judices constituit momenta, quæ videantur. Huc facit, quod Burmannus *l. supra citato p. 177.* observavit, raro perquam Judices toti præfuisse Israeli, sed uni duntaxat vel alteri tribui, quæ, urgente ipsos hostium violentia & necessitate, hos vindices & servatores suos in castra secutæ fuerint, quod Baraki exemplo, quem tribus Sebulon & Naphtali tantum cap. IV, 10. Gideonis, quem præter dictas Manasse & Asser cap. VI, 35. & Jephtæ constet, quem Gilead & Manasse cap. XI, 29. coll. XI, 1. 2. sint secutæ. Sed & omnino, cum in Dei vicem præsiderent, ipsiusque nomine ac autoritate rerum potirentur, divinis ipsi legibus & impulsui erant adstricti. Jehova enim ipse *τὸ κύριον* sive summam potestatem sibi servaverat, & Rex erat populi, quem per Judices seu Pro-Reges ac Vicarios suos in officio continebat, id quod



id quod clarissimis verbis Judic. VIII, 23. 1. Sam. VIII, 7. X, 19. XII, 12. asseritur. Forma itaque regiminis, quo sub Judicibus Respublica Israelitica utebatur, Theocratica rectissime appellatur, & prorsus singularis, quæ ad nullam Aristotelicarum formarum reduci commode potest aut debet; ut corruant omnia, quæ de statu vel Monarchico, vel Aristocratico, vel Democratico, in Israelitarum Republica tunc temporis obtinente, operose disceptant interpretes, diversas abeuntes in partes. Ut enim ad Monarchicum regimen Judicum imperium eo nomine proxime accederet, quod unus præesset, non multi; tamen superiorem agnoscebat, cujus iussa capessere ipsis fas erat, & vigore potestatis Monarchicæ destituebantur, nec in universo, qua per omnia secula patuit, orbe similis huic Reipublicæ forma nominari potest, quod b. Schmidius *Proleg. h. l. qu. 4. p. 16. sqq.* prolixè ac solide demonstrat. Et isthæc quidem Israeliticæ Reipublicæ administratio, D. Brentio *præfat. ad b. l. judicæ*, omnium felicissima ei & liberrima extitit, *ut illud tempus vere aureum Israelitarum seculum dixeris*. Numerantur autem Judices in universum 18. Othniel, ex tribu Juda c. III, 9. Ehud, ex tribu Ephraim c. I, v. 15. Samgar, filius Anath v. 31. Debora ex eadem tribu c. IV, una cum Barac, ex tribu Naphtali c. IV, 6. Gideon, ex tribu Manassæ c. VI. Abimelech, filius Gideonis c. IX. Thola, ex tribu Isaschar c. X, 1. Jair, ex tribu Manassæ v. 3. Jephta ex tribu Manassæ, Gileadita c. XI, Ebsan, ex tribu Juda, Bethlehemites c. XII, 8. Elon s. ut alii vocant, Ahjalon, Zabulonites c. XII, 11. Abdon, de tribu Ephraim v. 13. Simson, de tribu Dan c. XIII. sqq. Heli ac Samuel, ut & filii ejus Joël & Abia, omnes de tribu Levi 1. Sam. IV, 18. VII, 15. VIII, 1. 2. Vitas singulorum & res gestas (Abimelecho excepto, quem non Judicem sed tyrannum existimat,) succincte tradit Melch. Leydekker. *de Republ. Hebræor. Lib. VII. c. 2. §. 5. p. 421. sqq.* Sunt, qui his omnibus Judam & Simeonem præmittunt, adeoque ad 20. numerum Judicum extendunt, freti autoritate c. I, 2. 3. Verum non singulas personas ibi, sed universas tribus Judæ & Simeonis, collective isto loco designari, interpretes passim statuunt, & b. Schmidius evincit *Comment. in c. I. qu. 2. p. 67. sq.* Ceterum judicibus istis Moysen & Josuam non annumerari, haud immerito miraberis, qui tamen æque ante Reges datos, ad præscriptum suprema Numinis, populum gubernarunt, unde & Hieronymus *ad Jesh. I, 26.* sub Judicum nomine eos comprehendit: sed ampliori longe dignitate gaudebant, ille quidem Redemptoris, ut Stephano audit Act. VII, 35.



De libro
Judicum.

& Legislatoris; hic autem Imperatoris & exercitus Ducis supremi. Cui accedit, quod hi duo populo praefecti sint, cum nondum certas ille fixasque haberet sedes, ceteri vero Judices eidem in terra promissa dati sint, cum jam tribus Israelis suis possessionibus gauderent. Heli vero ac Samuelis filiorumque res gestae cum Regum historia tam arcte cohaerent, ut ab illa istarum recensio divelli commodè non potuerit. Hinc est, quod in Simfone Judicum liber subsistat, reliquis quatuor iudicibus ad Samuelis libros, integramque postulati Regis historiam reservatis.

III.

Libri scriptor
aliis unus
est,

De autore libri ministeriali non constat inter eruditos. Plurimis unus creditur idemque totius operis scriptor, quia unius totum est textura, continuoque & aequabili filo orationis pergit series, quod secus se haberet, si plures operi manum admovissent, aut ex collectis variorum schedis coaluisset. In definiendo autem hoc uno dissident aut haerent. Hugoni Cardinali in *Prolog. b. l. in Ezechiam* propensior sententia est, ita quidem, ut *quemvis Judicum suorum temporum res gestas in acta retulisse, tandem autem vel Esdras, vel Jeremiam, vel Ezechiam potius, in unum volumen isthaec collegisse* censeat; quod b. Gerhardus *Exeges. L. I. de Script. S. S. 126.* confirmari posse putat inde, quod Ezechiae amanuenses quaedam Salomonis proverbialia in unum contulisse dicantur volumen, *Prov. XXV, 1.* Quae tantum abest, ut b. Schmidio nostro displiceat conjectura, ut in eandem potius pedibus incedat sententiam *Prolog. in b. l. qu. 2. n. 5. p. 9.* Quamquam hoc pacto unum potius collectorem, multos vero libri habeamus scriptores. Esdras porro vult Andr. Massius, & qui ab ejus stant partibus: Samuelem vero, longe plurimi tum Judaei, ut in *Baba Batra cap. 1. fol. 14.* & ap. Abarbenem videre est, qui dubia Magistris suis contra hanc sententiam movere *Comment. in b. l. Sect. X. quest. 6.* eademque diluit ac solvit *ad Jud. XIII, 31.* tum Christiani Doctores, Tostatus, Driedo, Serarius, Huetius, alii. Unde Arias Montanus *Comment. in Jud. VIII, 27. historiae hujus concinnatorem Samuelem*, absque ulteriore indagine appellat. Sunt vero & alii, qui variorum opera consignatum librum dicunt, ita ut Judicum quilibet ipse, vel singulorum saltem Actuarii & Scribae, quae suis temporibus evenissent, in commentarios referrent, ut apud Jansenium *Comm. in Concord. Evangel. cap. XI. p. 75. b. Pinedam praefat. in Jobum cap. III. n. 3. p. 7.* Maldonatum *Comm. in cap. II. Matth. p. 23.* & Wittakerum *controvers. I. de scr. qu. 3. c. 4.* refertur, & vel inde

alii varius.



inde confirmatur, quod adagium Matth. II, 23. ex Jud. XIII, 7. citatum Judicum. *ἡ ἐν δὲ τῶν προφητῶν*, adeoque a pluribus consignatum dicatur. Alii rursus, cum Dorotheo *lib. de prophetis*, scribarum variam hic agnoscunt operam, at sacrorum, qui in tabernaculo versabantur, non civilium, qui iudicibus praeesto erant. Rich. Simonio *Hist. Crit. V. T. L. I. cap. 8. p. 53.* vero videtur simile, Samuelem forte composuisse, Esdram autem, vel quicumque alius canonis sacri ultimus fuerit collector, adjecisse non pauca: multo vero post confarctatam esse hanc historiam, quam res ipsae gesta sunt, hariolatur inde, quod, cum isto tempore Regio nondum pareret Israel imperio, Regum nihilominus in ea mentio fiat c. XVII, 6. XVIII, 1. 31. In quo vestigia legit Spinoza, qui *Tract. Theol. Polit. cap. 8. p. III.* nihil definit, mentem autem suam his verbis explicat: *Librum Judicum neminem sane mentis sibi persuadere credo, ab ipsis Judicibus esse scriptum: epilogus enim totius historiae, qui habetur c. 2. clare ostendit, eum totum ab uno solo Historico scriptum fuisse. Deinde, quia ejus scriptor saepe monet, quod illis temporibus nullus erat Rex in Israel, non dubium est, quin scriptus fuerit, postquam imperium Reges obtinuerant.*

IV.

Jam ubi nobis, quid circa scriptorem pariter ac circa consignationis tempus sentiamus, edisserendum est, 1) largimur ultro, autorem libri secundarium in obscuro esse, nec nisi conjecturis, iisque incertis perquam ac dubiis, locum hic dari. Nullibi enim in universo Codice Sacro sub certo auctoris nomine commendatur aut citatur, unde nec nostrum erit, nimia vel curiositate, vel praesidentia certi quid in iis definire, in quibus certi quid scire Deus nos noluit. 2) Unum tamen ut fuisse credamus, non varios ac multos, & styli suadet constans sibi ubi-vis aequalitas, & capitum rerumque nexus, tum & *θεοπνευσίας* cum primis ratio ac modus. Nec, quod objiciebatur, citari in plurium numero hunc librum, nomine *τῶν προφητῶν*, plures statim evincit libri scriptores; cum essatum Habacuci c. I, 5. Paulus *τῶν προφητῶν* nomine citet, nec tamen hac allegandi ratione ad plures unius libri autores, sed ad totum omnium Prophetarum complexum ac volumen respiciat, docente ipsa scriptura, cum Stephanus Proto-Martyr unius Amosi dictum *ἐν βιβλῳ τῶν προφητῶν* evolvendum monstrat Act. VII, 42. Et si dicendum, quod res est, non ex uno Judicum, sed & primo atque quinto Mosaico libro depromptum istud Matthaei oraculum, recte a

quis ex nostra sententia?



De libro
Judicum.

pluribus Prophetis prædictum fertur, Mose nimirum, & autore libri Judicum. Vide mox §. 6. *huj. Cap.* 3) Certum tamen est, tempore Davidici imperii scriptum jam fuisse, cum jam a Samuele sub auspiciis regni Saulis, 1. Sam. XII, 9. 10. II. oppressio Sissæ & liberatio per Gideonem, per Bedan, per Jephtham facta ex Jud. IV, 2. VI, 14. XI, 2. commemoretur; a Joabo pariter 2. Sam. XI, 21. integra de Abimelechii fati historia ex Jud. IX, 53. allegetur; ac a Davide ipso Ps LXVIII, 8. 9. & XCVII, 5. ad Deborah verba Jud. V, 4. sq. haud obscure digitus intendatur. Itaque frustra sunt, qui ad Esdram, vel saltem ad tempora captivitatis Salmanassar hanc scriptionem rejiciunt. *Ad Ezechie vel Esdra usque tempora, nihil de Judicum temporibus & rebus gestis scriptum fuisse, quis queso crediderit?* apposite ait Schmidius noster. Quando vero phrasin illam: *eo tempore non erat Rex in Israel*, Jud. XVII, 6. XVIII, 1. XIX, 1. XXI, 25. eo torquent, ut scriptionem libri ipsis Regibus posteriorem inde evincant, plus nimio ὑποθέσει δαλεύσσι. Ista enim determinatio non tam ad tempus scriptionis, quam ad ipsam spectat rei narratæ historiam, ejusque velut rationem reddit: eodem ergo argumento conficeres, Danitas ad Regum usque, imo Assyriacæ captivitatis tempora, nullam in terra Canaan hæreditatis sortem consecutos fuisse, per c. XVIII, 1. quod nemo temere crediderit. Ergo voce מלך latius sumta, ut Deut. XXXIII, 5. quilibet imperans, ἡγεμενος & ἡγεμονος, adeoque Judices quoque, qui Regum fere tenebant imperium, designantur, phrasique illa istud notatur tempus, quo post excessum Judicis aut Ducis cujusdam, penes neminem unum summa potestas erat, sed Synedrii auspiciis Respublica tantum regebatur. Gravius vero & majoris momenti videtur, quod contra libri antiquitatem ex c. XVIII, 30. 31. dubium movetur, ubi Jonathan filius Gerson, filii Manassis, ipse & filii ejus, Sacerdotes tribui Dan fuisse dicuntur ער יי ארץ גלורת ad diem usque captivitatis s. migrationis terræ, & erexisse sculptile, quod sibi fecerat Micha, cunctis diebus, quibus domus Dei in Siloh fuit &c. unde Spinoza conficit, eo tempore scriptum librum fuisse, quo Salmanassar tribus Israeliticas captivas abduxit, & nullus in Israele Rex fuit. Id quod vel b. Schmidium nostrum movit, ut Samuele recentioris libri autorem suspicaretur. Ulterius vero progressus Ludov. Cappellus *Not. Critic. in b. l. Opp. in V. T. p. 418. a.* ex his verbis colligit: *itaque vel scriptus fuit liber ille post captivitatem, vel nonnulla sunt inspersa per librum ab Esdra, vel alio, qui post capti-*

tatem



tatem vixit. Sed salva res est. Nullane enim alia Israelitas *גלית*/præ-
 terquam Assyriaca Salmanassar, pressit? nonne potius adjecta tempo-
 ris notatio: *cunctis diebus, quibus domus Dei in Siloh fuit*, illam præci-
 se digito velut indice monstrat captivitatem s. migrationem, qua in die-
 bus Eli Pontificis arca a Philistæis capta, & Israelitæ plures in captivi-
 tatem abducti sunt, 1. Sam. IV, 10. seq. Tunc enim a Siloh tabernacu-
 lum ablatum canit David Ps LXXVIII, 61. sq. Kirjath-Jearim transla-
 tum, omniaque destructa idola, adeoque & hoc tribus Dan, memorat
 Samuel 1. Sam. VII, 1-4. Ergo adhuc a Samuele, & ante Regem a Deo
 postulatum, conscribi Judicum liber potuit. Sed tamen adhuc scrupu-
 lus restat, quem Theodoretus iniecit *quest. 2. in Jud.* qui ex Jerusalem,
 nomine sequioris ævi, libri quoque recentioris argutatur confectio-
 nem. Sed in obscuro omnino nominis hujus est origo, & forte Can-
 ananæis jam, terram adhuc incolentibus, accepta ferenda per Jos. X, 1.
 Gravissimi sane Theologi, nostratium b. Dorscheus *Theol. Zach. P. I. cap. IV. §. 22. sqq.* & e Reformatis Herm. Witsius in *Historia Hiero-
 solymæ, Miscellan. Sacr. T. II. Exerc. X. §q. §. 1. sqq.* inserta, in genui-
 nam nominis significationem & natales accurate & prolixè inquiren-
 tes, ætatem, quæ receptum & cum antiquioribus urbis appellationibus
 permutatum fuit, in dubio relinquunt. Sive itaque Cananæis jam in
 usu fuerit Jerosolymorum nomen, sive Israelitis urbem occupantibus
 recens inventum & impositum, quæ Huetii *Demonstr. Ev. Prop. IV. p. 335. §. 4. in h. l.* est conjectura; sive denique post illa tempora receptum,
 & ab Esdra, aut alio viro *Θεόπνευστος* Josuæ ac Judicum libris, *ἐπεξηγή-
 σεν* causa, insertum, quod Jos. XV, 8. XVIII, 28. Jud. XIX, 10. factum
 videri posset: nihil tamen inde antiquitati libri nostri decedit. 4) Cum-
 primis vero placuit temporis, quæ exaratus liber est, character ab Elia-
 du Pin *Dissertat. prælimin. in S. Bibl. Lib. I. cap. 3. §. 3. p. 80.* monstra-
 tus, qui ex Jud. I, 21. observat, Jebusæos adhuc Jerosolymis tempore
 auctoris & scriptionis hujus habitasse, qui cum Davidis demum ætate ur-
 be exterminati 2. Sam. V, 6. legantur, solide inde infert, ante hanc Je-
 busæorum ejectionem, adeoque vel sub Saulis imperio, vel sub initium
 regni Davidici exaratum esse. Quæ & Cappelli *c. l.* prior erat conje-
 ctura, qui inde hunc cum libro Josuæ eodem tempore & eodem auto-
 re scriptum existimabat, antequam in locum supra cit. c. XVIII, 30. in-
 cideret, qui tantum valuit, ut sententiam meliorem cum sequiore per-
 mutaret. 5) Certum porro est, *Θεόπνευστος* fuisse autorem, eaque mente
 ex in-



De libro
Judicum.

ex intentione Spiritus Sancti librum condidisse, ut canonici Scripturae perpetuo jungeretur, & ad normam credendorum faciendorumque, nunquam posthac avellendus, pertineret; quod infra ex divinae auctoritatis demonstratione ulterius patebit. 6) Samuellem itaque ut invicta ratione nulla demonstrare & asserere, sic nulla pariter impugnare satis & destruere possumus autorem, maxime cum in ipsius aetatem conditi libri epocha exacte quadret, nec ab officio ejus id esset alienum, & in Actis III, 21. 24. primus ille post Moysen Propheta inter eos, qui non ore, sed scriptione cumprimis, dies Christi praeannuntiarent, reconstatur.

V.

Argumen-
tum

Historicus autem hic quoque liber est, coeptaque a Moysae & Josuae historiae sacrae continuatio, progressum Reipublicae juxta ac ecclesiae Israeliticae in terra Canaan, per universum aliquot saeculorum tractum, a morte Josuae ad tempora Eli Pontificis tradens; in qua vicissitudines imprimis rerum prosperarum & adversarum, populi hinc a Deo deficientis, justisque suppliciis severe in ordinem redacti, hinc poenitentis & Numinis opem enixe implorantis, adeoque per Heroas divinitus excitatos in libertatem asserti ac vindicati, ordine exponuntur. Recte nimirum hanc in rem Augustinus lib. XVI. de Civ. Dei c. 43. Opp. T. V. p. 932. scribit: *temporibus Judicum, sicut se habebant & peccata populi, & misericordia Dei, alternaverunt prospera & adversa bellorum: Quibus gemina sunt, quae lib. XVIII. c. 13. p. 1027. leguntur: Post mortem Jesu Nave, populus Dei Judices habuit: quibus temporibus alternaverunt apud eos & humilitates laborum pro eorum peccatis, & prosperitates consolationum, propter miserationem Dei.* Ubi quod Sanctissimus Prae-

a profanis
Scriptori-
bus in fabu-
las conver-
sum.

sul statim addit: *his temporibus fabulae fictae sunt:* ab antiquitatis mythicae indagatoribus uberius explicatur, & quomodo sub Herculis persona & gestis Simson ejusque historia, sub Iphigeniae sacrificio filiae Jephthae caedes, sub aliis aliae hujus libri lateant personae, erudite declaratur. Vid. Dilherr. Dissp. Acad. T. II. p. 177. Huet. Demonstr. Ev. l. c. p. 336. §. 6. & Ludov. Cappelli Samson *μυθολογούμενος* Not. Crit. in lib. Jud. Opp. in V. T. p. 426. sq. Augustin. L. XVIII. de Civ. Dei c. 19. Philastr. de haesibus c. 8. Scopus libri, ut Scripturae universae, primario ad Christum tendit, quem ut luculenter adumbrarent Judices,

Scopus

I.

משיעים Salvatores Jud. III, 15. dicti, divinaque instructi virtute (Jud. VI, 14.) miraculosa saepius ope oppressum populum e manu hostium in libertatem asseruerunt, ut ipsorum virtute ac victoriis moniti

Israe-



Israelitæ, verum Orbis Salvatorem, populum suum ex hostium spiri-
tualium tyrannide vindicaturum, quærent, eumque solum sospitato-
rem ac Regem suum venerarentur. Huc spectat, quod Hieronymus
Epist. 103. ad Paulin. observat: *in Judicum libro quot principes populi,
tot figurae sunt.* Quo vero respectu & modo Gideon præ ceteris, Jeph-
tah & Simson typum gesserint Christi, copiose edisseruit nostris Wal-
therus *Offic. S. 800. p. 933.* & Reformatis autem Biermannus *in Moses
en Christus Lib. I. cap. X. p. 220. sqq.* & quod ad Simsonem attinet, Lud.
Cappellus *Not. Crit. in Lib. Jud. Opp. in V. T. p. 425. sq.* Ubi quidem
dubium movent, qui de sanctitate Judicum ambigue disputant, insi-
guesque plurimorum nævos in Scriptura commemorari animadvertunt,
ita tamen, ut nullam pœnitentiæ ipsorum factam deprehendant mentio-
nem. Ut vero taceam, catalogo veterum sanctorum inserta, honoris
causa, ipsorum nomina legi Syr. XLVI, 13. & Hebr. XI, 32. sqq. unde
haud temere colligitur, scripturam ipsorum pœnitentiam, licet diserte
non meminerit, factam tamen a nobis præsumi velle: lapsus quoque
eorum nihil prohibent, quo minus typicam ad Christum habuerint re-
lationem. Typorum enim eadem, quæ similitum, est ratio, ut ultra ter-
tium ne extendantur. Unde canones manarunt in Hermeneutica no-
ti: *navi ac peccata sanctorum V. T. qui typos Christi gesserunt, Christo
sanctorum sanctissimo attribui nec debent, nec possunt.* Et rursus: *Impii,
NB. in quo impii fuerunt, Christi figura & typus nequaquam constituen-
di sunt,* de quibus b. Glassius *Philol. S. Lib. II. P. I. Tr. 2. Sect. 4. can.
2. & 7. p. 331. 334.* Secundum libri scopum Apostolus docet Hebr.
XI, 2. 32. ubi Gideonis, Baraki, Simsonis & Jephthæ ita meminit Pau-
lus, ut per fidem suam testimonium consecutos esse, nec per propriam
virtutem aut merita, sed per fidem tantum tanta patrasse ac tam præ-
clara facinora doceat, quo ipso firmiter evincant exemplo suo, *justum
ex fide vivere,* cap. X, 38. & *fidem earum esse rerum, quæ sperantur, sub-
stantiam, elenchum eorum, quæ non videntur.* Ex quibus manifestum
est, eo tendere quoque hanc historiam, ut fidei, per quam invocantes
Dominum Israelitæ, non modo clementiam ejus & opem consecuti
sunt, sed & tam admiranda gesserunt Judices, naturam, virtutem & ef-
ficaciam in apicum ponat. Usus denique libri quam latissime patet. *Ufus.*
Multum enim ille ad universalem mundi & ecclesiæ historiam facit, *a.*
quæ si hujus libri traditione ac autoritate destituatur, aliquot seculorum
passura esset lacunam, ex nullo alio fide digno supplendam monumen-
to.



De libro
Judicum.

β.

γ.

δ.

ε.

ζ.

to. Plus quam paternum porro Dei animum, quo ecclesiam suam, idololatria licet, rebellione ac peccatis excidium ac interitum merentem, paternis tantum castigationibus ad frugem meliorem revocat, redeuntem ac deprecantem denuo suscipit ac fovet, nec hostium furore interire aut opprimi totam patitur, ex eo cognoscimus. Illustre cum primis providentiæ ac veritatis divinæ documentum populi Israelitici præbet in mediis ærumnis conservatio, propter Messiam ex eo nasciturum, & fœdus cum Abrahamo initum, miraculose sæpius a Deo præstita. Habent hic peccatores, quid Israelitarum moniti exemplo sibi metuant, habent poenitentes, quid a divina sibi benignitate polliceantur: habent Respublicæ causas publicarum, quibus premuntur, calamitatum, habent eluctandi, & ad pristina redeundi halcyonia, remedium, ob oculos positum. Principes ac summi bellorum duces, Domini auspiciis ac virtute omnia gerere, ab insidiis sibi cavere, non violentia ac tyrannide, sed prudentia ac mansuetudine erga cives, fortitudine autem ac severitate erga hostes uti &c. inde discant. Gulæ ac libidinis quantum periculum, quanta violatæ fidei sit perniciēs, Siseræ, Simsonis, aliorumque doceant exempla, & quam periculosa plenum opus alex aggrediantur, qui in blandientis complexus ruunt foeminae &c. Quæ & similia innumera fere, insignem in omni vita usum præstantia documenta, in commentariis hujus libri passim copiose declarata reperiuntur. Quibuscum Symbola moralia, ex Judicum gestis desumpta, apud Picinellum confer, *Orb. Symbol. Lib. III. cap. 93. sqq. num. 274 - 291.*

VI.

Autoritas
Canonica.

De Canonica libri Judicum & divina autoritate nemo temere dubitaverit, qui paulo curatius reputaverit secum, 1) testimonia & historię Israeliticæ seriem, in ceteris utriusque Testamenti scriptis Θεοπνεύστοις eo valore & argumentandi pondere ex hoc libro depromi, ut divina inde fides, tanquam ex ἀυτοπίστῳ & ἀυτοπνεύστῳ principio, gignatur ac resultet. Provocant ad hos annales Samuel 1. *Sam. XII, 8. sqq.* coll. cum Jud. IV, 2. VI, 14. XI, 2. Joab 2. *Sam. XI, 21.* coll. cum Jud. IX, 53. David *Pf. LXVII, 8. 9. & XCVI, 5.* coll. cum Jud. V, 4. Matthæus *c. II, 13.* coll. cum Jud. XIII, 5. XVI, 17. Paulus *Act. XIII, 16. sqq. & Ebr. XI, 32.* Quid? quod 2) non citetur modo, sed & reliquis Prophetarum, imo Mosaicis quoque libris æquiparetur Judicum historia, manifesto indicio, nihil hanc illis autoritate esse inferiorem.

Paulus



Paulus sane Act. XIII, 15. sqq. in Antiochena Synagoga gentis suæ hi-
 storiam strictim percurrrens, eadem fido ac autoritate, qua ex *Exodo*
 populi ex Ægypto liberationem v. 17. 18. & ex *Josue* v. 19. terræ
 κληρονομίαν repetiverat, Judicum quoque imperium v. 20. ex hoc nostro
 libro commemorat, hoc ipso testatus, pari hunc cum illis passuambu-
 lare. Cumque locus ille vexatissimus Matth. II, 23. ὅτι Ναζωραῖος
 κληθήσεται, per Prophetas complures prædictus, asserente & vindi-
 cante Spanhemio Patre *Dub. 93. Evang. P. II. p. 613. sqq.* ex omnibus
 istis Scripturæ oraculis petendus & explicandus sit, in quibus Nazaræus
 typus de certis quibusdam personis V. T. typum Christi gerentibus affir-
 matur; quod αὐτολεξεί de Josepho Gen. XLIX, 26. Deut. XXXIII,
 16. & de Simsone occurrit Jud. XIII, 5, 17. XVI, 17. ad oculum rursus
 patet, æqualis autoritatis, ex Mosaicis libris & Judicum historia citata
 testimonia, Evangelistæ censer. Accedit 3) constans ecclesiæ testifica-
 tio, tum Judaicæ, quæ unanimi suffragio in *Prophetis prioribus* hunc
 librum numerat, ejusque autoritate historiam Ruth tuetur, tum Chri-
 stianæ, cujus Doctores, ubicunque catalogum canonicorum librorum
 exhibent, absque ulla hæsitacione historicis V. T. scriptis nostrum ac-
 censent. Cujus rei fidem Patres facient supra *cap. II. §. 3. p. 25.* allegati.
 Melito sane Sardenis, hoc sine in Orientem terramque Sanctam pro-
 fectus, ut τῶν ὁμολογυμένων τῆς παλαιᾶς Διαθήκης γεγραμμένων κατὰ
 λόγον, accuratam librorum V. T. qui omnium consensu recepti sunt, re-
 censionem fratri Onesimo sciscitanti transmittere posset, ἀκριβῶς μα-
 θῶν, postquam accurate genuinos illos indagasset, Judicum librum di-
 ferte illis inserit, authenticumque illum ab utraque perhiberi ecclesia
 tradit, ap. Eusebium *lib. IV. Hist. Eccl. cap. 26. p. 149.*

VII.

Parum autem honorifice Richard. Simon *Hist. Crit. V. T. Lib. I.* Chronolo-
cap. 8. p. 54. de hoc libro sensit, cum certam Chronologiæ rationem
 inde peti posse, ob Genealogias, Scribarum negligentia, vel etiam ex in-
 stituto, aut omisas aut truncatas, negavit. Satis enim perspicue signa-
 ta deprehendimus partim hostilium oppressionum, partim Judicum im-
 perii gubernacula moderantium tempora, ut si aliunde rationes istæ
 non turbarentur, plana omnino & facilis annorum computatio esset.
 Sed enim vero gravissimæ hic suboriuntur difficultates exinde, quod
 numerus annorum hujus libri in summam redactus, neque universæ ab
 exitu ex Ægypto ad inchoatam templi structuram Epochæ, i. *Reg. VI, 1.*
 Z 2 neque



De libro
Judicum.

neque Jephthæ computo *Jud. XI, 26.* neque Paulinæ denique Chronologiae *Act. XIII, 20. 21.* responderet. Totam nimirum Epocham liber Regum CCCCLXXX. annorum spacio circumferibit: quibus si Moyses 40. anni in deserto exacti, per *Exod. VII, 7. & Deut. XXXIV, 7.* & Josuæ ac Seniorum, ab ingressu in terram Canaan ad mortem Eleasar Sacerdotis, in quo Josuæ liber definit, 27. anni, per ea quæ *cap. præf. §. 8. p. 128.* demonstravimus, subtrahantur, restant 413. anni, qui a morte Eleasar ad jacta templi fundamenta fluxisse censendi sunt. Hanc autem summam calculus libri Judicum, si ita crude accipiat, immane quantum superat. Ille enim tribuit

	annos
I. Servituti Cuschan-Rischataim, sive <i>Mesopotamica</i> , cap. III, 8.	8
Quieti terræ per <i>Othniel</i> redditæ c. III, 11.	40
II. Servituti Eglonis, sive <i>Moabitica</i> , c. III, 14.	18
Quieti per <i>Ehud</i> redditæ c. III, 30.	80
III. Servituti Jabinis, sive <i>Cananææ</i> , c. IV, 3.	20
Quieti per <i>Barakum & Deborah</i> redditæ c. V, 31.	40
IV. Servituti <i>Midianitica</i> , c. VI, 1.	7
Quieti per <i>Gideonem</i> partæ c. VIII, 28.	40
Judicatu <i>Abimelech</i> , c. IX, 22.	3
Judicatu <i>Thola</i> , filii <i>Phua</i> , c. X, 2.	13
Judicatu <i>Jairi</i> , c. X, 3.	22
V. Servituti <i>Ammonitica</i> , cap. X, 8.	18
Judicatu <i>Jephthæ</i> vindicis, c. XII, 7.	6
Judicatu <i>Ebsan</i> , c. XII, 9. 10.	7
Judicatu <i>Elon</i> , c. XII, 11.	10
Judicatu <i>Abdon</i> , c. XII, 14.	8
VI. Servituti <i>Philistææ</i> , c. XIII, 1.	40
Judicatu <i>Simfonis</i> , c. XV, 20. & XVI, 31.	20

Summa annorum 410.

His si accedant ad jacta templi fundamenta

Anni Judicatus *Eli*, 1. *Sam. IV, 18.*

Anni Præfecturæ *Samuelis*, & imperii *Saulis*, *Act. XIII, 21.*

Anni regiminis *David*, 2. *Sam. V, 4.*

Anni regiminis *Salomonis*, ad jacta templi fundamenta, 1. *Reg. VI, 1.*

prodibit summa ann. 533.

Quibus



Quibus, si integrum totius epochæ calculum requiras, adhuc addas Judicum,

necesse est ab exitu ex Aegypto ad mortem Moſis, annos 40

a morte Moſis ad ſervitutem primam Meſopotamenam, 27

& habebis annos 600.

Hoc tantum itaque 120. annorum diſcrimen ut componant Chrono- conciliata
logi, varia in medium protulerunt *εὐρήματα*: quorum aliqui eo pro- cum 1. Reg.
greſſi ſunt audaciæ, ut numeros 1. Reg. VI, 1. ſignatos, falſitatis & cor- VI, 1.
ruptionis poſtulent; unde Serarius pro 480. ponendos 680. perſuaſus
eſt, alii 580. legunt. Id quod vero cum manifeſtam ſacro textui inju-
riam inferat, conſtanti atque conſonæ omnium Codicum, quin & ver-
ſionum lectioni reclamet, ac omnem demum certitudinem Chronolo-
gicam, quatenus e Sacris Bibliis deducitur, e medio tollat; maluerunt
alii illibatam textui quidem relinquere lectionem, at in computandis
ab exitu ad ſacta templi Salomonici fundamenta annis, *ἀεχῆς* tantum
ac imperii rationem habere, cujus ſumma 480. illos impleat annos,
quibus ſervitutum tempora, quorum triftis & infaſta erat memoria,
plane non accenſeantur, ſeorſim quippe numeranda; cujus ſententiæ
patrocinium Voſſius uterque in ſe ſuſcepit, Pater in *Iſagog. Chron. cap.*
7. filius in *Chronol. Sacr. p. 125.* Quæ tamen cum omni deſtituatur ve-
ri ſimilitudine, ruſſus alii optime conſultum huic nodo exiſtimant, ſi
ab alio epocham ordiantur principio, exitumque Iſraeliticum de com-
plemento demum ejus, quando Iſraelitæ terras hoſtium occuparunt, &
ſuas fecerunt, adeoque de *κλῆροχίται* demum interpretantur, lucrati hoc
pacto annos 46. & amplius, quos inter Laurent. Codomannus eſt, &
cum primis Dionyſius Petavius *lib. IX. de doctrina temporum c. 39.* Sed
& hoc inventum cum graviffimis laboret incommodis, maluerunt alii
Synchroniſmos amplecti, quibus annos ſervitutum refundunt in annos
Judicum illorum, per quos Iſraelitæ identidem vindicati ſunt in liber-
tatem, ita nimirum, ut quando Iſraelitæ dicuntur Regi Cuſchan ſervi-
viſſe per 8. annos, & vindice Othniele terra quieviſſe per 40. annos,
illi 8. anni ſervitutis hiſ ipsis 40. Othnielis ſint includendi, & ſic in
ceteris: quo pacto III. anni ſex iſtarum ſervitutum toti ſummæ detra-
hantur. Sed præterquam, quod diſtincta annorum ſervitutis & quie-
tis enumeratio toties inſtituitur, numerusque annorum quietis illos ſer-
vitutis annos plene elapſos excepiſſe, e textu ſacro manifeſtis indiciis



De libro

Judicum.

cum Jud. XI,
26.

colligitur; vehementissime quoque hic computus premitur calculo Jephthæ Jud. XI, 26. quo ab occupatione terræ ad suam ætatem annos, quibus Israelitæ impune regionem Amoritarum inhabitaverant, numerat trecentos; a quo tamen numero longissime absunt, quibus isthæc sententia placet. Nec sufficientem adhibuit huic malo medelam Vir Doctissimus Jac. Ussërius in *Chronologia Sacra* P. II. cap. XII. p. 197. cum belli quidem & servitutum tempora, a pacis & quietis temporibus secernenda esse agnovit, sed annorum notatione, quieti terræ apposita, quietis illius initium, non autem vel ipsius quietis, vel præfecturæ Judicum durationem designari statuit, ut ita illud: *וַיָּשָׁקֵט* & *quiescit* idem sit, ac *quiescere cepit*, æque ut 1. Reg. VI, 1. *edificavit* est *edificare cepit*, & cum Rex aliquis tot vel tot annorum fuisse dicitur *בְּמַלְכוּתוֹ* idem est ac, *cum regnare inciperet*. Sic ergo verba historiæ de Othniële ita interpretatur: & *quiescere cepit terra anno quadragesimo*, sive, cum quadraginta elapsi essent anni, nempe, a sexto Josuæ, quo debellati in Cananæa hostes sunt, Jos. XI, 23. epocham autem sequentem quietis 80. annorum sub Ehude, figit in ipso illo anno quadragesimo, quo terra, secundum ipsum, quiescere cepit sub Othniële, & sic in ceteris. Ut autem belli & pacis tempora distincte numerare posset, pacis initia rotunda esse fingit, a quibus belli anni subtrahendi sint, hoc modo: (1) a quiete Josuana ad Cuschanis oppressionem numerantur anni 32. (2) inde ad liberationem & quietem sub Othniële ceptam ann. 8. (3) inde usque ad oppressionem Moabiticam ann. 62. (4) oppressionis Moabiticæ ann. 18. (5.) inde ad Jabini oppressionem ann. 20. (6) inde ad liberationem Deborah & Barac ann. 20. (7) inde ad Midianiticam oppressionem ann. 33. (8) inde Midianiticæ oppressionis ann. 7. (9) inde ad initium Abimelechi ann. 10. Hac itaque ratione annos ad Abimelechum conficit 210. post Abimelechum autem singulis Judicatum annis, quibus *συγγρόντες* facit servitutes Ammoniticam & Philistæam, inhæret, qui usque ad Simsonem dant 99. his cum porro annos 47. ab exitu ex Ægypto ad Josuanam illam quietem, & rursus 123. ab excessu Simsonis ad initium structuræ templi, accenseat, prodeunt ipsi 479. anni pleni cum aliquot forte mensibus, quos quærebat. Verum utcunque magnis Viris, & in his b. Calovio quoque, hic calculus se probaverit; iisdem tamen, quibus superior, urgetur incommodis, cum revera hoc pacto servitutum anni numero annorum quietis inclusi censeantur, ut ut specioso id pallietur commentum, adeoque & hic redeunt argumenta supra allata.

VIII. Jam



VIII.

Jam ut ad rem veniamus, certa prius jiciamus fundamenta, quibus chronologiam nostram superstruamus. I. Loci i. Reg. VI, 1. integritatem ac lectionem sollicitare, religioni sibi ducant, quotquot debita Scripturam *Θεόπνευστον* veneratione prosequuntur. II. Ponendi ita sunt calculi, ut ineunte servitute Ammonitica, 300. anni ab ingressu in terram Canaan, vel inhabitatione regionis Amoritarum, numerentur; vi verborum Jephthæ Jud. XI, 26. III. Id ut obtineatur, anni servitutum Israeliticarum & anni regiminis Judicum distincte enumerandi, prout illi in libro Judicum recensentur, nec illi alteris includendi sunt; ad quintam tamen tantum; hujus enim & sequentis sextæ diversam a prioribus rationem esse, ipse sacer textus probat, cum Simsonem judicasse Israclem viginti annis, *בְּיָמַי פְּלִשְׁתִּים* in diebus Philistæorum, sive ipso oppressionis Philistææ tempore, testatur Jud. XV, 20. IV. Non universale semper in omnes, sed parziale in quasdam saltem tribus imperium Judicum cum fuerit, commodè duo Judices coævi in diversis tribubus rerum potiri, ut & altera libertate gaudere, altera sub servitute gemere, eodem tempore potuisse supponuntur. Idque b. Schmi-
dius b. l. §. 33. p. 1592. non modo absurditate carere, sed & necessario requiri, exemplis Deborah & Barak, Simsonis & Eli, Samuelis & Regis Saulis, demonstrat. His ergo præmissis, ita instituimus, ut 1) Jephthæ calculum non ab occupata regione Amoritarum (quæ Mose adhuc vivente, aliquot ante obitum mensibus, per Num. XXI, 21-32. & Chronologiam supra datam cap. 7. §. 5. p. 127. subigebatur) sed a quieta ejusdem possessione & inhabitatione (quæ post *αληστειαν* demum, cum tribus trans-Jordanenses in ipsam hanc regionem Amoritarum, ceu sortem suam, cum benedictione dimitterentur, Jos. XXII, 1. evenit) adeoque ab anno Josuæ octavo incipiamus: 2) Jairum ac Tholam *συγχρότως* statuamus, illum in urbibus Gilead trans Jordanem Jud. X, 3. 4. hunc in montanis Ephraim cis Jordanem Jud. X, 1. tribus quemque suas judicantem, ita quidem, ut Thola Abimelecho succedens, auspiciis imperii tribus annis Jairum anteverteret, qui tamen regimen trans-Jordanense annis 2. ulterius, quam ille cis Jordanem, produxit. Nec obstant v. 3. verba: *וַיָּקָם אַחֲרָיו* & surrexit post illum: non enim post Tholæ mortem, cum non earundem tribuum, non ejusdem ditionis essent Judices, adeoque alter in alterius succedere locum non posset, sed aliquot annis post, quam Thola surrexerat cis Jord-
nem



De libro
Judicum.nem in montanis Ephraim, surrexisse perhibetur Jair trans Jordanem.
Sunt ergoab initio habitationis quietæ in regione Amoritarum,
ad mortem Josuæ, cum quibusdam mensibus anni
pleni - - - - - 9

inde ad mortem Seniorum ac Eleasar, anni - - - - - 10

a prima, eaque Mesopotamena servitute ad mortem Abi-
melechi, juxta integrum & distinctum libri Jud.
calculum - - - - - 256Thola cis Jordanem, usque dum trans Jordanem rerum
potiretur Jair, præfuit annis - - - - - 3Quarto Tholæ anno currente, trans Jordanem præfe-
cturam adeptus Jair, Tholæ *σύρχεως* per annos 19.
& superstes annis 3, præfuit in universum annis - - - - - 22

Summa annor. 300.

Hi 300. anni præcise calculum dant Jephthæ *Jud. XI, 26.* sic ut nulla textui vis inferatur; quibus exactis Israelitas affligere ceperunt filii Ammon per annos 18. *Jud. X, 8.* quos 18. trecentis illis non includendos esse, uti quidem Nicolaus Abramus censuit in *Pharo*, ubi Ammoniticæ servitutis initia in quartum annum Jairi incidisse putat, solide evincit b. Schmidius *b. l. §. 27. p. 1586.* cui adde, quod series textus ad oculum demonstrat, defectionem & idololatriam Israelitarum v. 6. 7. ceu causam ac principium servitutis Ammoniticæ, post fata demum Jairi accidisse, ut adeo servitus ipsa in tempora Jairi quadrare minime possit. Tholæ vero ac Jairi synchronismum, quem res ipsa suadet, statuere malumus, quam a Cuschani demum oppressione cum aliis initium facere annorum quietæ possessionis trans Jordanem. Quid enim fieret de annis, post dimissas tribus trans Jordanenses, superstitis Josuæ? quid de annis Seniorum post Josuam? Cuschani autem oppressionem vel Josua adhuc vivente, vel statim ab ejus morte occepisse, ideo statuere non possumus, quia in diebus Josuæ & Seniorum servierunt Israelitæ Domino per *Jos. XXIV, 31. Jud. II, 7. 10.* ubi *generatio nova* demum, post Seniorum, qui dies adhuc post Josuam prodixerant, obitum orta, iram DEI & poenam servitutis provocasse dicitur. Dandi ergo necessario aliquot anni sunt superstiti Josuæ, dandi Senioribus & generationi novæ, a vero DEI cultu recedenti, antequam ad Cuschani devenia-



deveniatur oppressionem. His ita in ordinem redactis, absque con-
troverfia habemus annos

ab inhabitata regione trans-Jordanensi ad initium Ammoniticæ
servitutis

His adde annos servitutis Ammoniticæ Jud. X, 8. — — —
Huic οὐ γὰρ οὐκ fuit servitus Philistæa Jud. X, 7. XIII, 1. (quæ
in duobus locis allegatis una, non gemina indicatur, probante b.
Schmidio b. l. §. 36. p. 1593. seq.) annorum 40. in quos rursus
incidunt anni Judicatum Simsonis 20. per Jud. XV, 20. & Eli
40. cujus quippe ætate Israelitas graviter afflixerunt Philistæi
1. Sam. IV. Iisdem Philistæa servitutis temporibus, post Ammo-
niticam tamen, quam amovit Jephtha Jud. XII, 33. congruunt
anni

Judicatus Jephthæ c. XII, 7.	—	—	—	6
Post hunc Judex Ebsan, c. XII, 9. 10. annis	—	—	—	7
Hinc Elon c. XII, 11. annis	—	—	—	10
Quem sequitur Abdon c. XII, 14. per annos	—	—	—	8
Samueli & Sauli Act. XIII, 21. tribuuntur anni	—	—	—	40
Davidi pariter 2. Sam. V, 4.	—	—	—	40
Salomoni ad exstrui cœptum templum 1. Reg. VI, 1.	—	—	—	3

Qui in summam redacti efficiunt 432

Quibus si 47. annos ab Exodo ad κληρονομίαν lapsos adjicias, habebis accu-
rate calculum 1. libri Regum, ut post 479. annos, cum quadringentesimus
octogesimus ageretur, jacta templi fundamenta dicantur. Isthæc ut bene cum Act.
se habent, ita minus commode Chronologiæ Pauli congruunt, qui Act. XIII, 20.
XIII, 20. solis Judicibus 450. annos ad Samuelem usque tribuit; quo
pacto, longe altius totius epochæ calculus ascendat, necesse est. Nodum
hunc cum solvere nesciret, secundum duxit Vir Clar. Campegius Vitringa,
qui in hypotypoſi Histor. & Chron. Sac. Per. IV. §. 54. p. 47. verba pla-
ne delet, sibi que persuaderi non patitur, vel Paulum hos numeros expressisse,
vel Lucam eos suo signasse calamo: textus enim Luca, vis item atque ele-
gantia orationis Paulinæ absque his numeris sibi plane constant: hinc potius
probabile habet, Librarium aliquem, hunc textum describentem orationem
Paulinam collectis numeris ex libro Judicum, hac lacinia voluisse exornare.
Sed audax nimis hæc Critica est, qua quæ conciliare nequeas, statim ex-
pungas, idque contra omnium Codicum fidem, quorum nullum, qui nu-
meros plane sileat, pro se allegare Vitringa potuit. Rectius alii cum

A a

Theo-



De libro
Judicum.

Theodori Bezae Codice MSto perantiquo ita legunt: ὡς ἔτεσι τε τριακο-
σίοις &c. demptisque hoc pacto centum annis facillimam ineundi ratio-
nes viam invenerunt. Cui quidem sententiæ b. Lutherus noster in *ver-*
sione Germanica, adjectisque *notis marginalibus* inhæret. Eaque longe
præstat Beroaldi opinioni, qua *lib. 3. Chron. c. 4.* Paulo imputare non ve-
retur, quod receptam Judæorum sententiam, utut erroneam, sequutus sit in
re, quæ non fidei est, sed numerationis. Si cui tamen satius videatur, illi-
batam textus servare lectionem, alios paulo constituat numerorum ter-
minos, a nativitate Isaaci ad terræ promissæ distributionem putando,
quam Bezae, Franc. Junii, aliorumque sententiam Ludovici de Dieu ver-
bis declarabimus, qui in *Animadvers. ad c. l. Act.* Omnino assentior, in-
quit, iis, qui hic annos, quibus rexerunt Judices, supputari nolunt, (sic enim
annos hosce 450. cum 480. qui ab exitu ex Ægypto ad templi Salomonici ini-
tium effluxisse dicuntur i. Reg. VI, 1. conciliare impossibile videtur) sed qui a
nato Isaaco usque ad Judices fluxere, quasi scriptum sit: καὶ μετὰ ταῦτα ὡς
ἔτεσι τε τριακοσίοις καὶ πεντήκοντα (πρᾶχθέντα, Junius habet γινόμενα) ἔδωκε
κρίτας, ut non quamdiu rexerint Judices, sed quando eos DEVS dederit,
indicitur: nempe post ea, quæ vers. 17. 18. 19, narrata fuerunt, quæ 450. circi-
ter annis gesta fuere. Convenit computus; nam a nato Isaaco ad natum Ja-
cobum sunt 60. anni, inde ad introitum in Ægyptum 130, inde ad exitum 210,
inde ad introitum in terram Canaan 40, inde ad distributionem terræ anni 7,
qui simul faciunt 447. annos, id est, circiter 450. desunt enim solummodo
tres. Recte autem ad nati Isaaci tempus refertur illud v. 17. elegit DEVS
Patres nostros. Tum enim DEVS, qui jam Abrahamum elegerat ex
omnibus terræ populis, ex omnibus Abrahami liberis elegit Isaacum, in cujus
familia fœdus consisteret, dicens: In Isaaco vocabitur semen tuum. Ita-
quoque Spanhemius *Chronol. Sacr. P. II. canone Epochæ IV. Opp. T. I. p.*
232. Nec exiguum huic interpretationi robur accedit ex diversa quo-
rundam Codicum, maxime vetustissimi illius in Anglia Alexandrini, le-
ctione, quæ ita habet: κατεκληροδότησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν, ὡς ἔτεσι τε
τριακοσίοις καὶ πεντήκοντα, καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκε κρίτας. Eandem lectio-
nem jam Robert. Stephanus in quibusdam animadvertit Codicibus, va-
riisque lectionibus Novo Test. a se Lutetiæ A. 1568. excuso subiectis in-
seruit: quia & Marchio Velelius, apud Brian. Waltonum de variis le-
ctionibus verba facientem, ad sedecim MSta Novi T. exemplaria provo-
cat, in quibus omnibus ita legitur: μετὰ ταῦτα ἔδωκε κρίτας. Contra-
vero ea Joh. Millius in *notis ad h. l. perturbatum de industria verborum or-*
dinem



non cenſet, ad evitandam calculi huius difficultatem: quæ tamen abſque tali tranſpoſitione, adhibita $\pi\rho\sigma\epsilon\gamma\gamma\eta$ ad voces $\tau\alpha\upsilon\lambda\alpha$, & $\pi\epsilon\tau\eta\kappa\nu\omicron\nu\lambda\alpha$, videtur plane tolli. Sensus enim fuerit: Poſt hæc, quæ ſpatio 450. plus minus annorum geſta ſunt &c. ſeu: poſt tempus hoc, quod intervallum erat 450. annorum præter propter, dedit Iudices &c. Id quod, facta cum Apoſtolo, a tempore quo Deus elegit patres v. 17. ſive a natalibus Iſaaci, in quo eos elegerat, ad $\alpha\delta\eta\rho\delta\omicron\sigma\iota\alpha\upsilon$ ſupputatione, veriſſimum erat. Nam ab Iſaaco nato (ſ. anno Abrahami 100.) ad Exodum numerantur anni 405. Ab Exodo (qui Calebi, $\omega\varsigma\epsilon\gamma\gamma\iota\varsigma\alpha$, 40. erat Joſ. XIV, 7.) ad $\alpha\delta\eta\rho\delta\omicron\sigma\iota\alpha\upsilon$ (annum ejusdem 85. v. 14.) 45. In univerſum, ſaltem $\omega\varsigma$, 450. Quæcunque ex his eligatur, vel lectio, vel ſupputatio, citra ullam textui illatam injuriam, ſua numero Apoſtolico integritas & cum V. T. harmonia conſtat. Superſt nunc, ut redactos in ordinem calculos Iudicumque annos, cum mundi ætate conferamus, cœptamque pertexamus Chronologiam, quæ ita habet:

A. O. C.	A. Exitus		cum annis O. C. & Ex di collata
2579	66	Initium <i>Mefopotamene</i> afflictionis ſub Cuſchan, per octennium Jud. II, 7. 10. III, 6. 7. 8.	
2587	74	Quies terræ redditur per <i>Othnielem</i> Jud. III, 9. 10. 11. quæ duravit annis 40.	
2627	114	Servitus <i>Eglonis</i> ſ. <i>Moabitica</i> incipit, durans annis 18. Jud. III, 12. 13. 14.	
2645	132	quies per <i>Ehudem</i> redditur, duratura 80. annis c. III, 30. Poſt <i>Ehudem</i> <i>Samgar</i> 600. Philiſtæos occidit ſtimulo bovis c. III, ult.	
2725	212	Incipit oppreſſio <i>Jabinis Cananaæ</i> , perdurans an. 20. c. IV, 3.	
2745	232	Liberatio per <i>Barakum</i> & <i>Deborah</i> , quietem dans annorum 40. c. V, 31.	
2785	272	Servitus <i>Midianitica</i> incipit, annorum 7. c. VI, 1.	
2792	279	Vindicatio per <i>Gideonem</i> , qui pacem dedit annor. 40. c. VIII, 28.	
2832	319	Judicatus, ſive potius tyrannis <i>Abimelechi</i> initium capit c. IX, 22.	
2835	322	Post mortem <i>Abimelechi</i> rerum potitur cis Jordanem <i>Thola</i> c. X, 2.	



188 INTRODVCTIO AD LIBROS BIBLICOS

De libro
Judicum.

A.O.C.	A.Exitus	
2838	325	Tertio, post Tholæ auspicia, anno <i>Jair</i> trans Jordanem imperium cepit, posthac Tholæ <i>θύγατρις</i> , annos imperii implens 22. c. X, 3.
2860	347	<i>Ammonitæ</i> Israelitas trans-Jordanenses affligere incipiunt, impletis nunc 300. illis annis calculi <i>Jephthæ</i> a quiete inhabitari cœpta regione Amoritarum c. XI, 26. Detrahendi enim his ab exitu 348. annis sunt 40. anni itineris in deserto & 7. in Canaan usque ad remissas domum trans-Jordanenses tribus, & remanent 300. anni, forte cum mensibus aliquot. Servitus autem <i>Ammonitica</i> durabat annos 18. c. X, 8.
2878	365	Liberatur ab <i>Ammonitarum</i> afflictione Israel per <i>Jephtham</i> , qui judicat annis 6. c. XII, 6.
2884	373	<i>Ephraim</i> <i>Jephthæ</i> defuncto succedit per septennium judicans populum c. XII, 9. seq.
2891	378	<i>Elon</i> præesse incipit, judicans annos 10. c. XII, 11.
2901	388	<i>Eloni</i> <i>Abdon</i> succedit, & præfuit octo an. c. XII, 12. 13. 14. In hos ab <i>Ammonitarum</i> afflictione ad <i>Samuelem</i> elapsos 49. annos, <i>Simsonis</i> per annos 20. æque ac <i>Eli</i> per annos 40. Judicatus; servitus item <i>Philistæa</i> Jud. X, 7. XIII, 1. adeoque & <i>finis libri Judicum</i> incidit.
2909	396	<i>Samuel</i> præficitur, in cujus Præfecturam auspicia regni <i>Saulis</i> incidunt. Et solus quidem <i>Samuel</i> 30. præfuisse annis videtur, cujus 20. annus post fata <i>Eli</i> i. Sam. VII, 2. notatus est: qui vero sub regimine <i>Saulis</i> non intermisit Judicatum <i>Israelis</i> , sed suas adhuc in judicando populo partes habuit per annos 8. usque ad finem vitæ i. Sam. VII, 16. Regiminis autem <i>Samuelis</i> & <i>Saulis</i> anni 40. fuere Act. XIII, 18.
2949	436	<i>David</i> thronum conscendit, regnumque tenuit an. 40.
2989	476	<i>Salomon</i> defuncto <i>David</i> in regno succedit.
2993	480	Quarto <i>Salomonis</i> anno jacta templi fundamenta. i. Reg. VI, 1. ubi <i>finis</i> incidit <i>Epochæ quartæ</i> . IX. Cum



IX.

Cum in præmissa hac tabula Chronologica nullam historiæ geminæ de idolo Michæ a Danitis erepto, & de bello Benjaminitico, quæ velut appendicis vice libro Judicum capitibus quinque postremis XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. attexitur, mentionem fecerimus, restat ut quo tempore utraque contigerit, quo locanda sint hæc capp. loco, paucis edisseramus. Et quidem otium hic nobis fecit b. Schmidius in *append. Chronolog. ad lib. Judic. cap. 8. p. 1599.* ubi variantes fere omnes interpretum sententias in medium protulit & sub censuram vocavit. Pontificiis sane imposuit Vulgata, initio capitis XVII. verba: *Eo tempore fuit vir &c.* textui inferens, quæ in fontibus desunt. Uade eodem, quo in hoc libro recensentur ordine, adeoque post Simsonis demum mortem, hæc evenisse contendunt, quam causam Serarius *Qu. 14. in b. l.* & Sanctius in *Ruth Proleg. III. p. 2.* perorat. Sed bene observarunt, qui secus statuunt, 1) quod post Simsonis tempora adhuc caruisse possessione propria tribum Dan, per 300. fere ab ingressu in terram Canaan annos, vero prorsus sit absumile, ut caruisse tamen tempore Daniticæ expeditionis c. XVIII, 1. dicitur: 2) quod isto tempore Menasseh Levita, Mosis (ut creditur) pronepos juvenis talis, qualis in historia Michæ describitur Jud. XVII, 7. seqq. XVIII, 30. esse non potuerit: 3) quod urbs Lais, quæ postea Dan vocata, longe ante Simsonis tempora Danitis occupata & inhabitata fuerit, quæ tamen in historia nondum expugnata traditur: 4) quod Sacerdos Pinehas, Aaronis nepos, tempore Benjaminitici belli adhuc in vivis, ætatem suam per aliquot fere secula ad Simsonis usque mortem produxisse haud facile credendus sit, cum adeo *περὶ πολλὰς* ea mundi tempestas homines amplius non ferret. Sed vero hæc ipsa Pinehasi Sacerdotis c. XX, 28. facta mentio, certum nobis characterem temporis, quo hæc gesta sunt, subministrat, ut in eam ætatem, quæ inter Eleasar's mortem & Judicatum Othnielis interjacet, adeoque in tempus *ἀναρχίας* post mortem Seniorum, eum secure agerent Israelitæ c. III, 5. seq. utramque hanc historiam conjiciamus. (α) Ista enim ætate Pontificatuungebatur Pinehas Sacerdos: (β) nec Rex erat in Israel, faciente quolibet, quod rectum videbatur in oculis ejus c. XVII, 6. XVIII, 1. XIX, 1. XXI, 25. (γ) unde bellum Benjaminiticum, nullo præsentente Duce aut principe, Seniorum populi auspiciis gestum c. XX, 2. XXI, 16. Hinc adeo (δ) cum servitus Mesopotamena Israelitico populo propter gravissima ejus peccata, maxime ob idololatriam c. II, 11. seq. III, 5. seq. accideret, quis

Aa 3

dubi-

De libro Judicum.
Capp. 5. ultima ad quæ tempora spectent?



De libro Judicum,

dubitet, idolum Michæ, a Danitis publice cultum, nec non intestinum illud bellum, in his calamitatum causis fuisse? Maxime cum Os. X, 9. impietas Gibeæ haud obscure primum populi DEI, terram promissam sceleribus suis contaminantis, scandalum dicatur. Accedit, quod bella ejusmodi civilia vicinis gentibus, subjugandi Israel, ansam dedisse, vero perquam simile sit. Proprium itaque horum V. Capitum ordinem, ac locum Joh. Lightfootus in *Chronic. tempor. V. T. T. I. Opp. p. 45.* haud inconcinne post vers. 10. capituli II. assignat: rationes vero, quas allegat, cur Spiritus S. has historias, quæ tam mature contigerunt, sede tam serâ locarit? vereor ut sint genuinæ, nimirum 1.) ut lector, observans regimen illorum Politicum cessavisse in morte Samsonis, qui Danita fuit, simul etiam justitiâ DEI in eo contempletur, quod illorum religio primum cessavisset inter Danitas. 2.) Ut observans millenos centenos siclos argenti, qui ab unoquoque Satrapa Philistæo dati fuere pro interitu Samsonis Cap. XVI, 5. simul observet quoque millenos centenos siclos argenti, quos Michæ mater dederat pro consecutione idoli, quod religionem in tribu Samsonis pessumdedit. 3.) Ut historia Michæ ex montanis Ephraimi, primi corruptoris religionis, & historia Samuelis ex montanis Ephraimi, primi reformatoris religionis, paulo collocarentur invicem propiores.

X.

Partitio.

Partes libri, (cujus capita numerantur XXI. versus 618. in quibus medius est c. X, 8.) aliis duæ, tres aliis constituuntur. Quibus dixerimus placet, vel ab argumento partes denominant, adeoque primam de statu populi sub judicibus, alteram de statu Reipublicæ & ecclesiæ sub ἀναρχίᾳ, cum b. Calovio agere perhibent; vel cum b. Schmidio proleg. h. I. quæst. 9. temporis rationem habent, P. I. dicentes rerum temporis certi, p. in genere, a morte Josuæ usque ad primum Judicem Othniel, c. I-III, 9. p. in specie, sub ipsis Judicibus, ab initio Othnielis ad mortem Samsonis c. III, 10-XVI P. II. rerum temporis incerti, p. de idolo Michæ c. XVII-XVIII. p. de bello Benjaminitico c. XIX-fini. Qui vero tres faciunt vel absque ratione alia, aliquam saltem partium æqualitatem respiciunt, ut ap. b. Waltherum Offic. §. 794. P. I. est a Josua ad Deborah c. I-VI. P. II. a Debora ad Simionem c. VI-XI. P. III. a Simione ad libri finem: vel cum Heideggero Enchir. & Burmanno ad b. l. P. I. dicunt completi historiam Seniorum post mortem Josuæ c. I-III, 9. P. II. historiam sex oppressorum, totidemque salvationum c. III, 9.-XVI. P. III. duo specimina corruptionis Israeliticæ, quæ Burmannus appendicem libri recte appel-



appellavit. Nos tres agnoscimus partes, annales istos Judicum dilpe-
scentes in libri *I. Exordium*, quod præcognita historiae Judicum tradit
c. I - III, 9. *II. historiam* ipsam Judicum, quæ vitas & gesta ipsorum expo-
nit c. III, 9 - XVI. *III. appendicem* sive mantissam, quæ gravissimorum
populi scelerum duo sistit specimina c. XVII - fin.

XI.

Constat itaque Judicum liber

I. Exordio, sive præcognitis; ubi vides

- 1.) tribus Judæ principatum & prospere gesta c. I.
- 2.) publicam populi & reprehensionem & poenitentiam c. II.
- 3.) gentes in terra superstitas, & populi apostasiam c. III, 1 - 9.

II. Historica Judicum recensione; qui sunt

- 1.) Othniel c. III, 9 - 12.
- 2.) Ehud c. III, 12 - 30.
- 3.) Samgar c. III, 31.
- 4.) Debora & Barak: quorum
 - α. res gestæ s. liberatio c. IV.
 - β. epinicion s. concelebratio c. V.
- 5.) Gideon, cujus
 - α. miraculosa vocatio c. VI.
 - β. præstita liberatio c. VII.
 - γ. victoriæ continuatio, datumque per idololatriam scan-
dalum c. VIII.
- 6.) Abimelech, tyrannus potius quam Judex c. IX.
- 7.) Thola cis Jordanem c. X, 1. 2.
- 8.) Jair trans Jordanem c. X, 3. 4. 5.
- 9.) Jephta, cujus
 - α. eligendi occasio c. X, 6 - fin.
 - β. ortus & descriptio c. XI, 1. 2. 3.
 - γ. vocatio v. 4 - 11.
 - δ. expeditio & liberatio v. 12 - 33.
 - ε. votum, ejusque persolutio v. 34 - fin.
 - ζ. in Ephraimitas tyrannis & persecutio c. XII, 1 - 7.
- 10.) Ebsan c. XII, 8. 9. 10.
- 11.) Elon c. XII, 11. 12.
- 12.) Abdon c. XII, 13 - fin.

13.) Sim

De libro
Judicum.

Tabula Syn-
optica.



De libro
Judicum,

13.) Simson, cujus

- α. nativitas c. XIII.
- β. leo dilcerptus & nuptiæ ænigmate insignes c. XIV.
- γ. vulpeculæ, & maxilla asini fontem præbens c. XV.
- δ. vincula & mors c. XVI.

III. Appendice, quæ geminam tradit historiam :

1.) de idolo Michæ, ejusque cultu idololatrico

- α. privato in domo Michæ c. XVII.
- β. publico in tribu Dan c. XVIII.

2.) de bello Benjaminitico, cujus

- α. occasio, stuprum Gibeoniticum c. XIX.
- β. prælium, & vindicta a Benjaminitis sumta c. XX.
- γ. consequens, raptus virginum c. XXI.

XII.

Commen-
tarii Pa-
trum;

Commentatores in hunc librum iidem fere, quos ad Josuam laudavimus, nominandi hic nobis sunt: e Patribus quippe *Græcis* THEODORETUS *T. I. P. I. opp.* in quæstionibus in Octateuchum; PROCOPIUS GAZÆVS, de quo *ad Exodum p. 97.* diximus: & ORIGENES, cujus novem in Judices homiliæ ex Ruffini interpretatione extant *T. I. Opp. fol. 177. ex Latinis* AUGUSTINVS, cujus *quæstiones super Judices T. IV. Opp. p. 299.* leguntur; ISIDORVS HISPALENSIS, cujus observationes in h. l. *Opp. p. 233.* octo capp. traduntur; BEDA, qui *quæstiones super h. l. e Patrum dictis collectas T. VIII. Opp. p. 347.* octo pariter capp. expedivit. S. PATERII *expositio super h. l. ex Gregorii M. scriptis concinnata, & T. III. Opp. Gregorii p. 624. seq.* obvia, Gideonis duntaxat ac Simsonis historiam octo capp. illustrat. In RUPERII Tuitiensis *Opp. lib. I. Tom. III. Judicum quoque explicationem deprehendes, Colon. 1533. 1566. & Moguntinæ edit. T. I. p. 381.*

Rabbino-
rum;

Judæos confer supra allegatos ad Josuam, & in totum V. T. quorum plurimos, R. Dav. Kimchi, Aben Ezram, Salom. Jarchium, Mosën Gerundensem, Abrah. Perizolidem, R. Simeonem, aliosque, in hunc æque ac alios Scripturæ S. libros, *Conradus Pellicanus* Latinitate donasse. Hottingero asseritur *Schole Tigurin. Append. I. p. 163. & ex illo Imbonato in Biblioth. Latino-Hebr. p. 29.*

Luthera-
num;

Nec nostræ defuerunt ecclesiæ Doctores, quin illustrando Judicum libro operam navarent, JOH. BRENTIVS *T. II. Opp. p. 88-*



p. 88-199. DAV. CHYTRÆVS Witteb. in fol. 1590. MAVR. I. TIVS HELINGIVS Noribergæ in 8. A. 1593. ABEL NEZENIVS *Operationum Biblicarum b. Lutheri P. II.* quæ in Josuam, Judices, Ruth, libros Samuelis, Regum & Paralipomena exercitationes continet, Jenæ in 4. A. 1611. Cum primis vero SEBAST. SCHMIDIVS copioso & erudito commentario, Argentorati in 4. A. 1684. edito, præclare de hoc libro meritus est. Concionibus vernaculis eum enarrarunt FRIDER. BALDVINVS Wittebergæ in 4. A. 1617. JACOB. FABRICIVS Norimbergæ in 4. A. 1636. JOH. HABERMANNVS Wittebergæ in 4. A. 1617. & JOH. MICHELBACH LXXXVIII. homiliis, Lipsiæ in 4. A. 1612. VALER. HERBERGERVS *Magnal. Dei P. XI.*

E Pontificiis hic denuo nominandi sunt ANTONINVS Archiepiscopus Florentinus, cujus in *opere Chronicorum* Lugduni fol. 1586. rum: 1597. de gestis Judicum agitur: BENED. ARIAS Montanus, cujus liber *de varia Republica* Antwerpia in 4. A. 1592. luculentum in Judices commentarium complectitur: JAC. BONFRERIVS S. I. qui Josuæ Judices & libellum Ruth commentario junxit, Parisiis in fol. 1631: THOMAS DE VIO CAJETANVS, cujus in eisdem libros Comment. Romæ prodit in fol. A. 1533: HADRIAN. CROMMIVS S. I. cujus theses Theologicæ in Judic. Josuæ junctæ Lovanii prodierunt A. 1631: JOH. FERVS, cujus in Josuam & Judic. annotationes Colonia in 8. A. 1571. editæ sunt: JOH. FREIRE, Lusitanus S. I. cujus commentarii in VII. priora capp. libri Olyssiponi in 4. A. 1641. & Madriti 1642. excusi sunt: COSMAS MAGALIANVS, Lusitanus S. I. cujus in Judicum octo priora capp. annotationes morales extant in fol. Lugduni 1626: THOMAS MALVENDA, in ejus Opp. Lugduni in fol. 1630. impressis, Judices quoque explicantur: EVANGELISTA MARCELLINVS, Italus Minorita, cujus in libr. Judic. expositio Venetiis lucem adspexit A. 1589: EMAN. de NAXERA, qui prolixissime III. tomis in fol. Lugduni 1656. 1664. literaliter & cum primis moraliter h. l. explicavit: ALOYSIVS NOVARIIVS in Judices Lugduni fol. 1646: FABRITIUS PAVLVTIVS Romæ fol. 1625: NICOL. SERARIIVS S. I. in Judices & Ruth Moguntia 1609. & Parisiis in fol. 1611: ALPHONSVS TOSTATVS Abulensis Venetiis A. 1596: HVGO de S. VICTORE sive VICTORINVS, de quo supra diximus p. 6: CHRIST.

Bb

de

IX 243



De libro
Judicum.

de la VEGA, cujus commentariorum in h. l. literalium & moralium, III. volumina Lugduni in fol. prodierunt A. 1661. 1671. CASP. de VILLAROEL, cujus commentarii literales, moralibus aphorismis illustrati, luci publicæ expositi sunt in fol. 1636.

Reformato-
rum.

E Reformatis huc spectant MARTINVS BORRHAVS, alias CELLARIVS, (cujus vitam nervose delineatam vide in Hoornbeekii *summa Controvers. Lib. V. de Anabapt.* edit. Traject. 1653. p. 355.) Basileæ in fol. 1577: MARTINVS BVCERVS, cujus in h. l. Commentarium Robert. Stephanus excudit Parisiis A. 1554. 1563. in fol.: FRANC. BYRMANNVS Trajecti ad Rhen. in 4. A. 1675. LVDVIC. LAVATERVS, qui CVII. homiliis eundem illustravit, Tiguri in fol. A. 1585. PETRVS MARTYR Heidelbergæ in fol. 1609. & Tiguri 1582. JOH. MEYER Anglus, commentario in Judices clarus: VICTORIN. STRIGELIVS cujus in h. l. argumenta & scholia in 8. Lipsiæ prodierunt A. 1586. JOH. WOLPHIVS, qui historiam Judicum 191. sermonibus explicavit, Tiguri A. 1598. in fol. CHRISTIAN. SCHOTANVS, qui in *Bibliotheca historia S. V. T. Tomo II.* de temporibus Judicum usque ad Samuelem p. 418-533. perspicue & copiose agit: JOH. COCCEJVS, qui canticum Deborah, seu typum Reformationis & liberationis ecclesiæ, ex Jud. V. T. I. Opp. p. 349. seq. contemplatur, Tomo I. Opp. *ἀνυπόστατον* autem p. 49. notas breves Philologicas & grammaticas adspersit: ARTHVR. JACKSON, cujus in h. l. commentarius Josuæ junctus prodiit Londini in 4. A. 1646: CONR. PELLICANVS, cujus in libros historicos Comment. Tiguri excusus est, in fol. 1582. FRANC. RIDDERI conciliatio *ἐναρτίω φωνουμένων* a Josua ad Proverbia usque Salomonis, hunc quoque suo loco librum exhibet, Roterodami in 4. A. 1676: RICHARDVS ROGER, qui sermone Anglico commentarium struxit, *Comment. on the Booke of Judges, comprized in CIII sermons.* Londini A. 1615. Quibus forte HVGO ROBINSONVS addi queat, qui *Annalium Mundi lib. VI. VII. VIII. & IX.* opere posthumo Londini in fol. jussu Caroli II. Regis edito, vitas & gesta Judicum historice recenset, & cum συγγένεις gentium aliarum rebus confert.

Remon-
strantium.

De JOH. CLERICI laboribus in hunc librum judicium fieri ex iis potest, quæ supra ad Josuam diximus.



CAP. XI.
De libro Ruth.

Libri sedes in Bibliis Judaicis vel Parte III. in Hagiographis, vel in appendice Pentateuchi inter V. Megilloth, unde minus commode a Judæis libro Judicum comprehendi assertitur: in Christianis vero post librum Judicum est § 1. Titulus a Rutha mutuatus, de qua Rabbiorum fabula. Idem liber an i. Paral. IV, 22. per verba antiqua designetur? § 2. Scriptor aliis Samuel, aliis Ezechias, variis aliis, aliis Esra, aliis Eli. Descriptionis tempus. Dialectus an Moabismum sapiat? § 3. Argumentum. Scopus. Utilitas. § 4. Autoritas divina asserta; a Protestantibus in dubium vocari gratis dicitur § 5. Chronologia, s. quo tempore historia Ruthæ contigit? Num in genealogia Davidis tres Boasi? Num librorum omisio & mendum? § 6. Partitio. Tabula synoptica § 7. Commentarii Patrum: Rabbiorum, tum in quinque Megilloth, tum in Ruth seorsim: Lutheranorum: Pontificiorum: Reformationum: Remonstrantium § 8.

§. I.

NON eundem hic libellus in Judaicis æque ac Christianis Codicibus tenet locum. *Judæi enim vel suæ librorum Biblico- rum distributionis memores, τοῖς כתובים sive hagiographis Judaic. sedes libri in Bibliis Judaic.* eum suo loco inferunt, ut post Jobum, in quinque libellis Fæstualibus secundus ponatur, prout in Bombergiana Bibliorum Hebraicorum editione, Venetiis A. 1518. curata, in Buxtorffiana quoque Basileensi magna A. 1619. nec non in Bibliis non punctatis Francofurtensibus Wulfi A. 1694. aliisque videre est: *vel ad usum Synagogæ attendentes, hunc cum sociis quatuor libellis Pentateucho, appendicis ad instar, subnectunt.* Hinc in Bombergiana editione secunda in 4. A. 1521. Venetiis procusa, aliisque eam insecutis compluribus, Sectioni I. Bibliorum Legali subjuncti, Prophetis omnibus, ceterisque ἀγιογραφοῖς præmittuntur, eo tamen ordine, quem Elias Levita præfat. *tertia libri Masoreth hammaforeth p. 19. prodit:* *ה' מגלות נוחגים לכתוב סדרן לפי הסדר*
שקוראין
B b 2



שקוראין אותן בבית הכנסת בזמן שיר רות קינות קהלת
: אסתר *Quinque Megilloth* s. libellos eo ordine (Judæi Germani) scribunt,
quo eos suis temporibus in synagogis legunt, nempe *Canticum*, *Ruth*, *Threnos*,
Ecclesiasten, *Esther*. Quemadmodum enim singulis sabbathis certas &
definitas legis Paraschas in synagoga publice legunt: ita diebus festis
hos libellos lectioni legis adjungunt: festo Paschatos quidem *Canti-*
cum, ob aliqualem cum festi lætitia congruentem Cantici materiam; *Ru-*
thæ historiam festo Schebuoth s. *hebdomadum*, quod Pentecosten dicimus,
quia tum primitias frugum obtulerunt, & in illo libro de fructibus terræ
eorumque messe agitur; *Threnos* solenni illo jejunii die 9. mensis *אב*
Julii, in memoriam desolatæ Urbis & templi instituto; *Cobeleth* festo
Tabernaculorum, quia sicut hoc festum signum est, quod patres læti &
contenti fuerint habitare in tabernaculis, ita hic liber docet, quod omnia
vana sint, adeoque unusquisque lætari & contentus esse debeat iis, quæ
Deus ipsi largitur; libellum *Esther* demum festo Purim d. 14. & 15. Febr.
ad recolendam memoriam mirandæ Dei liberationis, quam Deus Judæis
tempore Ahasveri, Hamane contra Judæos sæviente, præstitit. Conf.
Leusden. *Philol. Hebr. Dissert. II. qv. I. p. 12.* Carpzov. *in Ruth. Disp. I.*
p. 11. Fabric. *Partit. Codic. Hebræi c. XI.* in Thesaur. Creniano p. 284. seq.
Jam ergo, quando Bonfrerius *in Prolog. Script. S. cap. III. sect. 6.* & ex il-
lo Celada *Prolegom. in b. I. S. 2. qv. 1. p. 9.* Hebræos librum Judicum cum
libro Ruth unum eundemque fere facere affirmat; autoritate forte Hie-
ronymi inducti, qui *in Prologo galeato: subtexunt*, inquit, (Ebræi) *Judi-*
cum librum, & in eundem compingunt Ruth: & Origenis ap. Eusebium
I. VI Hist. Eccl. c. 25. qui his gemella tradit: eo saltem respectu & modo
id admittendum esse existimo, quo Judæorum aliquos librorum Biblio-
corum numerum ad XXII. redigentes, Rutham libro Judicum & Threnos
prophetiæ Jeremiæ annumerare supra observavimus *cap. II. §. 3. p. 25.*
Christianis. Ceterum *Christianis* convenientior libro locus assignari videtur in histo-
ricorum ordine, inter Judicum & Samuelis historias medius; non qui-
dem, quod *portio quedam & velut appendicula libri Judicum* sit Ruth, ut
Celada *c. I.* existimat; libro enim Judicum sua, absque hac historia, inte-
gritas constat, neque vel ad publicam Judicum vel populi Israhelitici hi-
storiam Ruthæ libellus quicquam facit, ea saltem, quæ privatim in Boazi
ædibus & familia gesta sunt, exponens: sed temporis respectu, quia &
Judicum ætate hæc historia contigit c. I, 1. & Davidis, ceterorumque post
eum

eum, Regum genealogiam præstruit, recensitioni regni Davidici haud dubie præmittendam.

II.

Hebræis vero pariter ac Græcis & Latinis a præcipuo historiæ ob- Titulus
jecto ספר רות *Peth Ruth* inscribitur, ἐπειδὴ καὶ τὴν περὶ τῆς Ρῶθ ἱστορίαν μόνην περιέχει, propterea quod solam de Ruth historiā complectitur, ut Athanasius in *synopsi* p. 75. nominis rationem reddit. Quāquam enim alia, insuper, velut Elimelechi peregrinatio, Naëmi viduitas, & Boasi cum primis res familiaris simul hic tradantur: palmaria tamen de Rutha narratio instituitur, eo tota collimans, ut alienigenæ hujus in ecclesiam adoptatio, & Davidis ex illa progenies cognoscatur. Quod commodè animadvertens Rupertus Abbas in *libb. de Trinit. ad Jud. XVIII.* Valde, inquit, fidelem animum delectat, quod nomine Ruth potius, quam Booz aut Naëmi in titulo prænotatur (hic liber:) non enim parum splendoris habuit, quod series generationis Christi, in moribus virorum Israelitarum & Judaica tribus pene deserta, per fidem alienigenæ resarcita est, sicut ipse Historiæ enarrationis ordo continet. Hanc ipsam vero Ruth dum fratriæ suæ Horpæ sororem, utramque porro Regis Moabitarum Eglonis, quem a Ruth for-
Ehud Israeliticus Judex gladio confecisse Jud. III. memoratur, filiam, & mina nobili,
Balaki (Num. XXII.) proneptem fabulantur Hebræorum magistri, in quibus refutandis Sanctius *Prolegom. I. in b. l. p. 1.* laborat; eum saltem in finem Rabbinos hæc talia populo pro concione proponere observat b. Carpzov. *Disp. V. in Ruth I, 3. sqq. p. 96.* ut honorem ac laudem regno domus David concilient, alioquin labascentem, si non alienigenam modo, sed & sceminam sortis infimæ ataviam Davidis audiant. Quicquid ergo, addit, in honorem Ruthæ Boaso postea nuptæ quocunque modo cedere potest, eo suaviter confecto non minus delectantur, atque fabulis in dedecus & contumeliam Horpæ excogitatis, utpote religionis Israeliticæ contemptricis. Eo quoque spectat, quod Boasum unum faciunt eundemque cum Ebzane Judice Israelitarum Jud. XII, 8. seq. ut ex paraphrasi Chaldaica & Kimchio in *Cap. I. Ruth* patet, quod quam ægre cohæreat temporum ratione cum reliquis eorundem fabulis, quando v. g. Elimelechum in *Seder Olam c. 12.* fratrem faciunt Salmonis, qui Rahab duxit &c. liquido demonstravit Schotanus in *B. biblioth. S. Vet. Test. T. II. p. 508.* Conf. præterea e nostris b. Waltherum *Offic. § 802* & e Reformatis Hottinger. *Thesaur. Philol. lib. II. c. I. Sect. 3. p. 485. b.* Nec minus incerta nominis ספר רות origo, varie quidem a variis, pro cuiusque fingendi felicitate, excogitata, Carp-



De libro
Ruth.

zovio *l. c.* traditur *p. 98.* quibus indagandis, ab instituto nimirum alienis, nos nunc non immorabimur. Idem vero Ruthæ libellus, num. 1. Chron. IV, 22. **ספר רות** *verba antiqua* inscribatur, quod quidem contendit & operose, quanquam perobscure & ambigue demonstrare satagit auctor *questionum seu traditionum Hebraicarum in Paralipom. lib. I.* quæ in Hieronymi *Opp. T. IV. p. 115. b.* comparent, fusius inquirat Sixtus Sen. *Biblioth. S. lib. II. tit. verba vetera p. 155.*

III.

Scriptor:

Propius huc spectant, quæ de scriptore libri ambigue disceptant, eruditi: quem plerique *Samuelem* dicunt, approbante hanc sententiam doctorum Pontificiorum ingenti turba, quorum nomina *Celada Proleg. in b. l. qv. 3. p. 9.* & *Serarius Proleg. in b. l. qv. 4.* longo ordine in aciem producant: alii *Ezechiam* putant, qui recuperata sanitate hunc cum aliis libellum ex antiquis monumentis vel ipse congesserit, vel excerptum curarit, digestumque synedrio obtulerit approbandum, cui opinioni Petrus Comestor favet in *Hist. Scholast.* alii excerptum esse putant ex magno illo annalium Regum Juda & Israelis centone, cujus aliquoties in libris Regum quidem fiat mentio, amissi tamen hodieque desiderati, citra quidem necessaria ad salutem doctrinæ, aut integritatis Canonis jacturam; a qua forte sententia non multum abest Spanhemius, quando in *Hist. Eccl. V. T. Opp. T. I. p. 337.* librum **ספר שמואל** hoc annalium Israelis volumen fuisse existimat, in quod civilem in usum, quæ publicis auspiciis gesta sunt, relata autumat, quorum summa, quantum ad ecclesiæ notitiam requirebatur, descripta sit in libris sacris, seu canone Hebræorum: alii *Esræ* tribuunt, auctoritate Patrum nixi, quos tamen non de prima librorum sacrorum compositione, sed amissorum restauratione *Esdra* accepta ferenda, intelligendos monet b. Carpzovius *b. l.* tandem & nonnulli Sacerdoti *Eli* Rutham assignant, cujus hanc historiam tempora attigisse a Josepho *lib. V. Antiqq. c. XI.* persuaderi sibi, sed præter rem, patiuntur. Vide latius hæc persequentes Vincent. Placcium *Theatr. anonymor. & Pseudonym. cap. I. p. 2. b.* Carpzov. *in b. l. Diss. I. §. 6. p. 4.* Ludov. Lavaterum *homil. I. in b. l. p. 1. b.* Nimirum redeunt hic omnia, quæ *cap. præc. §. 3. & 4.* de autore libri Judicum, qui idem cum hujus libelli Parente haud absurde vulgo statuitur, prolixè commentati sumus, nec est, quod nunc superaddamus, nisi quod ad tempus conscriptionis pertinet, verò videri simile, sub Saulis imperio, adeoque post Judicum æratem consignatum fuisse, quod ætas illa, velut præterlapsa c. I, 1. in æmoriæ revocatur, & Genealogia sub

Scriptoris
tempus:



sub finem capituli IV. ad Davidem usque, fratribus suis jam tum antecel-
lentem, adeoque haud dubie a Samuele jam in Regem unctum i. Sam.
XVI. pertexitur. Forte itaque ad veritatem proxime accedunt, qui Samue-
lem agnoscunt scriptorem, quanquam id certissimum esse, neque negari
posse, nemo temere cum Sanctio asseverare auit. Celeberr. Clericum
hic sibi non constare apparet, quando in *dissertatione de Scriptoribus li-
bror. Historicorum* Commentario ejus præmissa §. 4. librum literis tum-
demum mandatum fuisse credit, postquam ad dignitatem regiam evehctus
esset David, ejusque familiae nova hac dignitate non exiguus splendor
accessisset: sub finem vero *Commentarii in Ruth* p. 174. *Davidis tempore,*
forte paulo ante regnum ejus conscriptum existimat: alioqui dicturus vide-
tur scriptor sacer (c. IV, 22. non simpliciter *רַחֵם* sed *רַחֵם הַמֶּלֶךְ* Rex Da-
vid. Nec firma satis est ipsius in *Dissert. c. l.* conjectura, qua quempiam in
honorem Davidicæ familie posteritati consecrassse hanc pro avia Davidis histo-
riam existimat: quæ & Judæorum quorundam sententia, quam Aben Je-
chia initio *Commentarii in Cantic. Cant.* ita exponit: *Cum Samuel insti-*
tuisset Regem Davidem Dei imperio, dedit operam, ut inveniret, quæ de fa-
milia ipsius dictu audituque jucunda essent, & ideo scripsit hunc libellum:
Idque non fecit de Saule, quod sciret divinitus edoctus, non Saulis, sed Davidis
posteror regnatorum: longe enim alium libri scopum paulo post indicabimus.
Quisquis vero scriptor tandem sit, sermone certe utitur puro, simplici & Dialectus
humili, historicis familiari & rebus enarrandis attemperato, nec diverso
ab illo, quo præcedentes historici libri exar. ti leguntur: ut frustra omni-
no sit Sanctius *Proleg. IV. in b. l. p. 3.* dum varias Hebræorum dialectos
pro regionum varietate sibi fingens, non dubium, inquit, quin Moabitis
non eadem, quæ Israelitis, fuerit Hebræica lingua dialectus: quæ decem an-
norum consuetudine suæ gentis linguam aliquo modo corripit Naëmi: atque
ideo, cum cetera Hebræice propria, & servata re Grammatica dicantur a Sa-
muele, seu ab eo, quicumque est, qui historiam conscripsit, cum Naëmi lo-
quens inducitur, a communi aberrare lege atque loquendi consuetudine (ob-
servatur,) *Cap. I, 8. 9. ter ponitur Mem pro Nun & iterum v. 12. 13.* Hoc ob-
servatum volui, quia nonnulli sunt, qui in hoc a scriptore peccatum esse pu-
tent, cum ille verba fideliter repetat, quæ dixit Naëmi, cui aliquid peregri-
num adhaesit ex Moabitica dialecto, atque ideo, si hæc observes, pura sunt re-
liqua, neque ab Hebræica proprietate ullo modo degenerant. Verum si ex
unius literæ cum altera permutatione, aut in locum alterius substitutio-
ne novam statim linguæ dialectum, ex nullis ceteroquin vel indiciis ve-

monu-



monumentis demonstrabilem, cudere licet, quot quæso linguæ sanctæ dialecti inde enascuntur? num illa Generis Enallage, citatis locis ut creberrime alias quoque in Scripturis obvia, & b. Glassio *Philol. S. Lib. III. Tract. 3. can. 55. p. 665. (400. seq.)* & lib. IV. *Tract. II. Observ. 20. p. 914. (737.)* accurate observata, novam statim sermonis Hebræi Dialectum gignit? Neque vero ob hanc Figuram Grammaticam, ni Moabismi admittantur, scriptori impingendum vitium erit; multo minus corruptelæ arguendus sacer textus, quam tamen ei labem adspargere non veretur Celada, dum *Proleg. S. II. qu. 7. p. 10.* a Sanctii Moabitica dialecto discedens, gregali suo ipse longe irreligiosior, hæc & longe graviora menda in Bibliis Hebraice scriptis, prolixiorum temporum injuria irrepsisse suspiciens dolet: quem utrumque pro merito castigavit b. Carpzovius in *Ruth Disp. I. S. 10. seq. p. 7. & Disp. VI. ad Cap. I. 7. seq. p. 122.*

IV.

Argumen-
tum.

Scopus.

Utilitas.

Argumentum libri in historica Ruthæ, qua adversam primo, dein & prosperam, qua usa est, fortunam descriptione versatur; quo pacto ex gentili & incestuoso Lothi per Moabitas prognata sanguine, occasione locus, marito orbatæ, in patriam revertentis, cui & ipsa vidua indivulsa adhæsit comes, in ecclesiæ delata sit gremium, & Bethlehemi admirabili prorsus votorum successu, Boaso matrimonio juncta, filium Obedum enixa sit, cujus a Perezio ad Davidem Genealogia per decem generationes sub finem recensetur. Huc enim scopus libri palmarius tendit, ut genealogia Davidis Regis, unde juxta promissiones Propheticas oriundus erat Messias Salvator, inde a Perezio per lineam Ruthæ Moabitidis, Boaso nuptæ, deducta ob oculos ponatur, ac nota sic fieret carnis Christi ex Hebræo & gentili sanguine propagatio, ad spem gentilium confirmandam. Conf. omnino Theodoret. *quest. I. in Ruth. & Ambrosium lib. III. de fide cap. 10.* Multo enim rectius in Ruthæ historia vocationem gentium ad ecclesiam & Christi desponsationem, typice adumbrari Biermannus docet in *Moses in Christ. Lib. I. cap. 10. p. 225. seq.* quam Pontificii Doctores ad Mariam Deiparam repræsentandam, Rutham detorquent, quos inter præ ceteris Didac. de Celada non modo in *dedicatione Commentarii in b. l.* utramque invicem confert, & aviam nepti, tanquam antitypum typo, umbram veritati, respondere asserit, sed & data opera *tractatu appendice de Ruth figurata S. 299. p. 543.* Mariæ Virginis laudes in Ruth adumbratæ deprædicat. Utilitas porro hujus libri quam latissime patet: 1) enim Christum ut ex Judæis & gentibus genus ducere, ita

& ad

& ad utrosque pertinere docet: 2) lex de Jure Vindicis Lev. XXV, 25. Ruth. seq. exposita, ut & ritus in emtionibus & venditionibus solennis, quo exuendo calceum alterique tradendo, traditi dominii ratique contractus signum ac veluti testimonium edebant, haud illustriori per universam Scripturam exemplo, quam hujus libri c. III. & IV. declaratur: 3) nuptias Deo auspice inter desponsatos celebrari, nec fato aut humanis consiliis, sed divina providentia connubia jungi & divelli: 4) Deum lætam casibus tristissimis catastrophem imponere, dum honestati studeamus, nullique labori sancto aut honesto parcamus: 5) Deo gentes etiam in V. T. curæ fuisse, eaque ut ad ecclesiam perducantur, variis speciminibus, in Naamane Syro, vidua Sareptana, Rahaba, & nostra Rutha editis, in apicem posuisse: 6) parata esse virtutibus præmia, etiam in hac vita, ne quis perinde existimet, sive bene agamus sive male, demonstrat: 7) habent hic conjuges, socrus, nurus, viduæ, patres familias; servi & mercenarii illustria, quæ imitentur, & a quibus officia sua discant, exempla: 8) hinc quoque intelligimus, qua fide & humanitate peregrinos, pauperes, cognatos nostros, item recens ad veram religionem conversos excipere teneamur. vid. Lud. Lavaterus *homil. I. in b. l. p. 3. seq.*

V.

Divinam porro & canonicam libri auctoritatem, a nemine quidem, quod sciam, ex instituto impugnata, non modo ceteri canonicorum scriptorum characteres, v. c. autor Prophetæ *ἑσπνεύς*, lingua originalis Prophetica, publica in sacro Synagogæ armario asservatio, & constans ecclesiæ Judaicæ de illo testimonium, exacta quoque, qua ceteris sacris libris respondet, harmonia; sed & cum primis genealogiæ tum Davidis 1. Chron. II, 4. seq. tum Christi Servatoris Matth. I, 3—6. Luc. III, 32. quarum neutra, absque hoc libro essent, sibi constaret, evidentissime evincunt, unde Evangelista Matthæus diserte ad hunc librum digitum intendit, suamque ex illius auctoritate generationum seriem demonstrat, quando Boasum v. 5. ex Rutha suscepisse testatur Obedum. Quæ constans ecclesiæ nostræ circa hunc librum confessio, insigni nostris Doctoribus illata injuria, calumniose vellicatur a Sandæo Jesuita *in themate seculari de deferenda Synagoga Protestant. thes. 27.* Protestantibus impingente, quod librum Ruth e sacro Canone abstraxerint. Quod cum nullo nostrorum testimonio, nullo demonstrare valeat argumento, generoso rectius vindicatur contemptu. Vide tamen b. Carpzov. *in b. l. Disp. I. §. 5.*

Cc

p. 3.



De libro
Ruth.

p. 3. & Gerhard *Exeges. Loc. I. de Script. S. S.* 127. p. 157. Quod vero Iesuitæ, Sanctius *Proleg. V. p. 4.* & Celada *qu. 4. p. 9.* dubium, ab incerto libri autore, contra canonicam ejus auctoritatem & movent ipsi & solvunt, ἀπὸ σδιόνυσον plane est; cum nec ab autore secundoario seu ministeriali, sed principali & primario libri divinitas in solidum pendeat, nec ex scriptoris incertitudine impugnata unquam legatur libri sacri auctoritas.

VI.

Chronologia.

Vexata magis quaestio est de tempore, in quod Ruthæ historia incidit. Multum in eo designando fluctuant interpretes, adeo ut Rabbinī mox in Ehudis, quando Eglonis filiam dicunt Rutham, mox in Ebzanis, quem ipsum esse Boasum, binominem scilicet, contendunt; Pontificii vero complures cum Josepho, in Heli Sacerdotis rejiciant ætatem. Sanctius sane *Proleg. III. b. l. p. 3.* hanc historiam inchoatam in præfectura Samsonis, aut trium Judicum, qui illum per breve tempus antecesserunt, & finitam cum Judex esset & Pontifex Heli demonstrare satagit. Ulterius adhuc progreditur Augustinus, cui *lib. II de Doctrina Christi. cap. VIII. T. III. Opp. p. 25.* Ruthæ libellus ac historia magis ad Regnorum principia videtur pertinere, plane contra omnem Genealogiæ fidem, quod inter tempora Heli aut Regnorum, principia & filii Salmon comitis Josue ac Rutham ducentis, plures anni intercepti sint, quam duorum hominum, ætas facile admittat. Quanquam vero, bene monente Lavatero *hom. II. p. 5.* nihil intersit ad nostram salutem, articulum temporis scire, quo hæc facta sint, alioqui Spiritus S non prætermisisset: satis tamen perspicua, indagandi temporis vestigia Genealogia nobis præbet, quibus insistentes, si non punctum temporis definire, aliquam tamen ætatis rationem inire possumus. Istis namque 480. annis, qui ab exitu ex Ægypto ad extrui coeptum templum fluxere, si detrahantur

anni in deserto oberrando acti	—	—	40
anni vitæ Davidis (qui 2. Sam. V, 4. natus triginta annos cum regnare coepit, quadraginta annis regnasse dicitur)	—	—	70
anni Salomonis ad jacta templi fundamenta	—	—	3

remanent ab ingressu in Canaan ad natum Davidem, integri anni 366

Hoc ipsum vero trium cum dimidio & quod excurrit seculorum spacium, quatuor hominum ætatibus in Genealogia Ruth IV, 21. 22. circumscribitur: Salmonis scilicet, priusquam genuerat Boasum ex Rahab; Boasi, priusquam genuerat Obedum ex Ruth; Obedi, priusquam genuer-



genuerat Jessen; *Jesse*, priusquam genuerat Davidem; quos necesse est provecta admodum ætate & centenarios fere singulos demum liberos suscepisse. Id quod tamen, cum vero vix videatur simile, ista quidem mundi ætate, qua tanta hominibus *μωροβιότης*, imo & in effœta senectæ generandi fœcunditas, tam frequens amplius non erat; maluerunt alii generationes *cit. loc.* non immediatas intelligere, sed quibus intercalari debeant omissæ quædam compendii causa. Et nominatim quidem tres Boasos fingunt, addendo illi Boaso, qui Salmonis ex Rahaba filius erat, duos alios, ita ut illius nepos esset noster Boas, Ruthæ maritus, quo pacto verba Genealogiæ ita suppleant: *Salmon genuit Boasum, Boasus genuit Boasum* filium, *Boasus fil. genuit Boasum* Boasi filium, Boasi nepotem, *Boasus genuit Obedum &c.* Sic tardas adeo in una familia seriatim generationes declinare satagunt Nicol. de Lyra, Salianus, Genebrardus, Catharinus, multique alii, quorum nomina, quibus & suum ipse addit, longo ordine Celada recenset *Comm. in t. I, l. 1. §. 3. p. 13. seq.* adjectis operose rationibus, 1) quia absurdum videatur, tempore Davidi usque adeo proximo, quatuor continenter generationes in tam devexa & prope effœta ætate contineri, ita ut centenarii gignerent filios adeo robustos: 2) quia Scripturæ usui non repugnet, ut in personarum catalogis aliqui omittantur, justis quidem, tametsi sæpe ignotis de causis. Omisisse autem Libri Ruth autorem Boasos priores, quod tædiosum putarit, toties unum idemque nomen distinctarum personarum ingeminare; Matthæum vero causam omissionis suæ habuisse numerationem suam tesseradecadicam. Quid? quod a Matthæo saltus etiam in Regum recensione fiat, tribus in eadem recensione Genealogica ab ipso prætermis Regibus. Verum hoc pacto difficultatem non tollunt, sed adaugent, generationes citra ullum Scripturæ vestigium aut fundamentum, imo vero contra Scripturam ideo saltem multiplicantes, quod feram adeo generandi facultatem, ordini naturæ non repugnantem, nec destitutam omnino exemplis parium, persuadere sibi nequeunt. An ergo incredulitas nostra sententiam feret contra Scripturæ autoritatem? aut ingenii nostri figmenta, omni prorsus destituta fundamento, majorem invenient, quam expressa Scripturæ oracula, fidem? Dein us vero licet, generationes nonnunquam mediatas in Scriptura recenseri; intermedias tamen quæ omissæ deprehenduntur, ex locis parallelis suppleri posse ex ipsa Scriptura, neutiquam vero ex ingenii nostri libidine intrudi, necesse est. At enim vero hæc genealogia quatuor distinctis locis, dissitissimis tempo-



rum vicibus Ruth. IV, 21. 22. 1. Chron. II, 11. seqq. Matth. I, 5. 6. Luc. III, 32. exarata, accurate adeo sibi per omnia constat, nullum plane ut omissionem suspicandi locum relinquat. Unum saltem Boasum Chronicorum Scriptor, unum Matthæus novit, Lucas unum, in Ruthæ ergo libello qui omisos præter hunc alios duos suspicabimur? Si duæ generationes omissæ essent, vel in uno horum locorum defectus suppletus fuisset, saltem à Luca, qui nec *τεσσαρδεκάδης* scèctatur ut Matthæus, & omnia *ἀνθρώπων ἀριθμῶς* assecutum se fuisse, ad Lectorem *ἀσφαλῆσαι* c. I, 3. testatur. Spiritui Sancto autem in recensione Genealogica Messiae unius nominis repetitionem tædiosam & molestam fuisse visam, quis temere dixerit? Præstat enim idem nomen sæpius repetere, quam lacinatam Genealogiam, tanto hiatus patentem, exhibere. Sartam itaque tectam Scripturæ auctoritatem, quatuor locorum harmonia tam exacte firmatam, servare & seros *πενήκοντις* annos, quanquam forte eo tempore non adeo frequentes, statuere malumus, quam vel ingenii humani procacitati indulgere, vel cum Cl. Clerico sacrum textum corruptionis insimulare. Is enim in *Dissert. de Scriptoribus Libror. Historicorum V. T.* Commentario in eosdem præmissa §. 4. pro sua nimirum in Scripturam religione: Scio, inquit, *auctoritatem revelationis Divinæ tantam esse, ut nemo non ei illico cedere debeat, verum nescio, annon fortasse sit hic aliqua omisio Librariorum, qui aliquot ex Majoribus Davidis omiserint ante Jisain. Credibilis certe multo est, in talibus menda esse Librariorum, aut si mavis, lacunas ex summa antiquitate ortas: quam rem plane inusitatam, post Mosis tempora factam esse in stirpe Davidis. Profecto non desunt exempla ejusmodi lacunarum, quarum aliquot indicavimus in Indice nostro, ad vocem Lacuna; estque etiam insigne in recensione ejus posterorum, quæ habetur Matth. I. ut optimi interpretes ostenderunt, quamvis eos Evangelista in *τεσσαρδεκάδης* divisisset. Facilius igitur multo crediderim a temporibus Davidis, aliquot in catalogis ejus genealogiæ viros omisos; quam confugerim ad mirabilia quædam, quæ nunquam forte a Mosis temporibus contigerunt. Hanc vero quis non ægre ferat in Scripturam S. injuriam, inde profectam, quod rem narrat, non toto die obviam? Neque tamen ea propter ad mirabilia quædam, quæ nunquam forte a Mosis temporibus contigerunt, confugi, si provec̃ta ætate hi Davidis majores generasse credantur, exemplis demonstravit Frider. Spanhemius *Dub. Evang. P. I. Dub. III. p. 17. seq.* Boasum sane cum Rutham duceret, grandiolem natu jam fuisse, haud difficulter ex ipsius verbis colligitur Ruth. III, 10. Jessen autem, cujus filiorum*

rum



rum natu erat minimus David, virorum omnium, qui Saulis temporibus vixerunt, natu maximum fuisse, ex 1. Sam. XVII, 12. palam est. Adde, quod indubium videatur Celeberr. Spanhemio, *extraordinariam Dei benedictionem intercessisse in majoribus illis Christi prole ditandis, etiam tum cum vigor illorum jam exaruisse videtur, ut illi charactere quodam extraordinario designarentur, prout & ante ingressum Jacobi in Aegyptum mirum quid etiam in familia Judæ contigit, per extraordinariam ejus fecunditatem.* Proinde nos ita instituimus. Templi jacta fundamenta in annum O. C. 2992. incidere infra videbimus: jam cum LXXIII. annis Davidis natiuitas ea anteverterit, natum ipsum A. O. C. 2919. inde conficitur. Ingressum vero in terram Canaan cum evenisse ex supra dictis constet A. O. C. 2553. intermedii 366. anni ab ingressu ad natum Davidem ita distribuendi sunt, ut ex b. Chemnitii *cap. III. Harmon. Evangel. p. 35. b. edit. Francofurt. 1622. sententia ponamus, Salmonem non statim post ingressum in terram Canaan vel duxisse Rachabam, vel non statim ex illa genuisse Booz, sed intercessisse annos circiter 30. sic natus fuerit Boas A. O. C. 2583. Hunc superponamus rursus matrimonio sibi junxisse Rutham, vel ex illa saltem suscepisse filium, anno ætatis circiter centesimo duodecimo, sic natus fuerit Obed A. O. C. 2695. quem eodem ætatis anno, h. e. O. C. 2807. generasse Jessen; hunc vero rursus, cum annos haberet 112. Davidem sustulisse credamus, & sic prodibit ipse supra indicatus natalis Davidis A. O. C. 2919. Ubi tamen denuo cum Spanhemio monemus, hunc nos inire calculum, non quod præcise illis ipsis annis genuisse eos statuamus, cum de eo nihil certi tradatur in Scriptura S. sed quod ad explendum istud 366. annorum spacium tres Boasos fingere opus non sit, cum data quatuor horum capitum Genealogia sufficiat. Hoc itaque pacto historia hujus libelli in tempora quietis ab Ehude redditæ, ejusque præfecturam incidit, vel forte paulo post ejus mortem, triginta certe annis ante oppressionem Jabinis Cananæam, ut ex collatione cum Tab. Chronologica *cap. præc. S. 8. data constat.* Ceterum in hanc rem, præter jam citatos, confer ex nostris b. Strauchium *Dissert. quam annales Bethlehemiticos 1660. inscripsit S. 9. seq. e Reformatis Jac. Usserium Chronolog. Sacra P. I. cap. XII. e Pontificiis Natalem Alexandr. Hist. Eccl. V. T. T. II. Diss. XXII. p. 66.**

VII.

In partiendo libri (qui capitibus constat IV. versiculis 85. quorum Partitio, mediis est c. II, 21.) argumento non convenit inter interpretes. Qui

Cc 3

tres



De libro
Ruth.

tres constituunt partes, huiusmodi unam in τὰ προηγμένα, τὸ πραχ-
θέν, & τὰ ἐπόμενα cum b. Gerardo *Exeg. L. I. de Script.* §. 127. dispe-
scunt, subnexa libro Genealogiam ad partem ultimam referentes: qui
vero duas, conditionem & statum Ruthæ primo miserum & infelicem
c. I. II. dein latiore & faustum c. III. IV. exhiberi tradunt. Ita e no-
stris b. Calovius, Waltherus; e Reformatis Burmannus, Heideggerus &
alii. Cum vero scopus totius libelli, ut paulo ante vidimus, ad Genea-
logiam Davidis integram exhibendam cumprimis tendat, hanc utique
non possumus libri partem principalem non constituere, adeoque b.
Carpzovii inhaerentes vestigiis, (cujus specialissimam libri dispositionem
in præfatione ad Lectorem videbis) *P. I.* continere dicimus historiam Ruthæ
c. I—IV, 17. *P. II.* Davidis inde a Perezō Genealogiam c. IV, 17—fin.
Reliqua e tabula Synoptica patent, quam damus sequentem: Continet-
libellus

Tabula Syn- I. Ruthæ, qua nuptias secundas, historiam, cujus
optica.

α) antecedentia sunt

1. Ruthæ discessus ex patria Moab in Judæam c. I.
2. Ruthæ spicilegium in agro Boasi c. II.
3. Ruthæ ad pedes Boasi cubatio c. III.
4. Vindictis, Boaso propinquiore, de jure suo cessio
c. IV, 1—9.

β) factum ipsum s. nuptiæ inter Boasum & Rutham contractæ,
c. IV, 10—13.

γ) consequens, prolis ex hoc matrimonio generatio c. IV, 13—17.

II. Davidis inde a Perezō Genealogiam v. 18—fin.

VIII.

Commen-
tarii Pa-
trum:

Commentariis librum illustrarunt è Patrum ordine THEODO-
RETUS *Tomo I. Opp.* curas suas in Ruth τὰ ἀπορα κατ' ἐκλογὴν in-
scribens: BEDA in quæstionibus in Octoteuchum *Tom. VIII. Opp. p.*
355: ISIDORUS Hispalensis *Opp. p. 336*: CLAUDIUS CLE-
MENS Seculo VIII. clarus, & Carpzovio *in b. l. p. 20.* laudatus: RV-
PERTUS Tuitiensis, cujus in *de Operibus Sanctissime Trinitatis Parte*
II. Coloniae A. 1533. 1566. commentaria varii sensus & maxime allegori-
ci in Rutham continentur.

Rabbino-
rum:

E Rabbiniis ii primum nominandi sunt, qui junctim in V. Megil-
loth scripserunt: מדרש חמש מגלות *Commentarius allegoricus in V.*
libellos, incerto autore compositus & sæpius recusus Venetiis A. 1545.

1550.



1550. A. 1608 : עובדיה ספורנו R. ABDIAS SPHORNI, Medicus Italus, cujus מגילת על חמש מגילות *elucidatio in quinque libellos Venetiis prodiiit in 4. apud Johannem Grifo* : ר' ארשע גאליקו R. ELISAH GALIKO Synagogarcha in Urbe Sapheth superioris Galilææ, cujus פירוש f. Explicatio in quinque libellos Venetiis in 4. A. C. 1587. excusa est : יוסף שיטצאק vel מאיטצק R. JOSEPH TITZACK, vel TAITZACK Hispanus, qui parvo Commentario in V. libellos & Danielelem, quem ex Prov. IX, 17. *Panis absconsionum* inscripsit, dubia proponit & breviter solvit, excuso Venetiis in 4. ap. Joh. de Gara A. 1608 : יצחק ערמה R. ISAAC ARAMAH Hispanus, in עקרת יצחק *Ligatione Isaaci*, quam commentarium dicit in Pentateuchum & V. Megilloth, de quo vide *supra* p. 51 : משה אלמושנינו MOSES ALMOSCHNINO ben R. Baruch, in commentario secundum principia Philosophorum in V. libellos composito, & ירי משה ex Exod. XVII, 12. inscripto, Venetiis ap. Dan. Zanutum A. C. 1597. in 4 : cum primis RABBA BAR NACHMONI, in cujus רבות de quibus *supra* p. 52. dictum, quinque Megilloth, æque ac Pentateuchus, explicantur. Addit b. Carpzovius *b. l. p. 19.* R. JOSEPHI JACHIJJA פירוש f. succinctam Paraphrasin in Hagiographa, quibus V. Megilloth suis locis admiscuerit : אבן יהודה inscribitur, & impressus Bononiæ A. 1538. in fol. hic commentarius dicitur in Placcii *Theatr. Anonym. & Pseudonym. P. I. cap. 17. n. 7. p. 680.* ubi porro *n. 28. p. 682.* alius in V. Megilloth Commentar. R. ABRAHAMI filii R. Mosis Germani Heilbrunnensis memoratur. אהבת ציון *Amor Sionis* inscriptus, & Lublini impressus in fol. A. C. 1639. Præter hos citatur Jul. Bartoloccio *T. IV. Biblioth. Rabb. p. 375.* quidam ואריון R. SALOMO VALERIVS, qui in V. libellos ביאורים *explanationes* struxerit, aliis ignotas, & quarum nec ipse impressionis locum vel annum, vel aliud quod libri aut autoris certum indicare vestigium novit. Sic Buxtorfius *Biblioth. Rabb. p. 424.* commentarium in Hagiographa & V. Megilloth citat, תורת חסד *Lex misericordie* ex Prov. XXXI, 26. inscriptum, & Constantinopoli impressum, sed absque autoris vel anni addita mentione. Apud Placcium autem *c. l. n. 483. p. 719.* autor R. ISAAC bar R. SALOMO JABEZ dicitur. שמואל אורידיה in librum Ruthæ fertur אגרת שמואל על מגילת אגרת שמואל על מגילת SAMVELIS OZIDA vel de Ozeda אגרת שמואל על מגילת Ruth, Venetiis edita,



De libro
Ruth.

edita, de quo rursus Placcius *c. l. n. 24. p. 681*: & שלמה ר' R. SALOMONIS Levitæ שורש ישי *Radix Isai*, qui & Constantinopoli & Cremonæ in 4. A. C. 1566. impressus elegans est commentarius. Allegatur præterea a Buxtorffio in *Appendice Biblioth. Rabb. p. 464.* alius ציץ הזהב *Lamina aurea* ex Lev. VIII, 9. inscriptus: Hottingero autem in *Biblioth. Orient. c. I. p. 10.* quæ habetur *Smegmatis Orient. Lib. III. Parte II. & b. Carpzovio* adhuc alius, תפוזי זהב *Poma aurea* ex Prov. XXV, 11. in fronte dictus, summaque laudatur diligentia ea fini compositus, ut in Scriptura S. sensum manifestum & occultum, interiorem & exteriorem esse, libelli hujus historici, qui sterilis videri poterat, exemplo confirmaret. Idem Hottingerus alius adhuc meminit, cui titulus משיב נפש *ducens animam*, ex Ruth. III, 15. Sic ap. Placcium *c. l. n. 181. p. 698.* commentarius laudatur Mysticus & Cabalisticus in h. l. ignoti autoris, יסוד שירים *fundamentum canticorum* dictus, qui idem tamen est cum jamjam memorato, qui תפוזי זהב inscribitur. Porro *n. 253. p. 704.* citatur R. SIMEONIS ben Jochai מדרש הנעלם *Midrasch absconditum* f. Commentarius allegoricus in Ruth, qui junctim prodit cum Zohar Chadasch Cracoviæ A. 1603. & Venetiis A. 1663. in 4.

Lutherano-
rum:

Nec nostratis ecclesiæ doctores sicco hunc librum pede præterierunt, quos inter JOH. BRENTIUS commentarium reliquit *T. II. Opp. p. 187.* qui postea in vernaculam translatus per Al. Agricola Lipsiæ prodit in 8. 1651. DAVID CHYTRÆVS *T. II. Opp. f. 265.* Lipsiæ in fol. A. 1598. BARTHOLOMÆUS HEIDERICVS, cujus in Ruth expositio, Jenæ & Lipsiæ in 8. excusa A. 1608. textum sua analysi circumscriptum, dictis Scripturæ & exemplis illustrat: MAVRITIUS HELINGIUS, in Periocha f. argumentis in Ruth, Norimbergæ in 8. A. 1593: ERASM. SARCERIVS justo commentario librum explicans: ABEL NEZENIVS *P. II. operationum Biblicarum b. Lutheri*, Jenæ in 4. A. 1611: CHRISTOPH. SCHLEVPNERVS Norimberg. in 8. A. 1632. b. Patruus meus JO. BENEDICT. CARPZOVIVS fil. cujus *Collegium Rabbinico-Biblicum in libell. Ruth XII.* olim Disputationibus usque ad Cap. II, 10. editum, & post mortem b. Autoris ex ipsius schedis ad finem perductum, ac a Filio Lipsiæ A. 1703. in 4. luci datum, ipsique laudatum Bartoloccio *Biblioth. Rabb. P. IV. p. 400.* eruditi & pleni Commentarii vices sustinet, cujus mihi in hoc capite egregium fuisse usum gratus profiteor. Qui concionibus ad populum habitis librum explicarunt, typis mandari labores suos passi sunt FRIDER.



DER. BALDVINVS Wittebergæ in 4. A. 1608. 1611. BAL- Ruth.
THAS. KERNERS, cujus XXXII. in h. l. homilia Ulmæ prodie-
runt in 4. A. 1646: GEORG. EDELMANN, cujus XXVII. ho-
milia Wittebergæ excusæ sunt, in 8. A. 1572. 1597. BERNHARD.
WALDSCHMIDT, LXII. homiliis, Stutgardia in 4. A. 1659.
GEORG. SCHIMMER: NICOL. THÜRMANN: VA-
LER. HERBERGER *Magnalium* P. XII.

E Pontificiis GABRIEL ACOSTA Theologus & sacrarum Pontificio-
literarum interpres Conimbricensis, eruditos commentarios in Ruth, rum:
XXXIX. tractatibus inclusos *T. Opp. p. 131.* Lugduni in fol. A. 1641. exhi-
bet. JACOB. BONFRERIVS, Josuæ & Judicum libb. Rutham
junxit Parisiis in fol. 1631. THOMAS de VIO CAJETANVS
Romæ in fol. 1533. DIDACVS de CELADA, Jesuita in Madri-
tensi Collegio Imperiali, amplos quoque & eruditos in h. l. commenta-
rios literales & morales conscripsit, Lugduni in fol. 1614. 1651. ADRI-
AN. CROMMIVS S. I. in Ruth, Samuel. & Regg. libros Lovanii A.
1631. LAVRENTIVS CVPÆRVS, Episcopus Tornacensis,
Carmelita, in Ruth, Tobiam & Judith commentatus est, Moguntia 1600.
FRANCISCVS FEVARDENTIVS Theologus Parisiensis, Mi-
norita Franciscanus, cujus in Ruth Commentarius Parisiis in 8. A.
1582. non omnino contemnendus est: cui SIMON. FON-
TANVM jungimus, Parisiensem æque Theologum Minoritam,
cujus explicatio libri Ruth Parisiis lucem vidit in 8. Anno 1562.
EVANGELISTA MARCELLINVS, Italus Minorita, cujus
in Ruth lucubratio Florentia prodiit A. 1586. THOMAS MAL-
VENDA, Jesuita, qui inter reliquos V. T. commentarios, qui V. volu-
minibus junctim Lugduni in fol. excusi sunt A. 1650. in Ruth quoque cu-
ras suas exhibuit: ALEXANDER MANERBA, Ordinis Prædi-
catorum Brixianus, geminam inclytæ Ruth Moabitidis (ut habet inscrip-
tio) peregrinationem per Commentarios brevesque sermões Venetiis
in 8. A. 1604. excusos, explanatione mystica descripsit: FABRICIVS
PAVLTVS in ceteris librorum Historicorum V. T. commentariis
Romæ in fol. A. 1625. editis, Ruth quoque habet. LVDOVIC de
PONTE, Jesuita Vallisoletanus Tom. IV. de hominis Christiani perfe-
ctione in quolibet vitæ genere, ex historia Ruth præcipue egit, Colonia
in 4. A. 1615. GASPAR SANCTIVS, Jesuita & in Collegio Com-
plutensi sacrarum literarum interpres, eruditos in Ruth, Esdra, Nchemia,
Tobia, Judith, Ester, & Machabæorum libb. Comm. evulgavit, Lug-
duni



De libro
Ruth.

duni in fol. A. 1628. NICOL. SERARIVS Jesh. hunc librum pariter commentario eruditione varia referto exposuit, Moguntia in fol. 1599. 1609. 1627. In ALPHONSI TOSTATI commentariis in libros historicos V. T. Ruthi quoque historia explicata occurrit, Venetiis A. 1596. JO. QVINQVABOREI notæ & Latina versio Chaldaica Paraphras. in Hoseam, Amosum, Ruth & Threnos, Parisiis excusa sunt in 4. a. 1556. His addimus non tam Pontificum, quam medio in Papatu testem veritatis, HIERONYMVM SAVONAROLAM, Ordinis Prædicat. Dominicanum, cujus in Ruth & Michæam homiliae Salmantiae prodierunt a. 1576. in Papistarum tamen indicibus expurgatoriis, ob castigatos Papatus errores, prohibita. Conferri quoque haud absque fructu poterunt AVGVSTINVS TORNIELLVVS, & JACOBVS SALIANVS in annalibus, quos condidit uterque, sacris ad an. Mundi 2748.

Reformato-
rum:

Inter Reformatos, præter eruditissimos Drusii labores, quos Biblia Critica Anglicana exhibent, nominandus est MARTINVS BORRHAVS, alias Cellarius, Theologus Basileensis, Basileæ in fol. A. 1577. THOMAS FVLLERVS, Præbend. Sarisburiensis & Regi Angliæ Carolo II. a Sacris, qui Anglico idiomate Rutham illustravit, Londini in 8. A. 1654: RVDOLPHVS GVALTERVS, qui homilias in Ruth reliquit, Francof. in fol. A. 1586: LVDOVIC. LAVATERVS, qui eodem instituto homiliis 28. Tiguri in 8. A. 1578. exscriptis, Rutham explicavit: JO. MERCERVS, Hebraicarum literarum Professor Regius Parisiensis, qui Syriacam Historiæ hujus Paraphrasin, cum scholiis Misoreticis & Chaldaica interpretatione, publici juris fecit Parisiis A. 1564: JO. WOLFFIVS homiliis latinis, Tiguri in fol. A. 1592: FRANCISC. BVRMANNVS in explicatione Belgica ad Josuam & Judices jam laudata: JOHANN. MAYER Anglus: CONRAD. PELLICANVS in Opp. in fol. Tiguri A. 1582: EDWARDVS TAPSELIVS, Anglico sermone, Londini in 8. A. 1601: VICTORIN. STRIGELIVS, cujus in Ruth scholia Jenæ in 8. prodierunt A. 1571. Quibus suo merito CHRISTIAN. SCHOTTANVM adde, qui universam historiam, quam Sulpicius Severus intactam reliquerat, suo loco historiæ Judicum insertam recensuit *Tom. II. Biblioth. Hist. Sacr. V. T. p. 506. seq.*

Remon-
strantium.

De JOANNIS CLERICI in h. l. commentario, ad Josuam quæ dicta sunt, sufficiant.

CAPVT



CAP. XII.

De libro priore Samuelis.

Libri ordo & series; ejusque inscriptio, alia Hebrais, Samuelem magni facientibus, alia Grecis & Latinis usurpata §. 1. Scriptor libri, alius Samuel, Gad & Nathan; aliis Jeremias; aliis incertus sequioris ævi: quis tandem ex nostra sententia? §. 2. Respondetur ad objectiones, contra libri antiquitatem, ex 1. Sam. IX, 9. XVI. XVII. XVIII. XXVI. VII. & XIII. ex 2. Sam. VII. ex 1. Sam. XII, 1. V, 5. XXVII, 6. XXX, 25. VII, 15. VII, 2. motas §. 3. Samuel libri de Jure Regio 1. Sam. X, 25. autor: qui tamen postmodum intercidit, verum non e Canone §. 4. Argumentum libri: scopus: utilitas §. 5. Divina ejus & Canonica autoritas §. 6. Chronologia, & quot annis regnarit Saul? §. 7. Partitio §. 8. Tabula Synoptica §. 9. Commentarii Patrum, Hebræorum, Lutheranorum, Pontificiorum, Reformatorum, Remonstrantium §. 10.

Summari-
um capitis.

§. I.

Justo historiarum temporumque ordine uterque Samuelis Judicium connectitur libro, quia ultimum in isto descriptum Israelis Judicem præfectura Eli Sacerdotis excipit, a quo hujus historiarum petendum est auspiciū. Nec officit, quod medius inter utrumque Ruthæ libellus interseritur, ob rationes *cap. præc. §. 1. in medium allatas. In Bibliis Hebraicis ספר שמואל Liber Samuelis uterque (qui unus est Judæis) inscribitur. Quod enim Corn. a Lap. Proem. Comm. in h. l. p. 209 b. Hebraica, hos libros ab Hebræis æque ac Syris Prophetiam Samuelis vocari asserit, nescio quorum codicum fide ita statuatur, cum in nullo Hebraico exemplari, quotquot ego vidi, aliter legam, quam ספר שמואל/ vel simpliciter שמואל/ versio autem Syriaca in Bibliis Polyglottis Anglic. ita habeat: כְּלָלָהּ בְּמִסְכָּלָהּ לְיִשְׂרָאֵל Liber Sam. Propheta Cujus quidem tituli rationem dum prolixè & ex instituto inquiris Don Isaac Abarbenel in parte prioris præfationis sue commentarii in lib. Samuelis fol. 74. col. 1. & 2. & ab autore ita dici negat, quod maximam libri partem Nathan & Gad exararint, &*

Libri ordo.

Inscriptio

D d 1

ab



De libro I.
Samuelis.

ab argumento sive contentis, quia sic potius a Saule, Regum Israelis omnium primo, aut a Davide, qui Regum præcipuus fuerit, inscribendus fuisset, sed ob duas id nominis libro obtigisse rationes: 1) quod quæ in utroque libro occurrunt, omnia ad Samuelem certo modo referri possunt, etiam Saulis ac Davidis gesta: quia uterque a Samuele unctus, opus veluti manuum ejus fuerint, secus vero rem se habere cum libris Regum, in quibus quæ narrantur, a Reges proprie spectant, non ad Prophetam ullum: 2) quia cum ob Samuelem Prophetam & Davidem Regem scriptus liber sit, neque tamen ab utroque (cum id moris in Scriptura non sit, librum aliquem a gemina denominare persona) sed ab alterutro horum nomen sortiri debuerit, conveniens fuerit, ut a Samuele potius quam a Davide appellationem trahat, partim quidem ob Samuelis sanctitatem, quod sanctus ille purusque, ac per votum Nasiræatus natus, precibusque a Deo exoratus, David vero, vel ipsomet haud diffitente Ps. LI. in peccatis conceptus & in iniquitate editus fuerit; partim ob pietatem ejus, quod Nasiræus ille esset ab utero, & in servitio domus Dei inde a pueris adoleverit, David vero in re familiari & pecuaria educatus sit; partim, ob excellentiam Prophetiæ, qua quidem Samuel, verum haud æque David, cui saltem gradus ille obtigerit, qui רוח הקודש Spiritus S. dicitur, fuerit gavissus. Quid? quod tanta sit Samuelis inter Prophetas dignitas, ut vel Moysi ac Aaroni ad latus jungatur Ps. XCIX, 6. His ergo de causis nomen Samuelis Davidi multis parafangis præstare, maxime cum Samuel & Magister esset & Pater, David autem discipulus ejus & filius, manu quippe ejus unctus. Quæ utut pluscula Recutiti commenta, nec per omnia probanda, ex proluxa ejus dissertatione ideo excerpere visum fuit, ut quo loco & dignitatis gradu Samuelem habeant Judæi, inde simul cognoscatur. Moysi enim proximum excellentiæ gradum ipsi assignant, inter quos haud adeo magna, quæ intercedit, differentia ex eodem Abarbenele cognosci poterit in *Comment. ad 1. Sam. III, 10. sub finem solutarum questionum fol. 83. col. 3.* unde in Talmude Hierosolym. Tr. Hagigab fol. 77. col. 1. & alias sæpius שמואל רבן של נביאים Samuel Magister omnium prophetarum salutatur, & procul dubio eodem respectu primus Prophetarum a Moysi, recensetur Act. III, 24. Neque tamen ea propter Pontificatum, vocatione extraordinaria, gessisse censendus est cum Cloppenburgio in *Schola Sacrificior. Problem. 2. p. 195. seq.* cum ne Sacerdotio quidem, quod tamen Sulpicius Severus lib. I. Hist. Sac. cap. LVIII, & Serarius ad 1. Sam. VII, alique existimarunt, functum eundem fuisse

fuisse Augustinus e veteribus *quest. XLVI. in Vet. Test. T. IV. Opp. p. 729.* Samuelis, *seqq.* e recentioribus autem Joan. Seldenus evincat *Lib. I. de successione in Pontificatum Ebraeor. cap. IV p. 116.* Recte omnino & nerveose Hieronymus *L. I. adversus Jovin. T. II. Opp. p. 32.* Samuel, inquit, *Propheta fuit, Judex fuit, Levita fuit, non Pontifex, ne sacerdos quidem.* Plura de Samuele qui cupit, adeat autorem der Lebens Beschreibung der Biblischen Scribenten *P. III. cujus cap. 2. de Samuelis nomine, c. 3. de juventute & educatione ejus, c. 4. de variis encomiis, c. 6. de ejus Nasiræatu, c. 7. de sacerdotio ei denegato, c. 8. de relatione ad Christum typica &c. de industria & prolixè agitur.* Sed ut e diverticulo in viam redeamus, qui paulo curatius inscriptionis rationem videri volunt investigasse, Hugo Grotius *præfat. in b. l. & Sanctius prolegom. 2. p. 4.* ideo a Samuele nomen gerebre libros dicunt, quia in utroque aliquid, quod suum sibi Samuel possit agnoscere, occurrat. Saulis enim exitum ostendere, vera fuisse, quæ Sauli Samuel prædixerat: & quæ liber alter de Davidis rebus narrat, Samuelis ejusdem vaticinia Davidi facta comprobare. Accedere, quod unxerit utrumque Samuel & consiliis instruxerit, quæ sprete a Saule vindicavit Deus, Davidi iisdem parenti res dederit valde prosperas atque magnificas. LXX. Senes βασιλέων vel etiam βασιλειών, æque ut Vulgata Regum, alii Regnorum libros appellant, ἐπειδὴ καὶ τὰς πράξεις τῶν γενομένων βασιλέων, ἐντε τῷ Ἰσραὴλ καὶ τῷ Ἰσραὴλ, καὶ τὰ ἔτη αὐτῶν περιέχει, quia Regum cum Juda, tum Israel facta 5 annos continent, ut Synopsis habet *T. II. Opp. Athanas. p. 75.* Regum enim gesta proprie his libris enarrantur, maxime regni Saulis & Davidis curricula, nec sine alio Samuelis præmittitur historia, quam ut ad agnoscendam instituti regni originem viam sterneret. Unde quatuor Regum libros Biblia Latina & Græca numerant, qui in Hebraicis duo sunt Samuelis, & duo Regum.

Græca & Latina.

II.

In assignanda libro ætate manueque, a qua profectus sit, scriptoris cæcis rursus conjecturis interpretes jactantur. Et communissima quidem omnium sententia, Judæorum magistris in *Baba Batra cap. 1. f. 14.* & R. Mosi Kimchio; Patribus quoque Theodoreto, Procopio, Gregorio M. Isidoro Pelusiotæ, Eucherio; nostris porro Doctoribus b. Walthero, Calovio *ad 1. Sam. IX, 9. p. 748.* Pontificis etiam, Hugoni, Lyncano, Cajetano, Vatablo, Sixto Senensi *Biblioth. S. lib. 2. voc. Samuel p. 132.* Sanctio, Serario, Cornelio a Lap. aliisque quamplurimis recepta & probata, opus hoc auctoritate loci i. Chron. XXIX, 29. inter Samuelem, Nathanem & Gad ita disperitur, ut priora XXIV. capita Samueli, reliqua

Scriptor libri
alii Samuel,
Gad &
Nathan,

De libro I.
Samuelis.

aliis Jere-
mias,

aliis incer-
tus sequio-
ris ævi,

ex nostra
mente.

vero ejusdem & omnia sequentis libri Nathani & Gad tribuant; ubi singularis tamen in eo est Isidorus *lib. VI. Orig. c. 2.* quod Davidem res suas ipsum consignasse censet. Alii vero, qui recentioris ætatis vestigia in his libris advertisse sibi videntur, Abarbenel nimirum *Comm. ad 1. Sam. IX. 9. fol. 96. col. 1.* R. Jacob ben Chajim *præfat. in Bibl.* Hugō Grotius in *Præfat. ad b. l. & ad 1. Sam. IX. 9.* aliique, Jeremiam faciunt autorem, cum ex Grotii quidem judicio, sermonis forma non discrepet. Unde & a Concilio Francofurtensi, sub finem Sec. VIII. celebrato, sub Jeremix nomine hos libros citari Burmannus observat *Proleg. in b. l. p. 1.* Demum vero alii plurium autorum studio, diversisque & superioribus omnino temporibus, si non contextum, certe interpolatum, auctum & in hanc, qua hodie comparet, formam ordinemque redactum opus censent, allatis hanc in rem variis, novitatem redolentibus, testimoniis. Ita Franc. Burmannus Jeremiam vel potius Esdram, adhibitis tamen Samuelis, Nathanis & Gad tabulis & monumentis, hos confarcinasse existimat annales. *Non abernavit forte, qui ex 1. Paralip. XXIX, 29. statuerit, & Samuelem rerum sub Eli & sua gubernatione gestarum: & Nathanem ac Gadem rerum sub Saulis & Davidis regno contingentium annales composuisse: & post virum Θεοπνευστον, sive is Jeremias, qui ultimam Regum ætatem consecutus est, sive Esdras, qui sicut alia plurima, ita etiam Regum historiam ab aliis conceptam conservavit; in ordinem & contextum illum, qui hodie videtur, redegit, Heideggerus ait Enchir. cap. X. §. 2. p. 79. Richardus Simon Lib. I. Hist. Crit. V. T. cap. VIII. p. 54. & Joan. Clericus Dissert. de Scripturibus Libror. Hist. §. 5. uti nihil definiunt, nisi quod posterior libros, quos habemus, ex Samuelis, Nathanis, & Gadi verbis maxima forte ex parte depromptos fuisse autumat; ita varia conquirunt & urgent novitatis argumenta, ut quam tollere nesciebant, adaugerent tamen difficultatem. Spinoza *tract. Theol. Polit. cap. 8. p. III. seq.* suam, ut tueatur hypothesein, qua Mosaiscos & historicos ad Paralipomena usque libros omnes, apographa saltem & ab Esdræ demum manu profectos & ad nos, non sine labe, transmissos esse fingit, hunc librum (utrumque Samuelis) etiam multis post Samuelem seculis scriptum fuisse vult notari. Hac itaque in tanta sententiarum diversitate 1) divinæ Scripturarum origini & majestati derogare censemus eos, qui e Diariis vel commentariis dictorum Prophetarum humano studio collectum, multo tempore post, hunc librum tradunt: 2) illam porro, quæ Jeremix acceptum eundem refert, conjecturam omni prorsus destitui videmus fundamen-*



mento, nec styli ac sermonis congruentiam in Samuelis libro & Jeremiae vaticiniis deprehendimus talem, qualem Grotius somniat, vir cetera longe doctissimus, sed oraculorum sacrorum juxta ac literaturae Orientalis infelicissimus interpret: 3) ad veritatem proxime accedere credimus illam, quae divini ex 1. Chron. XXIX, 29. testimonii autoritate nititur, opinionem primo loco recensitam, cui nostrum adicere calculum nulli dubitamus, cum Spanhemio *T. I. Opp. p. 367.* ita pronunciantes: *Successive res eorum librorum scriptae, quo gesta sunt tempore, a Samuele, Nathane &c. postea (interveniens omnino Θεοπνευσία) in hanc formam collectae a viro Prophetico. Certe quae 1. Sam. VI, 18. (leguntur,) scriptae fuisse videntur, antequam petissent Hinnelitae sibi Regem dari.*

III.

Restat jam ut scrupulos eximamus, a Spinoza, Hobbesio, Simonio, Clerico, & cujus hi omnes vestigia legunt, Abarbenele, ceu novitatis pro-
ditores, aut operis ex antiquis schedis corrafi indices, injectos. Principem in his locum tenet, quod praeter dictos Grotius quoque urget, ex
1. Sam. IX, 9. depromptum dubium, ubi Samuelis aetate recentior
נביא *Propheta* appellatio dicitur, cum Samuel ipse & quivis illorum temporum vates *הרואה Videntem* salutaretur. Quam objectionem contra
Genesin jam motam, supra diluimus *cap. IV. §. 2. p. 60. seq.* Nunc istud addimus, inter illam de initiis regni Saulis historiam, & Samuelis ultimum, qua librum consignavit, aetatem, sat longum fluxisse temporis spacium, quod antiquando vocabulo *הרואה* & surrogandae in ejus locum, appellationi *נביא* sufficeret. Cum ergo circa extrema vitae suae librum exararet Samuel, non abs re phrasin ante multos annos a Saule usurpatam: *age, eamus ad Videntem*, per notio-
rem eo, quo haec scribat, aetate explicavit, indicans nunc *נביא* dici, qui illa tempestate *הרואה* audiebat. Quin imo ea ipsa, qua Samuelem Saul consulebat, aetate titulum *נביא* usu jam tritum cognitumque vulgo fuisse, ex 1. Sam. X, 12. manifesto constat, ubi in proverbium abiisse dicitur istud: *הגם שאור כנביאים Num etiam Saul inter prophetas est?* Id ergo tantum sibi vult ista 1. Sam. IX, 9. explicatio, quod in vulgari illa formula, cum Prophetam consulendi causa adituri dicerent: *age, eamus ad Videntem*, frequentior ex antiquo ritu *Videntis*, quam *Propheta* fuerit appellatio, utraque tamen in eandem quadrans personam. Porro, ut ex variis segmentis confarcinatum hunc, cum ceteris historicis, librum demonstrat Spinoza, ad
1. Sam. XVI. XVII. XVIII. capita nos remittit, quibus dispar indicatur

Respondetur ad objectiones

ex 1. Sam. IX, 9.

ex 1. Sam. XVI. XVII. occa- XVIII.



De libro I.
Samuelis.

occafio & caufa, cur Saulis in aulam David fe contulerit. Capite XVI. enim v. 14. feq. ex confilio fervorum Saulis accitus, capitibus fequentibus vero cafu a patre in castra miffus ad fratres, ex occafione victoriae contra Goliathum Sauli innotuiffe legitur. Verum utraque occafio & caufa cur non diverfis temporibus locum habere poffit? Prius enim, cum in-temperitiis agigaretur Saul, accerfebatur in aulam David, ut citharae cantu ferocem Regis animum demulceret. Post haec vero bellum moventibus Philiftaeis, Sauleque aliis intento curis, domum rediit ad greges fuos David c. XVII, 15. indeque a patre in castra mittitur: quem quod Saul non statim agnofceret, ante licet fapius vifum, in tanta ftipantium caterva mirum adeo non eft, cum alio forte & paftoritio jam habitu indutus in-cederet, & metu perculfus Saul non priftinum amplius citharædum ani-mo agitarer, fed heroem aliquem, quem giganti Philiftæo objiceret. Haud paulo majoris momenti alia ejusdem eft hariofatio, quafi 1. Sam. XXVI. eadem redeat hiftoria, quæ cap. XXIV. ex alterius cujusdam hifto-rici fchedis, mutatis adeo circumftantiis quibusdam, jam recitata fuerit. Sed fallus omnino eft in eo difputator, cum ex utriusque capitis collatione mutuo facta ad oculum pateat, alia longe & diverfa locorum, temporum, rerum geftarum & circumftantiarum momenta diverfiffimas omnino hi-ftorias manifefto arguere. Pati acumine c. VII. & XIII adverfa invi-cem fronte collidere, adeoque ex diverfis variorum autorum monu-mentis in unum compacta fuiſſe volumen contendit, cum illic v. 13, Phi-liſthæi hoſtiles amplius excuſiones in terram Iſraelis moliti fuiſſe ne-gentur, hic vero v. 5. arma rurfus contra Iſraelitas cepiſſe legantur: id quod Hobbeſius quoque *Leviath. c. 33.* adoptat & urget. Verum ſi inter conatum & felicem eventum diſtinxerimus, res in vado erit. Proſpere ſaltem & ex ſententia res geſſiſſe Philiftæos, quoad viveret Samuel, ca-pite VII, 13. negatur, cum quoties pugnam cum Iſraelitis conſererent, ſem-per ipsis eſſent inferiores, quod univerſa libri hiftoria teſtatur: at vero non negatur conatus, non ſtudio Philiftæorum, ſub priftinum mit-tendi jugum Iſraelitas. Quod ſapius tentatum, infeliciter tamen ſem-per ceſſit. Tandem 2 Sam. VII. caput in lib. I. Paralip. cap. XVII. de-ſcriptum anima dvertit Spinoza: *at verba, inquit, variis in locis adeo miri-fice mutata deprehenduntur, ut facillime cognoscatur, hæc duo capita ex duo-bus diverſis exemplaribus hiftoriae Nathanis deſumpta eſſe.* Id quod facili-me inde cognofci nego, cum hoc ſaltem inde ſequatur, diverſum fuiſſe li-bri Chronicorum autorem ab illo, qui poſteriore Samuelis exaravit: ſapien-

sapientique consilio Spiritum Sanctum verba paululum alia & diversa, sed Samuelis. non variante sensu, utrique in consignanda eadem historia inspirasse. Porro in mendo jacere locum non unum hujus libri calumniatur Bibliomastyx ille, eumque in finem p. 119. ad 1. Sam. XIII, 1. provocat, & magnifice admodum in hanc sententiam erumpit: *quod textus truncatus sit, nemo qui Hebraam linguam vel a primo limine salutavit, dubitare potest. Sic enim incipit: בן שנה שאול במלכו ושתי שנים מלך על ישראל* annum natus erat Saul cum regnaret, & duos annos regnavit supra Israellem. *Quis, inquam, non videt numerum annorum etatis Saulis cum regnum adeptus esset, omissum esse? At quod ex ipsa historia major numerus concluditur, credo neminem etiam dubitare. Nam c. XXVII, 7. ejusdem libri habetur, quod David apud Philistaeos, ad quos propter Saulem confugit, moratus fuit unum annum & quatuor menses: quare ex hac computatione reliqua spacio octo mensium contingere debuerunt, quod neminem credere existimo. Josephus saltem in fine libri VI. Antiquitatum textum sic correxit: regnavit itaque Saul Samuele vivente annos decem & octo, moriente autem alios duos. Verum ut nunc taceam Patrum quorundam interpretationem, a Tirino recoctam, qua similitudo potius inter Saulem primo imperii anno simplicem, rectum, justum, & infantem annum habentem, per omissum & similitudinis institui, quam nota temporis signari creditur, hoc sensu, quem Chaldaeus reddidit: *sicut filius unius anni, in quo non sunt culpa, Saul erat, quando regnavit &c.* quæ licet dubium tolleretur, a Spinoza motum, coacta tamen est & textui illata: ut etiam cum Josepho Scaligero nunc in arenam non descendam, qui per textus sacri corruptionem, numerum vel notam numeralem excidisse putat, suppleendam per 7, seu anni XXXmi indicem, quem habuerit Saul, cum regnare inciperet; quem ipsa phrasis refutat, quæ Saulem non בן שנה filium annorum (scilicet XXX.) sed בן שנה filium anni unius perhibet: simplicissima omnium est explicatio, quæ b. Luthero in versione, Flacio in Clave, b. Glassio in Gramma. S. lib. III. Tract. V. Can. 31. & ex Judæis R. Levi ben Gersom probatur, quod illa temporis notatio ad antecedentia capp. XI. & XII. spectet, quodque ea, quæ de renovatione regni Saulis, protestatione Samuelis, & subsecuto miraculo paulo ante narrata fuerunt, contigerint, *quum filius anni Saul esset in regno*, ex quo nempe in regem unctus, & gratulatione publica assumptus erat: ut, quæ subjunguntur, *& duobus annis regnavit super Israel*, de iis, quæ narrare nunc suscipit, accipiantur, quando nempe milites stationarios sibi elegerit.*

Ee

Vid.



De libro I.
Samuelis.

ex 1. Sam.
V, 5. XXVII,
6. XXX, 25.

ex 1. Sam.
VII, 15.

Vid. b. Calovium in *Chronol. Bibl. T. I. Bibl. Ill. p. 85.* Argumentum itaque adversarii textum plane non ferit, cum nihil minus, quam de numero annorum ætatis Saulis, cum regnum adipisceretur, agat sacer scriptor, sed ista temporis notatio ad ea, uti diximus, pertineat, quæ præcedunt & sequuntur. Sed hæcenus cum Spinoza actum. Nunc & Hobbesius l. *supra* c. libros Samuelis ut novitatis infimulet, phrasin urget illis familiarem: *usque in hodiernum diem*; ex qua constet, multis post Samuelem annis scripta hæc fuisse. Cum primis vero ritum Philisthæis in templo Dagon receptum, & ad hunc diem ipsis solennem, ex 1. Sam. V, 5. in exemplum citat, cui etiam argumento Rich. Simon c. l. p. 54. insitit, uterque illud ab Abarbenele mutuatus. At quando Samuele adolescente (dum in vivis adhuc esset Eli) ea quæ 1. Sam. V. gesta narrantur, evenerunt, commode potuit in senectute sua, qua hæc literis mandabat, observare, ritum, se adolescente susceptum, usque ad hunc diem servari. Nec magis stringit, quod ex c. XXVII, 6. huc refert Simonius & Clericus, *Tziklag Regum Judæ fuisse ad hunc usque diem*; quod non potuisse dici observant, nisi post X. tribuum secessionem, ad quam vixisse Nathanem & Gadum, qui multo grandiores erant natu Salomone, qui per LX. annos regnavit, verosimile non sit. Sed vero tantum huic argumento robur non inesse, ac prima fronte apparet, supra ad Josuam cap. IX. §. 5. sub fin. observavimus, quod dudum ante X. tribuum secessionem, adeoque jam Davidis ætate, distincta pariter ac promiscua Judæ & Israelis mentio populo Dei familiaris esset, quod ex Ps LXXVI, 2. apparet. Adde quod Reges Judæ hic non regibus Israel opponantur, sed pristinis hujus urbis Dominis, Regibus nimirum Philisthæorum; adeoque pro Regibus populi Dei in generali vocis usu dicantur, maxime cum urbem Tziklag Reges Israelis sat prolixo temporis tractu ante Regni divisionem tenerent. Provocat ulterius ad cap. VII, 15. seq. cum Hobbesio Clericus, qui verba ista: *Samuel vero judicavit Israel, per omnes vitæ sue dies. Quotannis autem circumibat Bethel Gilgalem & Mizpat, jusque dicebat Israeli &c.* hominis esse existimat, qui post Samuelis mortem rem præteritam narrat. Qui vero non potuit jam senex Samuel ipse hæc consignare, ita ut, postquam regnum adeptus esset Saul, a jure tamen dicundo se non exclusum, fuisse significet, quin ad extremam senectam quotannis circumiens lites dirimeret, in eo dignitatis & officii gradu ad mortem usque suam periturus? Nec enim præcise *omnes vitæ ejus dies*, intelligendi sunt, cum, quoad Eli sacerdos in vivis esset, judicia ille moderaretur, Samuele adhuc



adhuc disciplinæ ipsius alumno, nec officiorum particeps; a cujus de-
 mum morte hic noster ad id usque tempus, quo hæc scribebat, judicia
 exercuit. Tandem vero miror, Abarbenelis in *Præfat. ad Jos. fol. 3. col. 1*
 elumbe perquam argumentum, ex *1. Sam. VII, 2.* petiti, adoptasse, ex *1. Sam.*
Rich. Simonium c. 1. & ex eo, quod arca fœderis XX. annis in Kirjath-
 Jearim confedisse legitur, colligere, hæc a Samuele scribi non potuisse,
 cum vivente Samuele per XIII. solum annos illic arca constiterit; se-
 ptem vero post ejus obitum annis inde a Davide avecta sit, *2. Sam. VI.*
 At vero, non in universum XX. tantum annis in Kirjath-Jearim conse-
 disse arca hoc loco dicitur, sed annum hunc vigesimum fuisse, ex quo in
 Kirjath-Jearim translata erat, cum lamentaretur omnis domus Israel pres-
 sa a Philisthæis, quia Deos alienos Baalim & Astaroth nondum abdi-
 cassent, ad quos rejiciendos Samuel ipsos hortatur. Idem ergo vigesi-
 mus quoque annus erat principatus Samuelis, ex quo per decennium ad-
 huc populum gubernasse creditur, ut totum præfecturæ illius tempus
 XXX. annis definiatur, in quos Saulis quoque regnum incidisse alibi de-
 monstratur. Arca vero in Kirjath-Jearim totos annos XL. reposita fuis-
 se videtur, quamdiu scilicet præfuerunt Samuel & Saul ad Davidem us-
 que: licet XX. tantum anni lapsi legantur usque ad tempus solennis pœ-
 nitentiæ & conversionis Israelis ad Dominum *1. Sam. VII, 2.* ut adeo
 ex hoc, æque ac præcedentibus locis, solidi nihil contra libri antiquitatem
 colligatur.

IV.

Hi itaque, quibus cum hætenus contendimus, uti omnem Samueli de-
 negant scripturam, sic nec defunt ex adverso, qui alium præterea librum,
 eidem tribuunt, quem injuria temporum deplorant amissum. Cum
 enim *1. Sam. X, 25.* consignasse סֵפֶר מִשְׁפָּט הַמְּלוּכָה *volumen juris*
 s. consuetudinis regni, quod LXX. Scenæ τὸ δῆμομα τῆ βασιλείας dixere,
 & coram Domino reposuisse Samuel legatur, haud una interpretum de
 illo sententia est. Quorum quidem alii, constitutiones pridem a Deo
 per Moysen sancitas *Deut. XVII, 14. sqq.* hoc libro divinum Vatem repe-
 tiisse credunt, conjectura haud adeo probabili, cum Regibus Judæorum,
 singulis liber legis divinæ, & in illo hæc quoque pericopa, jussu Numinis
Deut. I. c. v. 18. describendus exhiberetur, nec nova adeo Samuelis de-
 scriptione opus fuerit. Nec facile crediderim, cum hic liber eorum Do-
 mino asservatus dicatur, eandem Numinis constitutionem, scorsim a
 Samuele exaratam & Deuteronomio insertam, adeoque bis descriptam,

Ec 2

repositi-

Idem quo-
 que Autor
 libri de Ju-
 re Regio 1.
Sam. X, 25.



De libro I.
Samuelis.

repositam in sanctuario fuisse. *Alii* hunc ipsum priorem Samuelis librum h. l. indigitarum cum Seb. Schmidio existimant *Comment. in b. l. p. 286. & quæst. 13. p. 312.* cum tamen, num exaratus eo tempore jam fuerit, non liqueat, nec, quæ in prioribus capp. de Samuelis nativitate, de gestis Eli & filiorum, de Philisthæa arcæ captura & reliqua occurrunt, quicquam omnino ad Jus Regium faciant. Nisi forte horum verba ad illam saltem libri pericopam restringenda sint, quæ 1. Sam. VIII, 11—18. jus Regis complexa, oratione primum declarata, mox & literis consignata, fuit a Samuele; uti quidem e Judæis R. David Kimchi, e Reformatis Hottingerus *Thef. Phil. lib. II. cap. II. Sect. 2. p. 530.* e nostris b. Calovius *ad b. l. b. Carpzovius in notis ad Schickardi* חכ ספ. cap. 2. *Theor. 7. p. 165.* alique bene multi sibi persuadent: at tamen vix vero videtur simile, ספ. s. volumen istud exiguum duntaxat paucorum versuum sectionem continuisse, tum & eandem regni constitutionem, & in I. libro Samuelis, & peculiari scheda descriptam, geminoque adeo exemplo, publice in sanctuario fuisse asservatam. Diversum itaque *alii*, & singularem hunc censent commentarium fuisse, eumque vel ex Josephi *lib. VI. Antiqu. Jud. c. 5.* sententia Propheticum, τὰ μέλλοντα συμβῆσθαι λαῷ, mala illa, quæ ex sveta Regibus licentia eventura in posterum essent, tradentem, ut esset hoc monumentum, ex quo populus sciret, invito Samuele mutatam esse Reipublicæ formam, & si quid mali inde sequeretur, prædictum hoc fuisse ab ultimo Judicium. Non poterant ergo divinam providentiam incusare, quod mutati regiminis penas postea darent; quia Dei jussu a Propheta fuerant præmoniti, nec monenti auscultare voluerunt, juxta Clericum *Comm. in b. l. p. 209.* vel ex Sixti Senensis mente exegeticum, qui, ut *lib. II. Biblioth. S.* in Samuele p. 132. se explicat, institutionem politia Regia traliderit, ac certas leges, quibus ea moderatione regni gubernacula tractarentur, ut neque Rex tyrannidem in populum exerceret, neque populus pro sua libidine Regis imperia contemneret. Quo facere videtur, quod Hottingerus eum de administratione regni egisse fatetur. Nobis, si ubi conjecturis tantum hic locus est, vero videtur cum primis consentaneum, Samuelem statuta Regni Regisque officia, ex Deut. XVII. & 1. Sam. VIII. excerpta, & in certa forte capita distinxisse, & uberiori explicatione atque commentario illustrasse, adeoque hoc volumine *leges Regni fundamentales* complexum, in loco sanctuarii repositum. Quo Grotius *not. ad b. l.* collimat: fuit ædificium, inquit, exstructum super fundamentis, quæ sunt Deut. XVII. 16 seq. Longe ergo latius patebat, quam ut de modo imponendi tributum, & pro

qua



qua causa, & quæ essent proventiones Regis communiter ad sustentandum exercitum, tantum tradiderit, quæ quidem Tostati erat sententia T. VI. Opp. qu. 25. in 1. Sam. X. p. 319. E re enim & Regis erat & populi, uterque ut legem certam descriptam haberet ac normam, ad quam ille quidem potestatis suæ exercitium, hic obsequia sua componeret, nec nova regiminis forma cujusvis permetteretur libidini definienda. Eundem vero postea intercidisse librum, quid mirum? cum ipsa regiminis forma Regiaque dignitas, variis concussa cladibus, interiret, vel in aliam saltem, longeque inferiorem mutaretur, donec omnis Judæorum Respublica, cum Novi Test. auspiciis, strageque ipsorum Romana e medio tolleretur: quanquam incertum sit, quod Hebræorum Magistros tradere Joh. Bodinus memorat lib. I. de Republica c. X. p. 231. a regibus ipsis discerptum eum ac dilaceratum fuisse, ut liberius in suos tyrannidem exercerent. Neque tamen eaproptere Canone periisse liber dicendus est, partim quod forensis ille & Politicus esset, ad Canonem non spectans, partim quod fundamenta ejus ac summa contentorum capita, citatis Deut. & 1. Sam. locis delineata, adhuc supersint. Ipsa siquidem forma libri, & uberior præceptorum illorum deductio, Canonica non erat, forte ne quidem Θεσπις, adeoque interitui obnoxia: secus vero materia & contenta, quæ dictis locis in Canone Scripturæ inviolate asservata, summam exhibentur. Neque vero inde, quod לפני יהוה coram Domino repositus dicitur, colligi statim datur, quod in arca Testamentaria & sacra, una cum ceteris Scripturæ canonicis libris, locum sortitus fuerit hic noster, quod sane vult R. D. Kimchi; cum aliud longe sit coram Domino, aliud ἐν τῇ ἀγίᾳ κρύπτῃ in capsâ testamentaria asservari: verum hoc tantum sequitur, hanc auream velut Bullam regni Judaici in loco publico conventus, h. e. in sanctuario, & forte, quod R. Levi ben Gerson, contendit, לִפְנֵי ה' prope arcam seorsim fuisse asservatam. Confer præter memoratos, ceterosque libri interpretes, D. Jac. Martini de libris Scripturæ perditis §. 82. sqq. & Waltherum Officin. §. 1345.

V.

Historiam populi Dei hic liber continuat, ac Monarchiæ Regiæ, Argumentum Θεσπις, qua per Judicum administrationem gavisi hætenus tum, fuerant, commutata auspiciis & progressus tradit, post excessum Simsonis, in quo Judicum liber substituitur, ab Eli præfectura incipiens, & ad feralem usque Saulis cladem pergens; ita ut duorum postremorum, Juuicum Eli ac Samuelis, duorumque primorum Regum, Saulis & Da-

Ee 3

vidis,



De libro I.
Samuelis.
Scopus.

vidis, illius quidem integra, hujus oppressi saltem, gesta persequatur. Scopus, ut providam Dei curam in apicum ponit, qua ecclesiam suam, mediis in rerum publicarum mutationibus ac turbis, servat & ad posteros transmittit, ac in illustri positam loco infidelibus quoque, eam licet oppugnantibus, adeundam offert; sic ad Christum cum primis tendit, sub Davidis umbra adeo perspicue delineatum, ut coelestis illius Davidis unctionem ad amplissimum regnum, victoriam adversus infernalem Goliathum, humiliationem denique variam ac depressionem, qua defungi prius oportuit eum, quam regnum capesseret, in filio Isai ad oculum videas hoc libro expressam. Confer Ps. II, 6. Jes. XLIX, 24. 25. Luc. XXIV, 26. Quam Messiae in Davide adumbrationem, ut evidentissime hoc libro ob oculos sibi positam intelligerent fideles, consuevit in typis appellationum *ἐν δαυὶδ*, Christum ipsum Davidis nomine haud raro designare Spiritus S. voluit, ut patet ex Psalm. LXXXIX, 4. Jer. XXX, 9. Ezech. XXXIV, 23. 24. XXXVII, 25. Hof. III, 5. Conf. Glassii *Philol. S. Lib. II P. I. Tract. 2. Sect. 4. can. 9. p. 335*. Unde quibus modis nomine, urbe natali, pastore, vita genere, gloriosa regni administratione, persecutionibus quoque, bellis ac triumphis Messiam repraesentavit David, copiose tradunt typorum interpretes, in quibus consulatur Bierman. *Moses in Christ. Lib. I. Cap. XI p. 237*. Præterea quoque in notis, quibus dignosceretur olim Messias, caracteristicis ista præ ceteris observari merebatur, quod Filius Davidis secundum carnem sit futurus, ejusque ex prosapia oriundus, Matth. XXII, 42. Rom. I, 3. Par itaque erat, ut integra de ortu, vita, gestis, regno, familia Davidis historia ad manus esset, nec, circa ortum ac majores Messiae secundum carnem, dubio ullus relinqueretur locus; quo sine hunc cum sequenti librum ecclesiae destinare Spiritum Sanctum voluisse, quis temere negaverit? Verum non omnis hæc est, quæ ex hoc libro redundat, utilitas, sed usque eo patet illa, quo omnis historiae sacra sese porrigit fructus. Hunc pientissimus Brentius noster dum sub auspiciis explicationis hujus libri copiose enarravit, tandem subdit: *Est in his libris (I. & II. Samuel.) tanta vis & copia exemplorum, quibus nunc veritas divinarum promissionum comprobatur, nunc certitudo divinarum minarum declaratur, nunc judicia Dei in impios manifestantur, nunc misericordia Dei in credentes ostentatur, ut vix fieri possit, quin studiose legendo, aut lectorem ac interpretem diligenter audiendo, ab impietate non deterrearis, & ad pietatem non inviteris, aut antea invitatus, non confirmeris. homil. I. p. 202. Tomi II.* Speculum nimirum hic liber virtutum & vitiatorum præbet, in quo

Utilitas.



quo varium & mutabile hominum comparet ingenium, qui novandarum rerum cupidi, prisci autem integrique moris pertæsi, adversæ suæ fortunæ ipsi sunt fabri: porro, exemplo filiorum Eli ac Samuelis, heroum filios noxas; exemplo Davidis, perpetuum virtutis gloriæque comitem invidiam esse; exemplo Saulis, expulso per flagitia Spiritu Sancto malignum e vestigio Spiritum cor occupare: item in desperationem tandem præcipientes agi impios, ubi adversa urgentur fortuna; exemplo Davidis rursus, impiorum neque potentiam summam, neque astutiam adversus pios Deo confisos, valere quicquam docet, & alia multa in vitam humanam perquam utilia, quæ in commentariis prolixè declarantur. Ut taceam ecclesiæ Novi Test. fata sub Davidis exilio, & Anti-Christi tyrannidem sub Saulis impietate, ex nonnullorum sententia typice fisci ap. Burmann. sub fin. lib. I. Sam. *Comment. p. 334.*

VI.

De Canonica hujus scripti autoritate tot præsto sunt argumenta, quot locis Spiritus S. testimonia ei luculenta perhibuit. Universum, sane Psalmorum Codicem si conferas, lucem ille sibi & velut clavem ex Samuelis libris poscit, absque quibus si esset, nec titulos hymnorum complurium, nec ipsum eorum textum assequi satis & interpretari possemus. Ita nimirum

Autoritas
divina &
Canonica,

Psalm. III. lucem sceneratur ex 2. Sam. XV, 16.

VII. — — 2. Sam. XVI, 5. seq.

XVIII. — — 2. Sam. XXII.

XXXIV. — — 1. Sam. XXI, 10. seq.

LI. — — 2. Sam. XII.

LII. — — 1. Sam. XXII, 9.

LIV. — — 1. Sam. XXIV, 1.

LVI. — — 1. Sam. XXI, 11. seq.

LVII. — — 1. Sam. XXII, 1. XXIV, 4.

LIX. — — 1. Sam. XIX, 11.

LX. — — 2. Sam. VIII, 13. X, 13. 18.

LXIII. — — 1. Sam. XXIII, 14. XXIV, 1.

Cum enim in Psalmorum interpretatione eorum tituli, monente b. Balduino in *Jdea Disposit. Biblic. P. II. cap. 5. § 2. p. 100.* diligenter sint inspiciendi, *tangam claves future explicationis, unde argumentum Psalmi liqueat*, unde quæso, sensum eorum & velut commentarium petere licebit, præterquam ex Samuelis libris? Quos ad partem Canonis principem

pem



De libro I.
Samuelis.

perit explicandam & comprobandam adeo necessarios, patet & ipsos ad Canonem spectare, ejusdemque cum Psalmis autoritatis esse & ponderis. Sed & Paralipomenon liber prior adeo manifestus ad hos libros indicium respicit, horum ut autoritate suam tueatur fidem c. XXX, 29. seq. Varia porro testimonia, ad conciliandam aliis Scripturæ locis fidem, inde petita fuisse obervantur: quæ enim Ps. CXI, 7. 8. leguntur, haud obscure ex 1. Sam. II, 8. deprompta videntur; sic & quæ 1. Reg. II, 27. de Abjathare a sacerdotii gradu dejecto leguntur, ex 1. Sam. II, 31. seq. ut confirmantur necesse est; illud quoque, de obedientiæ præ victimis præstantia, apophthegma, apud Oseam c. VI, 6. & Matthæum c. IX, 13. XII, 7. recurrens, ex Samuelis ore primum prodit 1. Sam. XV, 22; magna porro pars eorum, quæ Ps. LXXXVIII, 27. seq. deprædicantur, ex illustri illo vaticinio 2. Sam. VII, 12. seq. promanavit. Huc præclaram Dei O. M. promissionem Ezech. XVIII, 32. XXXIII, 11. multi interpretum referunt, & ex 2. Sam. XIV, 14. deducunt. Cum primis vero divinam huic libro autoritatem conciliat ipse Filius Dei, cum adversus sparsas in discipulos, adversariorum criminationes Matth. XII, 1-4. vindicias ex hoc præ ceteris libro peteret 1. Sam. XXI, 6. illaque Davidis irrefragabili instantia Phariseorum os obturaret. Tam arcte itaque hic liber reliquo Canoni innexus est & implicatus, ut fieri non possit, quin & ipse Θεόπνευστος & Canonicus divina fide, quam intrinseca & innata sibi virtute apud legentes conciliat, recipiatur.

VII.

Chronologia.

Temporum ratio ex argumento libri facili negotio putatur. Ab excessu enim Simfonis, unde noster orditur, ad mortem usque Saulis, in quo liber desinit, octoginta fluxisse annos, eorumque partem dimidiam præfecturæ Eli assignandam esse, ex 1. Sam. IV, 18. dimidiam posteriorem Samuelis & Saulis regimini tribuendam, ex Act. XIII, 24. intelligitur. Uti vero de priori quadragenario dubium nullum est, sic circa posteriorem inter Samuelem ac Saulem rite dispescendum, disconvenit inter eruditos. Qui enim XL. anni loco cit. Act. memorantur, soli Saulis regno tribui omnes (quod quidem magnus vult Usserius *Annal. Vet. Test. I. p. 48.*) ideo non possunt, quia simulac rejiceretur a Domino Saul, David in ipsius locum a Samuele ad regnum unctus legitur 1. Sam. XV, 26. 28. XVI, 13. quem tamen triginta saltem annos habentem regium occupasse solum, ex 2. Sam. V, 4. discimus. Cum ergo anno regni secundo divina illa Saulis reprobatio contigisse credatur, octo adhuc requirebantur.



tur anni, antequam nasceretur David, si XL. annis præfuisse Saul dicatur. Neque tamen Hebræorum sententia, quam in *Seder Olam* c. 53. tradunt, suoque dignam calculo existimarunt Gerhardus Mercator, Arias Montanus, Adrichomius & Sanctius, quasi per biennium tantum regnum Saul tenuerit, firmo stare talo potest, si tot Saulis prælia, tot res gestas consideremus, quibus tantillum temporis spacium suffecisse credibile non est; & cum sexagenario major obierit Saul, quia Isboseth filius ejus, occiso Patri jam quadragenarius suffectus est 2. Sam. II, 10. ista unctionis & inaugurationis Saulis historia & circumstantiæ, propecta adeo ætate, regno demum admotum eum non patiuntur. Unde communi fere consensu in hanc eunt sententiam interpretes ac Chronologi, quæ Samuelis solitario principatui 30. Saulis vero regno 10. tribuit annos, quorum octo cum Samuele habuit communes, quibus suas ille in judicando populo partes obiit 1. Sam. VII, 16. defuncto autem Samuele, biennio solus rerum potitus est; qui omnes junctim 40. annos conficiunt. Sic David biennio post creatum Saulem Regem unctus, annos natus fuerit 22: annorum nimirum triginta, cum Sauli in regimine succederet, viginti autem quatuor, secundum b. Lutherum, annorum cum Goliathum sterne-
ret gigantem. Quibus præmissis calculum ita ponimus:

A.O.C.	A.Exodi	
2869	357	Eli præfecturam nactus, durante adhuc Philistæa oppressione, judicavit Israel annis XL. 1. Sam. IV, 18.
2909	397	Samuel defuncto Eli Pontifici & Judici succedit.
2919	407	Davidem natum fuisse ex 2. Sam. V, 4. colligitur, triginta nimirum annis, ante quam Sauli in regno succederet.
2939	427	magna ista imperii Israelitici mutatio contigit, primusque Rex <i>Saul</i> constituitur, rerum potitus per annos X.
2941	429	biennio post Saulis Regis creationem, David annos natus 22. a Samuele ungitur 1. Sam. XVI, 13.
2943	431	David 24. annos habens Goliathum prosterbens, fama ac autoritate pollere incipit 1. Sam. XVII.
2947	435	Samuel moritur, præfecturæ suæ anno 38. biennio ante Saulis mortem.
2949	437	Saul occiditur cum filiis in clade Philistæa, 1. Sam. XXXI. VIII. Ca.



VIII.

Capita liber habet XXXI. versiculos 797. Ceterum universam hanc historiam in tres communiter partes dirimunt interpretes, ordine tamen non omnes eodem. Tertium nimirum virorum illustrium vitas hic describi ac res gestas cernunt; adeoque b. Balduin. *Idea disposit. Biblic. P. II. cap. 4. §. 2. p. 88.* P. I. Samuelis Prophetæ historiam comprehendit tradita cap. I. ad X. Parte II. Saulis exaltati & inaniti a c. XI. usque ad libri finem: Parte III. Davidis exinaniti a cap. XVI. usque ad finem. A quo non multum abeunt b. Waltherus *Offic. §. 816. p. 939.* & b. Calovius *præf. ad b. l. p. 741.* quibus Pars I. historiam Samuelis expedit usque ad c. IX. Pars II. vitam Saulis describit electi & probati, a c. IX. ad c. XVI: Pars III. historiam ejusdem rejecti & reprobati, quæ cum persecutionibus Davidis conjungitur c. XVI. usque ad finem. B. Sebast. Schmidius *Comm. in b. l. p. 4.* Samuelem tantum hic nominat & Saulem, *διὸ τοιούτων* amplexus, quam nec sibi improbari jam ante testatus fuerat Calovius. Atque hi quidem omnes, præterito Eli Pontifice, quæ de ipso narrantur, ad Samuelis referunt ortum, educationem, vitamque privatam: cum vero temporum in rebus publicis signandorum interval- la, non tam personarum, quam imperiorum ætatibus distingui soleant, vel ut in Judicum libro secundum singulorum Judicum regimina, in Regum annalibus secundum regni cujusque annos, in Romana quoque historia prisca, secundum Consulatus periodos metimur; magis eorum nobis arrisit partitio, qui Eli præfecturam diserte connumerant, & P. I. faciunt rerum sub Eli c. I—IV. P. II. rerum sub Samuele c. V—XII. P. III. rerum sub Saule gestarum c. XIII. ad fin. quæ Franc. Burmanni *præfat. in b. l. p. 3.* & Heideggeri distinctio est *Enchir. c. 10. §. 5. p. 80.* in qua & nos acquiescimus.

IX.

Tabula Syn- Tradit itaque liber I. Samuelis
optica.

I. res sub ELI Pontifice & Judice gestas: ubi

a) Samuelis ortus

1. qua circumstantias descriptus c. I.
2. carmine Hannæ celebratus c. II, 1—10.

b) Eli interitus

1. peccatis filiorum, & indulgentia Patris provocatus v. 11 — fin.
2. per Samuelem, recens vocatum, prædictus c. III.
3. infaussto cladis Israeliticæ nuncio consummatus c. IV.

II. Res



II. Res sub SAMVELE Propheta & Judice gestas, ut sunt

- a) cultus publici restauratio, per
1. arcæ captæ reditum, cujus
 - a. causa & occasio, prostratio Dagonis & afflictio Philistæorum c. VI.
 - b. actus & circumstantiæ c. VI.
 2. populi solennem pœnitentiam c. VII, 1—6.
- β) securitatis publicæ restitutio v. 7—fin.
- γ) ~~Samuelis~~ in Monarchiam Regiam transmutatio, ubi
1. antegressa regis postulatio & Jus regium c. VIII.
 2. Saulis asinas quærentis ad regnum destinatio c. IX.
 3. Regis tam privata, quam publica inauguratio c. X.
 4. fortitudinis Regiæ per victoriam de Nahafo demonstratio c. XI.
 5. Samuelis publica resignatio c. XII.

III. Res sub SAULE, Regum primo, gestas, & quidem

- a) ante ejus reprobationem; ubi
1. victoria adversus Philistæos: ubi
 - a. motum bellum & inauspicatum Saulis sacrificium c. XIII.
 - b. victoria audaci Jonathanis consilio coepta, & Saulis persecutione consummata c. XIV.
 2. victoria adversus Amalekitas c. XV.
 - a. divinitus imperata v. 1—3.
 - b. feliciter peracta v. 4—8.
 - c. illegitime, & cum jactura successionis in regno, usurpata v. 9—35.
- β) post ejus reprobationem; ubi
1. Successoris divina destinatio & unctio c. XVI. 1—13.
 2. Saulis a Spiritu maligno agitatio v. 14—fin.
 3. conceptum ex victoria contra Goliathum, adversus Davidem odium c. XVII, & c. XVIII, 1—9.
 4. persecutio Davidis a Saule varia
 - a. tentata, CC. præputiorum Philistinorum postulatione c. XVIII, 10. seq.
 - b. illata
 - α. Lanceæ iterata jaculatione c. XIX, 1—10.
 - β. apparitorum emissionem v. 11—24.
 - c. lenita aliquantisper per fœdus cum Jonathane pactum c. XX.



De libro I.
Samuelis.

- d.* aucta publice variis modis ac temporibus, ubi Davidis
N. fuga ad *Abimelechum*, ejusque proditio a Doëgo facta
c. XXI. v. 1—9.
- d.* fuga *Gathum*, periculumque amentiae simulatione elu-
sum v. 10—*fin.*
- d.* fuga ad speluncam *Adullam*, ad Moabitas & in Judæam
c. XXII.
- f.* captivatio *Kegila* destinata c. XXIII, 1—13.
- f.* apprehensio in deserto *Mabon* divinitus impedita
v. 14—*fin.*
- e.* exprobrata & agnita in deserto *Engedi*, post servatum a Davi-
de Saulem in spelunca c. XXIV.
- f.* exasperata ferocitate Nabalis c. XXV.
- g.* continuata post Ziphæorum prodicionem, & denuo agnita
c. XXVI.
- b.* elusa per fugam Davidis ad Achis c. XXVII.
5. Saulis novissima, & funestus interitus: ubi
 - a.* a spectro Endoræo facta prænunciatio c. XXVIII.
 - b.* Davidis circa illum innocentia, utpote
N. e castris Philistæorum dimissi c. XXIX.
 - d.* vindictam de Amalekitis, Ziklagum incenditibus, su-
mentis c. XXX.
 - e.* Saulis *ἀντοχέπια* c. XXXI.

X.

Commen-
tarii Pa-
trum:

Græcorum Patrum vix duo reperio nomina, quæ in interpretibus librorum Samuelis locum tueantur; THEODORETI nimirum, cujus in IV. libros Regum quæstiones *T. I. Opp. P. I. p. 231—335.* leguntur; & PROCOPII GAZÆI, cujus *Scholia in IV. libros Regum*, Ludovico Lavatero interprete, Octateucho ejus Tiguri A. 1555. edito, subjuncta conspiciuntur. ORIGENIS autem duæ tantum homiliae ætatem tulerunt; quarum altera in priora lib. I. Sam. capp. *de Helcana, & Fenenna, & Anna & Samuele, Hely & Ofni & Fincez*, ut habet inscriptio, ex versione Rufini latine saltem extat *T. I. Opp. Lat. f. 186.* in dubium quidem vocata ab Andr. Riveto, at Adamantio adferta ab Huetio, *Origenian. L. III. Selt. 3. §. 5. p. 246:* altera in I. Sam. XXVIII. de Engastrimytho, a Leone Allatio e Vaticanæ Bibliothecæ tenebris in lucem protracta & latinitate donata, in Huetiana Opp. Origenis editione f. 28. sq. exhi-



exhibetur. E Latinis AMBROSIVM huc referri video, non quod integrum in Samuelem Commentarium composuerit, sed quod ejus *Apologia Sancti David T. IV. Opp. p. 377.* tum & *de interpellatione David liber p. 408.* ac tandem *liber unus de Salomone p. 417.* quinque complexus capita, aliquid forte huc faciant: & AVGVSTINVM, ob *librum questionum Veteris & N. Test. T. IV. Opp. p. 697.* obvium, in quo e Samuelis libris pauca tangit. Plenior in libri I. Sam. capp. XVI. priora GREGORII M. commentatio extaret, *T. III. ab init.* conspicua, si modo Gregorii esset, quod editionis Parisiensis A. 1675. curator, Petrus Gussanvillæus, in præfatione præmissa compluribus in medium allatis argumentis negat. S. PATERII tamen collecta ex Gregorii M. sententiis & scriptis expositio super quatuor libros Regum, eodem *T. III. Opp. Gregorii p. 630.* traditur. In ISIDORI HISPALENSIS *Opp. p. 337.* Commentariorum libri quatuor occurrunt in omnes libros Regum ad Orosium scripti, quos tamen Vir Doctissimus Guiliel. Cave in *Histor. Literar. Scriptor. Eccl. ad A. C. 420. p. 222. & ad A. 595. p. 306.* ad Seniores illum Isidorum, Cordubensem Episcopum, autorem refert, æque ut ante ipsum Phil. Labbe de *Scriptorib. Eccl. T. I. p. 645.* inductus uterque autoritate Flavii Dextri in *Chronico ad A. 388. 423. & 430.* & Sigeberti Gemblacensis *lib. de Script. Eccl. c. 51.* Istam vero plane nullam esse Pseudo-Dextri fidem, nec Sigeberti assurgendum traditioni, scriptoris nempe seculi duodecimi, idoneis antiquitatis monumentis plane destituti, novissime docuit Joseph. Saenz de Aguirre in *Collect. Conciliorum Hispanie T. I. Dissert. I. excursu I. p. 33. §. 6.* ubi Cordubentem Episcop. Isidorum, quem nemo veterum norit, explodit ac Hispalensi Commentarios in libb. Regum restituit. EVCHERII Lugdunensis in *libros Regum Commentarius, T. VI. Biblioth. P. P. Max. f. 939. seq.* sistitur, communi tamen eruditorum suffragio, Eucherii nomen falso in fronte gerit, quod Gregorius M. & Cassiodorus ibi citantur, Eucherio longe ceteriores. Hujus ergo Scriptorem Andr. Schottus *Biblioth. PP. Max. c. I. p. 823. b.* Gregorio *ὁ ὑπογραφεύς* fuisse, & Anglum censet; nec tamen Venerabilem Bejam, quod Sixtus Senensis conjicit quidem *lib. IV. Biblioth. S.* quod Beda integro propemodum seculo b. Gregorio posterior vixerit. Ipse vero BEDA in librum I. Samuelis *allegorica expositionis libros quatuor* admodum copiosos struxit, *T. IV. Opp. p. 2. 8.* obvios: præterea quoque *questionum XXX. librum unum* in Regum libros omnes *p. 441.* post se reliquit. HIERONYMO in *librum Regum præfatio* accepta-

Ff 3

fertur



De libro I.
Samuelis,

fertur *T. IV. Opp. f. 7. a.* insignis illa quidem utilitatis, quod Sacrae Scripturae voluminum velut indicem reddit, & qui Canonici ejus libri sint, qui Apocryphi, distincte docet. Qui vero in *libros Regum Commentarius sub questionum seu traditionum Hebraicarum* nomine *T. IV. Opp. ejus f. 104 sq.* compareret, ex Erasmi judicio, parum liquet quo auctore scriptus sit, nisi quod probabile sit, quaedam ex Hieronymi commentariis, quos in praefatione pollicetur, per studiosum quempiam decerpta fuisse. Hinc in indice generali scriptorum Hieronymi, Tomo I. praemisso, hunc librum inter ἀμφοτέρωθεν ῥηθὲς refert, suamque de illo mentem ita explicat: *Quaquam Hieronymus in praefatione, quam praefixit traditionibus Hebraicis in Genesim, polliceri videtur, se similia traditurum in omnes S. Scripturae libros, tamen mihi non videtur hoc opus esse Hieronymi, quamvis eruditum & ad cognitionem S. Scripturae vehementer conducibile. Primum nulla praefatio testatur auctorem: deinde stylus dilutior est ac facilius Hieronymiano. Ad haec Hieronymus diligentius docet, & plus inculcat graecarum & hebraicarum, vocum significata. Postremo hic, quisquis fuit, alicubi propemodum fatetur, se nescisse hebraicum. Proinde, an haec graeco, fortassis Eusebii, doctus aliquis verterit, an ex Hieronymianis & aliorum commentariis collecta sint, omissis his, quae lectorem latini tantum sermonis gnarum, torquere poterant, aliis conjectandum relinquo.* RVPERTVS Tuitiensis huc quoque spectat, cujus jam saepe facta est mentio.

Rabbino-
rum:

E recutitae gentis doctoribus evolvendi sunt ad Samuelis libros illorum commentarii, quos *supra p. 35. seq.* in totum V. T. tum & quos *cap. IX. §. 11. p. 163.* in Prophetas Hebraeis priores dictos, allegavimus; praeter quos מדרש שמות f. allegoricus ille & homologeticus in. Samuelem Commentarius, Venetiis ap. Bombergum excusus in fol. A.C. 1546. huc spectat. Huc Bartoloecius etiam refert aliud מדרש שו"ר ר' יצחק בן שמשון f. commentarium ר' R. ISAACO BEN SIMSONIS auctore (vel continuatore potius, qui additiones adjecit) in. Psalmos conscriptum, in ejus calce explicatio Proverbiorum Salomonis, & librorum Samuelis subnexa conspiciatur, Pragae in fol. A. 1613. de quo conf. Placcii *Theat. Anonym. p. 704. n. 254.*

Lutherano-
rum:

Verum interpretis expectationi magis respondebunt nostratium Theologorum in hunc librum curae, JO. BRENTII, qui Samuelis librum priorem ad XIX. cap. sexaginta sex homiliis satis copiosis, quod autem libri reliquum est, usque ad finem, ut & totum posteriorem, scholiis paulo concisioribus explicavit, *T. II. Opp. p. 200. seq.* JO. BV-

GEN-



GENHAGII, cujus in Sam. annotationes in 8. Basileæ A. 1524. & insequente anno Argentorati impressæ, prodierunt: MAVRIT. HE-
LINGII, cujus Periocha in libb. Samuel. Noribergæ in 8. A. 1593. lu-
cem vidit: ABELIS NEZENII, in Operation. Biblicar. b. Lutheri
P. II. Jenæ in 4. A. 1611. SEBAST. LEONHARTI, in *Στοιχειωσις*
in Sam. Erphordia in 8. A. 1606. & Lipsiæ A. 1610. 1614. JUSTI MOE-
NII, in Comment. in libb. I. Sam. Wittebergæ in 8. A. 1532. HIERON.
WELLERI, cujus Comment. in Libb. Sam. seorsim Francofurti ad
Moenum in fol. A. 1585. editus, collectorum Operum T. I. auspicatur:
& cumprimis SEBAST. SCHMIDII, cujus commentarius in I.
lib. Argentorati A. 1687. in II. lib. A. 1689. excusus in 4. præter singulo-
rum capitum accuratam analysin, annotationes, quæstiones, & Locos
Communes exhibet, nihilque fere desiderari patitur. Homiliis verna-
culis librum enarravit priorem MOSES PFLACHERVS. Tubingæ
in fol. A. 1603. & DAN. WÜLFFER, qui Saulis regnum & vitam a
cap. IX. ad fin. libri, CC. homiliis recensuit: utrumque vero BAL-
THASAR BIDE MBACH, qui 136. in I. lib. & 140. in II. concio-
nes struxit, Tubingæ in fol. 1605. & PAVLVS LAVRENTIVS,
homiliis 281. Lipsiæ in fol. 1615. 1616.

E Pontificiis nominandi hoc loco sunt ANGELOMVS, Mo- Pontificis-
nachus Gallus, Seculi IX. qui Stromata sive enarrationes ex veterum Pa- rum:
trum scriptis in libros Samuelis, Regum, & Paralipom. collegit, Romæ
in fol. 1565. & Colonia Agrippin. A. 1530. & 1678. ANTONINVS,
Archiepisc. Florent. in opere *Chronica*, jam ad superiores libros citato:
ALEXANDER ARCHIROTA, Italice in hos lib. Florentiæ A.
1581. 1583. commentarios struens, qui Oxon. in fol. A. 1635. latine lucem
viderunt: JACOB. BONFRERIVS, Commentarios in IV. libros
Regum, Tornaci in fol. A. 1643. publici juris faciens: NICOLAUS
CAVSSINVS, Soc. J. dissertationibus in IV. libb. Reg. Parisiis in fol.
A. 1650: HADRIAN. CROMMIVS, S. J. Lovanii in 4. A. 1631.
ALEXANDER de HALE S, cujus in h. l. Commentarius extat suo
loco in Operibus Colon. in fol. 1621. JO. RVDOLPH. a CORDV-
BA, qui *Catenam* Proonymam versionum, glossematum SS. Patrum ve-
terum, & nestericorum interpretum, Hebræorum, Græcorum, Latino-
rum in IV. libb. Regum, Lugduni evulgavit in fol. A. 1652. CORNEL.
JANSENIVS, cujus tamen curæ cap. II. libri I. Sam. saltem expli-
cant, in Opp. Lugduni in fol. A. 1577. æque ac JAC. JANSONIVS,
enar-



enarrationem hujus capitis, Exodi cap. XV. & Deut. XXXII. junxit, Col. fol. A. 1622. THOMAS MALVENDA, cujus in Commentarior. Tomo II. libri Samuel, explicantur: FRANCISCO de MENDOZA, S. J. cujus in lib. I. Sam. c. I. & II. expositio integro volumine lucem vidit Lugduni in fol. 1622. in capp. 6. seq. Tom. II. ibid. 1625. in reliqua capp. usque ad 15. inclusive Tom. III. ibid. 1634. EMANUEL de NAXERA, S. J. qui A. 1672. *excursus morales in L. I. Samuelis* Lugduni in fol. edidit, ex Glossa, Tostato, Hugone, Cajetano & Sanctio collectos: FABRIC. PAVLIVS, Romæ in f. 1625. CLAVDIVS RANGOLIVS, cujus in lib. I. Samuel. Commentar. Parisiis in fol. prodit A. 1621. CASPAR SANCTIVS, qui copiosos in IV. libb. Regum Commentarios edidit, Lugduni in fol. 1623. NICOL. SE-RARIIVS, cujus in IV. libb. Regum & Paralipp. Commentarius posthumus Moguntiae prodit in fol. 1617. ALPHONSVS TOSTATVS, in Commentariis, Venetiis excusis: LVDOVICVS de VERA, in IV. libb. Regum, Limæ in fol. 1635. RICHARDVS de S. VI-CTORE, cujus concordia temporum in IV. libb. Reg. est in Opp. Venetiis in fol. 1592. BASILIVS ZANCHIVS, qui quaestiones in IV. lib. Reg. & Paralipp. scripsit, Romæ in 4. A. 1553. Quo pertinet etiam JOANNIS HIERONYMI SOPRANIS, Genuensis e Soc. Jes. in *Davidem Commentarius*, complectens ab 1. Sam. XVI. usque ad 2. Sam. X, 19. textus omnes, qui ad Davidis historiam pertinent. Cui praemissa est annotatio Proœmialis de origine populi Judaici p. 1—28. & sub-junctæ digressiones (1) de re vestiaria & vario indumentorum genere apud Judæos p. 311—459. (2) de ritibus in prisco Hebræorum funere servatis p. 460—528. (3) de publico & privato luctu & ritibus in utroque servatis p. 529—555. in quibus singulis loca Scripturae utcumque huc facientia erudite explicantur. Prodit opus Lugduni in fol. A. 1643. Adde HIEREMIÆ DREXELII *Davidem*, capitibus XXXII. universam vitæ Davidis historiam illustratam *T. II. Opp. Opusc. XII. p. 1131.*

Reformato-
rum:

E Reformatis huc spectant MART. BORRHAVS, alias CELLARIVS, Basileæ in fol. 1577. JO. CALVINVS, cujus CVII. homilias in I. librum Samuelis, ab ipsius concionantis ore exceptas, ac ex lingua Gallica in Latinum sermonem a Davide Claudio editas, Tomi II. Opp. pars prior exhibet. Præfatio testatur, Calvinum has Gallicas in I. Sam. conciones pauperibus peregrinis, tanquam thesaurum, quem nulum alium habuerit moriens, legasse, quæ a Diaconorum Genevensium collec-



collegio, quod peregrinorum pauperum specialem curam gesserit, diu asservatæ tandemque in lucem emissæ sint. FRANCISCUS BURMANNVS, Trajecti ad Rhen. in 4. A. 1683. RVDOLPHVS GVALTHERVS, monamachiam Davidis & Goliath allegorice expositam tantum tradit, in Opp. Tiguri 1594. JO. COCCEJVS, præter canticum Hannæ r. Sam. II. hos libros intactos reliquit. PANTALEON CANDIDVS, Theologus Bipontinus, orationes funebres ex libris Samuelis, Regum &c. concinnatas, Basileæ edidit in 8. 1608. LVDOVIC. LAVATERVS, partem libri attigit homiliis decem, de vita & obitu Nabalis, quas germanice ab ipso habitas Joannes Pontifella latinitate donavit ac edidit Tiguri in 8. A. 1586. PETRVS MARTYR vero in utrumque librum integros concinnavit commentarios, Tiguri in fol. 1564. 1595. CONRADVS PELLICANVS, cujus in Opp. Tiguri A. 1582. Commentarius quoque est in libb. Sam. VICTORINVS STRIGELIVS, commentario in libb. Samuel. Reg. & Paralipp. chronologiam adiecit in historiam regni Judæ & Israelis, a Saule usque ad exilium Babylonicum, Lipsiæ in fol. A. 1591. CHRISTIAN. SCHOTANVS, in *Bibliotheca historiae S. V. T. Tomo II. p. 518—745*. Samuelis præfecturam & regnum Saulis atque Davidis ad ductum libb. Samuel. historice explicat. JO. WOLFFIVS, ultimam saltem XIV. capp. libri II. Samuelis pericopam interpretatus est in fol. Heidelb. 1599. ANDREAS WILLETVS, Anglus, sermone vernaculo Harmoniam historię consarcinavit, *Harmony of Expositions upon the first booke of Samuel*, Cantabrigiæ in fol. 1614. Cui recentior addatur Anglus JOSEPH. HALL, in *Biblischen Gesichten P. I. p. 938—959. & P. II. p. 1—292. & in librum posterior. Sam. P. II. p. 293—512*.

E Remonstrantium cœtu JO. CLERICVS huc spectat, de quo *Remonstrantium*, in præcedd. dictum.

CAP. XIII.

De libro posteriore Samuelis.

Hic cum præcedente apud Hebræos unum constituit Samuelis librum, quem in duos dispeſuerunt Græci, illosque secuta ecclesia Latina. Inſcriptio & auctor ministerialis. §. I. Scopus ac utilitas. Argumentum. Autoritas divina §. 2. Chronologia §. 3. Partitio §. 4. Tabula Synoptica §. 5.

G g

§. I. Quem

Summari-
um capituli.

Hic liber ad
preceden-
tem perti-
net.

Quem moderni Bibliorum codices distinctum a priore, & posteriore numerant Samuelis librum, prisca Hebraei unum, cum priore fecerunt, nec aliter primitivā ecclesia a Synagoga traditum accepit, quam ut unum tantum Samuelis, unum Regum, unum Paralipomenon librum numeraret. Hinc enatus ille XXII. nec non XXIV. librorum V. T. numerus apud Hebræos solennis, quo de *supra* actum est c. II. §. 3. p. 24. Talmudistæ sane unius tantum Samuelis voluminis, in singulari mentionem faciunt, cum de autore inquirunt: שמואל כתב ספרו *Samuel scripsit librum suum*, non libros: quod ne respectu prioris tantum ita dictum existimes, mos gentis prohibet, quæ nunquam in plurali Samuelis libros citat. Quod nec ecclesiæ vetustioris dissidentur Patres, græcæ licet Codicis lectioni & librorum distributioni adsveti. Ita signatis verbis Autor Synopseos Athanasianæ *Opp. T. II p. 61. Βασιλειῶν πρώτη καὶ δευτέρα, εἰς ἓν ἀριθμώμεναι βιβλίον, Regum primus & secundus in unum computantur volumen: & rursus: Βασιλειῶν τρίτη καὶ τετάρτη εἰς ἓν πάλιν ἀριθμώμεναι βιβλίον, Regum tertius & quartus, & ipsi pro uno connumerantur volumine.* Sic ante Athanasium Origenes in expositione primi Psalmi, qua indicem librorum excerptum & servatum ab Eusebio l. VI. *Hist. Eccl. cap. 25. idem testatur: Βασιλειῶν πρώτη, δευτέρα, παρ' αὐτοῖς ἐν Σαμουὴλ, ὁ θεὸς αὐτῶν. Regnorum liber primus & secundus, qui apud eos (Judæos) unicum volumen constituunt, quod dicitur Samuel, hoc est, vocatus a Deo.* Et Hieronymus *Præfat. in libb. Regum T. IV. f. 7. b.* ubi ex Hebræorum traditione libros Biblicos recenset: *Tertius, inquit, sequitur, Samuel: quem nos regnorum primum & secundum dicimus. Quartus Malachim, id est, Regum: qui tertio & quarto regnorum volumine continetur.* Ubi tamen dissimulandum non est, Patrum vetustissimos distinctim quoque hos singulos frequenter allegare, velut Melito ille Sardenis, eo fine in Orientem profectus, ut sacrorum librorum numerum accurate investigaret, apud Eusebium *Lib. IV. H. E. c. 26. Βασιλειῶν τέσσαρα*, ex distributione nimirum LXX. Senum, numerat. Unde conficitur, Samuelis, Regum ac Paralipomenon singulorum in binos divisionem, græcæ, quæ LXX. Senum, nomine circumfertur, versionis autoribus vel interpolatoribus acceptam esse ferendam, unde vetustissimi Patres eandem hauserunt, ut quos ab Hebræis singulos Samuelis, Regum &c. libros acceperant, ex Græcorum

rum disciplina in IV. Regum & duos Paralip. discescerent. Ex quo porro consequitur, eodem hunc cum priore, Samuelis, nomine venire, non quod eum autorem agnoscat, non quod de ipso agat, sed quod unus sit cum priore, easdemque adeo eum illo denominandi rationes admittat. Hinc &, quæ de Autore libri diximus *cap. præc. §. 2. seq.* huc redeunt, nec est, quod superaddamus.

II.

Nec dispar de scopo ac utilitate hujus libri judicium erit ferendum, ab eo, quod *cap. præc. §. 5.* tulimus. Argumentum vero in unius Davidis REGIS enarrandis gestis versatur, *quomodo David subinde, quasi per gradus in regnum suum, antea promissum, ascenderit*, ut b. Brentius sub auspiciis Scholior. in b. l. p. 727. monet. Electum enim & persecutiones passum prior descripserat: hic vero, regnum capessentem & administrantem, a morte Saulis ad extrema sua, Davidem sistit, simulque translata a familia Saulis ad Davidem ejusque posteros, a tribu Benjamin ad tribum Juda, regni historiam exponit, illustriumque Jacobi Patriarchæ Gen. XLIX, 8. 9. 10. & Moysi Deut. XXXIII, 7. vaticiniorum complementum tradit. Divinam porro & canonicam libri auctoritatem quam abunde comprobent ea, quæ *c. præc. §. 6.* in medium sunt prolata; firman tamen præterea, non tantum vaticinii de extruenda a Salomone Æde Domini eventus, 1. Reg. VI. VII. VIII. comprobatus, ubi cum primis 2. Sam. VII, 2—13. diligenter & exacte conferri meretur cum 1. Reg. VIII, 15—26. ut & insignis illa cum Chronicorum libris harmonia; sed sanctissima cum primis & divina prorsus de Messia ex Davidis semine nascendo oracula, 2. Sam. VII, 12. 13. 14. 19. & c. XXIII, 1. seq. quorum prius Paulus ad evincendam æternam Christi Deitatem Hebr. I, 5. adhibet, divinumque illi robur ad ingenerandam hominibus fidem inesse tradit. *Hoc maxime omnium, inter alia, quæ in his libris scripta sunt, velut Sol inter reliquas cæli stellas elucet, atq; splendore clarissimo emicat, quod promissio Davidi de Jesu Christo Domino nostro facta, in secundo illo Regum lib. c. 7. continetur. — Et hæc est illa promissio, qua toties in adversis confidit David, quam toties in Psalmis suis repetit, e qua velut e copia cornu, Propheta innumerabiles, easque egregias, & omnis spei atque consolationis plenissimas de Christo, redemptione & justitia nostra, conciones texunt, rursus commentatur ex vero b. Brentius bom. I. in lib. I. Sam. p. 202. Vindicias autem loci de Messia, non de Salomone accipiendi, amplissimas & irrefragabiles videt ap. Calovium Bibl. Ill. b. l. T. I. p. 763. seq.*

Gg 2

III. Tem-

De libro II.
Samuelis.
Inscriptio
libri:

Autor:

Scopus ac
Utilitas.
Argumentum,Auctoritas
divina:

Chronologia.

Temporum porro ratio circa hunc librum nullis premitur difficultatibus, cum unius Davidis regimine contineatur, & a morte Saulis ad ultimam Davidis senectam decurrat, quod vel ex c. XXIII, 1. apparet. *Triginta autem annorum filius erat David, cum regnum cepisset, & quadraginta annis regnavit. In Hebron regnavit super Juda septem annis & sex mensibus: in Jerusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel & Judam* 2. Sam. V, 4. 5. Res itaque gestas quadraginta annorum & sex mensium liber complectitur, qui menses alibi, 1. Reg. II, 11. & 1. Chron. XXX, 27. omittuntur quidem, ex hoc tamen loco supplendi. Annos vero ita dispescimus:

A.O.C. A. Exodi

2949	436	David Sauli in regno succedit, annos habens triginta.
2951	438	exacto biennio, Isbosethi super regnum Israeliticum bellum cum Davide ortum 2. Sam. II, 10. III, 1.
2956	443	postquam Abner ab Isbosetho defecit, hoc obtruncato David super totum Israel Rex constituitur, & tertio inungitur 2. Sam. V, 1—3. 1. Chron. XII, 23—fin.
2957	444	David cum toto Israele Hierosolymam adversus Jebusæos profectus, arcem Sionis occupavit; regni-que sede in Hierosolymitana civitate constituta, annos ibi 33. universo Israeli imperavit 2. Sam. V, 5. 6. 7. 9. 1. Chron. XI, 4—7.
2959	446	Arca fœderis, quæ primo anno Sabbatico e Gilgal in Silo, hoc itidem Sabbatico anno e Kirjath-jearim e domo Abinadab in arcem Sionis deducta est, gloria Domini ab Ephraimitica Josephi tribu ad tribum Judæ translata Ps. LXXVIII, 68. 69. 2. Sam. VI, 17.
2960	447	Oraculum Davidi redditum, cum de templo Domini exstruendo cogitaret 2. Sam. VII, 14.
2971	458	Salomon nascitur 2. Sam. XII, 25.
2981	468	Absolom regnum paternum invadit 2. Sam. XV, 7. sed in fuga, in quereu pendulus a Joabo confossus est 2. Sam. XVIII.
2987	474	Peste, ob numerationem populi immissa, remittente, David in area Arasne sacrificat 2. Sam. XXIV. ibique

A. O. C. A. Exit.

2989 | 476 | ibique templum exstruendam intelligit 1. Chron. XXVI, 1. 2. Chron. III, 1.
David moritur, cui Salomon in regimine succedit,
1. Reg. II, 1—10.
IV.

In partienda hac Davidis historia, quæ capitibus absolvitur XXIV. Partitio, versibus 679. eodem fere tramite incedunt interpretes, nisi quod Franc. Burmannus Partem libri primam in duas dispelcat, ita ut liber I. initia regni Davidici c. I—IV. II. ejusdem confirmationem & continuationem c. V—X. III. sortem ejus adversam turbatamque c. XI—XIX. IV. reliqua Davidis restituti gesta exponat. Ceteris ut b. Calouio, b. Walthero, ut & Heideggero in *Enchir.* tres saltem libri partes, & convenientissime quidem constituuntur, ita ut P. I. prospera regni auspicia & felices Davidis successus c. I—X. P. II. peccata Davidis & supplicia c. XI—XVIII. P. III. ultima ejus post restitutionem gesta c. XIX—fin. tradat. Seu dicas, regni Davidici hoc libro exhiberi statum florentem, turbatum, restitutum.

V.

Tradit hic liber gesta Davidis in

I. statu regni florente, in

1. regni occupatione, ubi Davidis

a) luctus & lusus super antecessoris morte c. I.

b) successio in regnum Judæ c. II, 1—7.

γ) successio in regnum Israel

a. impedita per Isbosethi intrusionem
armis infelicitè tentatam c. II, 8—fin.Isbosethi decrementis & Abneris cæde debilitatam
c. III.

Isbosethi cæde finitam c. IV.

b. consummata per novam unctionem, & Zionis instaurationem c. V.

2. regni confirmati administratione, qua res

a) ecclesiasticas, ubi

a. arca fœderis in Zionem deportatio c. VI.

b. divina de oriundo ex semine Davidis Messia promissio
c. VII.

Gg 3

β) poli-

Tabula
Synopsisica.

De libro II.
Samuelis.

β) politicas, ubi

a. victoriæ a finitimis populis variæ c. VIII.

b. pietas erga domum Saul & liberalitas erga Mephibose-
thum c. IX.

c. bellum contra Ammonitas feliciter peractum c. X.

II. *statu regni turbato*, ubi Davidis1. peccatum, seu turbarum causa, adulterium & cædes Uriæ:
quod describitur

ut commissum c. XI.

ut exprobratum & agnitum c. XII, 1—14.

2. pœnæ

α) privatæ, quæ sunt

mors recens nati filioli c. XII, 15—fin.

Ammonis filii cum sorore incestus c. XIII, 1—19.

ejusdem per fratrem Absolomum cædes c. XIII, 20—36.

fratricidæ persecutio & fuga c. XIII, c. XIV.

β) publica, deturbatio Davidis de throno per Absolomum fi-
lium, ubi

Davidis ob conspiracyonem filii exilium c. XV.

exagitatio exulis per Zibam, per Simeï, per pellicum pro-
stitutionem c. XVI.

Ahitophelis machinatio a Cuschai irrita reddita c. XVII.

Absolomi clades & deploratio c. XVIII.

III. *statu regni restituto*, ubi

1. Davidis in regnum restitutio c. XIX.

2. domita seditio Sebæ c. XX.

3. res post restitutionem gestæ

α) laudabiles,

supplicium filiorum Saulis c. XXI, 1—15.

prælia contra Philisthæos c. XXI, 15—fin.

hymnus Davidis evcharisticus c. XXII.

ejusdem cantio cygnea & Heroes c. XXIII.

β) vituperabilis, numeratio populi peste punita c. XXIV.

Comentarios in h. l. quare *cap. preced.* suo loco.

CAP. XIV.



CAP. XIV.

De libro priore Regum.

*Libri inscriptio Hebraica, Græca, & Latina; & in serie librorum Biblicorum. Summar.
ordo §. 1. Scriptor, aliis variis, nobis ut vero videtur simile, Esdras un.
§. 2. Argumentum utriusq., & sigillatim prioris libri §. 3. Scopus
& utilitas §. 4. Chronologia, cuius (α) fundamenta ponuntur, (β)
ordo in tabulam redigitur, (γ) ἐναντιολογία conciliantur §. 5. Cano-
nica autoritas argumentis adstructa, & a Spinosa necquicquam sollici-
tata §. 6. Partitio §. 7. Tabula Synoptica §. 8. Commentarii
Patrum, Judeorum, Lutheranorum, Pontificiorum, Reformatorum,
Remonstrantium §. 9.*

§. I.

Hunc cum sequente unum quondam composuisse librum, qui ^{Libri in-} ^{scriptio.} **מלכים** Hebraeis dicitur, & hodie quidem in priorem & posteriorem dispescitur, Græcis autem Βασιλειών, vel etiam Βασιλειών γ' καὶ δ', Latinis *Regum*, ut & *Regnorum III. & IV.* inscribitur, ex iis jam liquido patet, quæ supra c. XII. §. 1. p. 213. & c. XIII. §. 1. p. 234. proposuimus, quibus Origenis testimonium adde, qui in expositione Ps. I. ubi catalogum librorum Biblicorum V. T. texit, ita habet: Βασιλειών τρίτη τέταρτη ἐν ἐνὶ, Οὐραμμέλεχ Δαβὶδ, ὅπερ ἐστὶ Βασιλεὺς Δαβὶδ. *Regnorum liber tertius & quartus, quos ipsi etiam in unum volumen redigunt, & Vammelech David indignant, hoc est, & Rex David.* Ap. Eusebium, qui hæc verba excerpfit & servavit l. VI. Hist. Eccl. c. 25. Quanquam in Bombergiano Codice Hebraico A. C. 1521. edito, hæc sequior librorum Græca & Latina numeratio hand obscure probetur, ubi sub initium libri I. Reg. margini adscriptum legas **ספר מלכים** *liber Regum tertius*, ad auspiciū lib. 2. autem **ספר ד'** *liber quartus*; ex quo intelligas, modernis Judæorum Magistris illam quatuor librorum Regum enumerationem non omnino improbari. Appellationis autem ratio, ab argumento petita, in aprico est. Βασιλείαν ὀνομάζεται τὰ βίβλια, ἐπεὶ καὶ τὰς πράξεις τῶν γενομένων βασιλείων, ἐντε τῷ Ἰσραὴλ, καὶ τῷ Ἰσραήλ, καὶ τὰ ἐν αὐτῶν περιέχει. *Regum nominantur isti, ob id, quod Regum cum Juda-*

tum



De libro I.
Regum.

tum Israel facta & annos continent, ut est in *Synopsi Atban. T. II. p. 75*. Ceterum illa Hieronymi huc spectat observatio: *melius multo est Malachim, i. e. Regum, quam Malachot Regnorum dicere. Non enim multarum gentium regna describit, sed unius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur. in præf. ad libb. Regum T. IV. Opp. f. 7. b.* Verum uti vix puto Codicem inveniri Hebræum, qui מלכות inscribat: ita Græca Βασιλειῶν inscriptio non omni prorsus fundamento destituitur, cum post Salomonis fata, unius licet populi diversa tamen evaserint regna, religione non tantum, legibus & ritibus diversa, sed & nominibus distincta, ita ut regnum Judæ diceretur, quod in tribum Judæ & Benjamin Rehabeam cum posteris tenebat, regnum Israel vero, vel regnum Samariæ, quod Jerobeam cum successoribus super X. tribus reliquas, quæ per apostasiam a cultu patrio, Hierosolymis rite peragendo, & per rebellionem a domo Davidis defecerant, administrabat 1. Reg. XII. Ordinis vero, quo præcedentem subsequitur hic liber, tam necessarius arctusque nexus est, ut in eadem Davidis historia, quam integrum Samuelis libri nondum exhibuerunt, continuo quasi filo pergat, eique colophonem imponat, dum ultima Davidis superaddit, senectamque ejus cum Salomonis auspiciis conjungit.

II.

Scriptor

De scriptore hujus, non minus ac præcedentium librorum, anceps & ambigua quæstio est. Ubi quidem satis de eo convenit inter omnes, non unius hoc opus esse, sed variorum contextum labore. Ipsa hoc significare videtur Scriptura, cum Nathanem postrema Davidis attenuisse 1. Chron. XXIV, 29. memorat, ubi posteriora Davidis scripta esse, in verbis Nathan Prophetæ dicuntur. Sic Salomonis gesta a Nathan, quoad ille vixit, & post excessum ejus, ab Achia Silonita, & Addo vel Jehdo vidente, memoriæ posteritatis prodita narrantur 2. Chron. IX, 29. Reliqua autem, operum Salomonis priorum & novissimorum, scripta sunt in verbis Nathan Prophetæ, & in libris Achia Silonitæ, in visione quoque Addo videntis, contra Jerobeam filium Nabat. Porro de Rehabeam operibus 2. Chron. XII, 15. legitur, quod illa scripta sint in libro Semajæ Prophetæ, & Addo videntis. De rebus Abiæ in libro Addo prophetæ scriptum refertur 2. Chron. XIII, 22. Reliquum verborum Josaphat in verbis Jehu filii Hanani scriptum est, quæ digessit in libros regum Israel, 2. Chron. XX, 34. De Ufiæ rebus exacta composuisse commentaria Jesaias Prophetæ, filius Amoz fertur 2. Chron. XXVI, 22. De Manasse ejusque imperio scriptum dicitur על דברי מנשה in libris Videntium 2. Chron. XXXIII, 19. Unde scripto-



scriptores universæ Regum historiæ autor Athanas. Synopses *post par.* Regum.

lipom. p. 82. coniecit ad hunc modum: τὰ περὶ τῆς Δαβὶδ, ἔγραψε Σαμὴλ, καὶ Νάθαν, καὶ Γαδ, οἱ προφῆται· τὰ περὶ Σολομῶντος, Νάθαν καὶ Ἀχὶζ, οἱ προφῆται· τὰ περὶ Ἱεροβοάμ, Σαβαμας καὶ Ἀδδὰ, οἱ προφῆται· τὰ περὶ Ἀβιά, Ἀδδὰ ὁ προφῆτης· τὰ περὶ Ἀσά, ἐν τῷ βιβλίῳ λόγων περὶ τῶν βασιλέων Ἰσραὴλ· τὰ περὶ Ἰωσαφάτ, Ἰνῆ ὁ προφῆτης, ὁ τῆς ἀναμῆ, ὃς κατέγραψε βιβλίον λόγων βασιλέων Ἰσραὴλ· τὰ περὶ Ἰωάκ, ἐπὶ τὴν γραφὴν τῶν βασιλείων· τὰ περὶ Ἀμεσία, ἐπὶ βιβλίῳ βασιλέων Ἰσραὴλ· τὰ περὶ Οὐζία, Ἰεσσαίας ὁ προφῆτης· τὰ περὶ Ἰωάθαμ, ἐπὶ βιβλίον τῶν βασιλέων Ἰσραὴλ· τὰ περὶ Ἀχαζ, ἐπὶ βιβλίον βασιλέων Ἰσραὴλ· τὰ περὶ Ἐζεκία, Ἡσαίας υἱὸς Ἀμώς, ὁ προφῆτης· τὰ περὶ Μανασσῆ, ἐπὶ λόγων τῶν ὀράντων· τὰ περὶ Ἰωσίμ, ἐπὶ βιβλίον βασιλέων Ἰσραὴλ· τὰ περὶ Ἰωακείμ, ἐπὶ βιβλίον βασιλέων Ἰσραὴλ. Et haud absurde quidem hinc colligitur, (1) omnium Regum ætates suos habuisse Prophetas, cujusmodi illi sunt, quos hactenus ex libris Paralipomenon citavimus, eosque divino instinctu consignasse & in tabulas retulisse, quæ sub Regibus singulis seu bona seu mala acciderunt, ad ecclesiæ facientia ædificationem: (2) forte etiam alia fuisse Diaria vel *verba die-rum*, qualia i. Reg. XIV, 19. XV, 7. & sæpe alias in his libris Regum citantur, quæ fuerint mere Chronologica & Politica, non vero sacra scripta; quæ forte eadem sunt cum libris illis Regum Israel sive Juda, ad quos in Chronicorum libris frequenter remittitur, lib. 2. c. XVI, 11. XXIV, 27. XXV, 26. XXVII, 7. XXVIII, 26. XXXII, 32. XXXV, 27. *Credideram olim*, inquit de his Clericus in *Dissertat. de scriptoribus librorum Historic.* §. 7. citari hisce locis libros Regum, quos habemus: sed postea deprehendi antiquiores illos Commentarios spectari, cum, quæ habentur in libris Regum, qui extant, neq. alia sint, neq. copiosiora iis, qui in Ephemeridibus hodiernis (Paralipomenon libris) leguntur. Et sane librum aliquem Regum, præter modernos nostros, extitisse olim non-Canonicum, ad quem in Canonicis libris provocetur, Sixtus Senensis *lib. 2. Biblioth. S. verbo: Regum liber, p. 125.* demonstrare satagit e. 2. Paral. XXIV, 27. Porro filii Joas, ac summa pecunie, quæ adunata fuerat sub eo, & instaurationis Domus Dei, scripta sunt diligentius in libro Regum. Unde infert: Quæ certe verba referri nequeunt ad historiam Regum, canonis Scripturis insertam, in qua tantum abest, ut ea, quæ presenti Paralipomenon capite narrantur, fusius et exactius referantur, ut nonnulla etiam in ipsa prætermittantur ex his, quæ in hoc capite vel commemorantur, vel saltem indicantur. Quod ut evincat clarius, adhuc ad lib. 3.

Hh

Esdr.



De libro I.
Regum.

Esdra. I, 33. provocat. Minus vero commodè ex supra dictis conficitur, (a) vel allegatos istos scriptores scribas fuisse publicos, idque muneris cum Prophetica dignitate conjunctum olim fuisse, quod vult Rich. Simoni-
 ni, nulla prorsus consequentia ex horum scriptis ad publicum aliquod munus concludens, & ὑπερῆσαι suā, nondum probatā, si pius autem ab ejus adversariis profligatā, nimium δαλύνω; vel horum omnium labores Chronica fuisse, aut commentarios diurnos suorum temporum, cum aliis longe insigniantur nominibus, & Nathanis quidem נתן *verba Nathan*, Achiz Silonitæ vero נחמיה *Prophetia*, Addo vel Jehdo יהודא *visiones*, ut & מדרש *commentarius*, Jehu tandem filii Hanani rursus רבי יהוה *verba Jehu* dicantur: (β) horum commentaria vel integra huc relata esse in libros, qui hodie supersunt, Regum, quod ipsorum concisa satis non patitur brevitās, sermonisque reclamatione constans sibi ubique æqualitas, & eadem semper serie pergens connexio; vel humano studio in hanc compendii formam ab Esdra vel Jeremia redacta fuisse, cui θεοπνευσία repugnat. Nostri proinde Theologi, b. Waltherus *Offic. S. 832. p. 946.* & b. Calovius *Bibl. Ill. ad 1. Sam. IX, 9. T. I. p. 748. b.* ubi hanc historiam a diversis Prophetis, aut etiam Sacerdotibus originaliter conscriptam, & postea ab uno, sive Jeremia sive Esdra, in ordinem redactam sentiunt, mediante θεοπνευσία, utrumque statuunt factum, autoresque illos ὑπὸ πνεύματι & ἀγία φερούμενος & scripsisse & digessisse pronunciant. Si itaque dicendum tandem, quod res est, certum est Spiritum S. auctori secundario in calamus dictasse ea omnia eo ordine, eo modo ac sermonis forma, quæ & quo modo in his libris recensentur, scriptoremque sacrum nullis ejusmodi diariis aut Ephemeridibus opus habuisse, ad res ante se gestas enarrandas, quæ divinitus ipsi, qua concepta verba, suggererentur; placuisse autem Spiritui S. ex supra dictis sive sacris, sive politicis monumentis, in Canonem sacrum transferre, quæ pro infinita sapientia sua ad ecclesiæ factura prospiciebat ædificationem, ad cetera vero, quæ non tam hominum salutem, quam cognitioni historicæ inservitura videbat, per allegatos libros digitum saltem intendere, ut, qui uberio-
 rem Regum ac utriusque regni historiam expeterent, ad illos recurrere possent. Unde forte ad manus habuit scriptor libri Regum diaria ista, verba dierum, libros Regum Judæ & Israel, Prophetiam Achiz Silonitæ, visiones Addo, & reliqua id genus monumenta, eaque ad privatam legit-
 notitiam; scripsit vero, non quæ proprio Marte ex iis sibi excerpserat aut-
 notaverat, sed præcisè ea tantum, quæ suggererat Spiritus Sanctus; ci-
 tabat-



tabatque ista, non, ut fontes, unde sua depromferit ac in libros Regum digesserit, non ut supplementa eorum, quæ hic divinitus sunt prolata, sed ut subsidia, humanæ saltem ac historicæ rerum gestarum notitiæ, a Spiritu Sancto per allegata ista illorum temporum hominibus suppeditata, quibus monumenta ista adhuc præsto erant. **B.** Ince. tum vero, quonam amanuensi in exarando Regum libro Spiritus S. fuerit usus. Pro *Jeremia* major pars stat, & Judæorum, quorum Magistri in *Bava Batra loc. supra cit.* definiunt: *ירמיה כתב ספרו וספר מלכים וקנות* *Jeremias scripsit librum suum, et librum Regum, et Threnos:* & Christianorum, quia caput ultimum Jeremiæ idem est, cum capite ultimo libri posterioris Regum; quod tamen adventitium esse, & ab aliena manu ad Jeremiæ calcem subnexum, Huetius ex fine cap. præc. probat, ubi dicitur: *Huc usq. verba Jeremiæ.* Quam sententiam ita interpolat Sanctius *Proleg. I. in libb. Regg. p. 5.* ut a Salomone ad Manassem gesta Jesai m. putet scripsisse, cum tria illa capp. XVIII. XIX. XX. libri 2. Regum, Jesaiæ capitibus XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. ex assè respondeant, post hunc autem a Manasse interfectum, reliqua usque ad captivitatem Babyloniam Jeremiam adjecisse. Addit præterea Sanctius, a vero forte, non procul aberrare illum, qui collectorem putet Ezechiam Regem, aut eo jubente istos, quibus id negotii rex ipse mandavit, cum parabolas quoque Salomonis, ante dispersas, in ordinem rede gisse viri Ezechiae Regis Juda dicantur Prov. XXV, 1. Alii *Esdram* substituunt, pro quo erudite laborat Huetius *Dem. Evang. Prop. IV. p. 346. seq. §. 2.* cui & nostrum adjicere calculum nulli dubitamus. **A.** Hinc de tempore, quo exaratus liber est, judicium facili negotio fieri potest, ante consignatum, aut minimum consummatum & ad finem perductum non fuisse, quam tribus Judæ & Benjamin in Babyloniam abductæ essent captivitatem, imo post annum demum XXXVII. captivitatis, & post mortem omnino Regis Joachin, ut ex 2. Reg. XXV, 27. seq. apparet. Et sero quidem scriptum, fuisse librum, Grotius ex Chaldaicis mensium appellationibus Ziph & Bul 1. Reg. VI, 38. arguit *annot. ad l. c. v. r.* idque *non inepte colligi* b. Carolus *ad 1. Sam. IX, 9.* censet. Quæ itaque antiquioris multo ævi vestigia in eo deprehendit Clericus *loco cit. v. g. 1. Reg. VIII, 8.* in descriptione vectium arcæ, in adytum a Salomone reconditæ, & c. IX, 21. de Chanæis Israeli stipendiariis; vel id evincunt, quod diversis temporibus consignatus sit, & magna ejus pars ante captivitatem exarata, cui post excidium templi reliqua fuerint adjecta, vel Spiritum S. pro sua & libertate

Hh 2

&



De libro I.
Regum.

& sapientia, hæc talia scriptori nostro ad eundem modum exaranda suggestisse, quo in vetustioribus illis monumentis, supra recensitis, legebantur. Plura de scriptore libri qui cupit, præter citatos jam, adeat Bonferrum *Præloq. in Script. S. p. 23.* Corn. a Lap. *Proleg. in Libb. Reg. Sixtum. Senens. Biblioth. S. l. 1. p. 10.* Hottinger. *Thes. Philol. Lib. 2. cap. 1. Sect. 2. S. 4. p. 466.* e nostris Placcium *de Anonymis et Pseudonym. Lib. I. c. I. p. 3.* De regum Diariis & ephemeridibus erudite agit Huetius *c. l. S. 1. p. 345.*

III.

Argumen-
tum uerius-
que,

Univerſus autem liber in exponendis Regum, quibus Dei populus paruit, geſtis ita verſatur, ut primo Salomonis deſcribat imperium, porro inauſpicatam illam unius in duo regna, Judæ puta & Iſraelis, ſciſſionem exponat, quorum unumquodque proprium habebat regem, illum Jerolymis, hunc Samariæ res moderantem, uſque ad deſtationem Iſraelis a Salmanaſſare factam, & ad captiuitatem uſque Judæ factam a Nebucadnezare Babylonio. Et reges quidem in univerſum Judæ præſuerunt poſt diſiſionem XIX. Rehabeam, Abia, Aſſa, Joſaphat, Joram, Ahaſia, (Athalia, quæ non tam jure regnum tenuit, quam tyrannide occupavit, in cenſum non relata) Joas, Amaſia, Uſſa, Jotham, Achaſ, Hiſkia, Manaſſe, Ammon, Joſias, Joahas, Jojakim, Jechonia ſive Jojachin, Zedekia. Hos inter vix duo fuere, qui pietatis rectæque in Deum fidei laudem tulerent, Hiſkias & Joſias ap. Syrac. c. XLI, 5. quibus Joſaphat & Aſſa jungendi ſunt, qui pariter ab idolorum ſibi caverunt cultu; præterea Aſſa 1. Reg. XV. Hiſkias 2. Reg. XVIII. & Joſias 2. Reg. XXII. ſaluberrimam eccleſiam reformatione ab idololatria, Antecellorum ſuorum perverſitate introducta, repurgarunt. Iſraelem pariter rexerunt XIX. Jerobeam, Nadab, Baſſa, Ella, Simri, Omri, Achab, Ahaſia, Joram, Jehu, Joahas, Joas, Jerobeam filius Joas, Zacharia, Sallum, Menahem, Pekahia, Pekah, Hoſea, impii omnes & idololatræ, Joramo forte ac Zacharia aliqua ex parte exceptis. Ceterum cum regna iſta religione, legibus & ritibus diſtabant, hinc odium inter utriusque Reges glifcebat ingens, quod in graviffima ſæpe erumpebat bella, quale Rehabeam cum Jeroboamo 1. Reg. XIV, 30. Abia cum Nadab c. XV, 6. Aſſa cum Baſſa ib. v. 16. gerebat, ut raro admodum, nec ſatis feliciter amicitia reſtauraretur, quam parum utiliter Joſaphat cum Achaſo rege Iſrael colebat 1. Reg. XXII. Juvat hic audire Virum Doctiſſ. Campegi. Vitringam, qui ſcite in epitomen redegit fere omnia, quæ circa argumentum librorum Regum paulo plenius notari poſſunt, cum *Hypotyp. Hiſt. Sac. p. 50. ſeq.* ita habet: *Eccleſie a jactis ſun.*



fundamentis templi Salomonis usq; ad τὴν μετοικισίαν Babylonicam casus precipui sunt, florentissimus status reipublice Judaicae, cujus solius limitibus ecclesia superiore intervallo per Moysen circumscripta fuit, sub Rege Salomone; idem mox attenuatus sub filio ejus Rehabeamo, parvi homine consilii, decem tribubus Ifraelitarum, per seditionem a Jerobeamo Ephraimita concitatam, a Juda & Beniamine tribubus, divulsis, quae ab eo tempore suis paruerunt regibus, a Regibus Juda distinctis: illam status Politici mutationem mox secuta immutatio religionis, idololatria ad res novi regis & Politiae stabiliendas in regnum illud solemniter a Jerobeamo introducta, & altaribus templisque in utroque regni limite eum in usum exstructis, confirmata: reges inde in utroque regno varia indolis & morum, quorum qui decem tribubus praesuerunt, ad unum omnes Jerobeamiticae idololatriae, quam Aegyptiacam vocare licet, patrocinati sunt, (quod scilicet ratio status Politici exigere videbatur:) praeterquam quod plerique eorum se insuper polluerint abominandis superstitionibus vicinarum gentium, Phœnicum & Syrorum, quibuscum per connubia, cum familiis regis illarum gentium inita, commercium ipsis intercescit; idololatria Phœnicia praesertim, Baalis sive Herculis Tyrii: eorum vero, qui in Juda & Beniaminis tribu imperium obtinuerunt, aliqui quoque per foederalem aut conjugalem conjunctionem cum regibus Ifraelitarum ad idololatriam impietatem, & quae illam comitari solent, vitia & scelera cujusvis generis prolapsi sunt, alii tamen in vera erga Deum pietate perfliterunt, & Judaeum populum, sacro cultu in melius instaurato, identidem lustrarunt, quos inter eminuerunt Asa, Josaphatus, Ilzias, Jotham, Hiskias, & Josias: utriusq; deniq; regni varia fata, prospera & adversa, quibus divina providentia bonorum regum pietatem persequuta est, & malorum impietatem castigavit & vindicavit; prophetis, qui per totum hoc intervallum in utroque regno plures iidemque illustres fuerunt, inam divinam ob scelera passim in populo Dei grassantia illi fideliter denunciabantibus, & poenitenti gratia spem facientibus: donec tandem, cum spretis divinis monitis & comminationibus, in impietate & malitia sua obstinate perseverarent, Deus utriusque regni populum, dudum fractum, imminutum & expilatum, pro severitate sua ex terra Canaan in exilium abduci passus est; Ifraelitas quidem, sive Ephraimitas, jam ante variis cladibus fractos, in Assyriam & Mediam, per Reges Assyrios, sexto anno Hiskiae regis; postquam eorum regnum fere stetisset per annos 263. & Judaeos per eosdem quidem Assyrios reges, qui tum Babylonii dicebantur, in Babyloniā, eique subiectas conterminas regiones, triplici pariter deportatione, quarum ultima accidit anno Zedekiae regis undecimo, quo capta sunt Hierosolyma, et

Hh 3

templum



De libro I.
Regum.

templum conflavit, postquam fere stetisset annis 430. Singulorum autem Regum seriem, qualitates, bella, Prophetas quoque sub singulis divinitus suscitatos, strictim expedivit Spanhem. *Hist. Eccl. V. T. T. I. Opp. p. 376. seq.* e Pontificiis vero paulo uberius Natal. Alex. *T. II. Hist. Eccl. V. T. in V. mundi ætate p. 97. seq.* Jam quod ad priorem librum sigillatim attinet, ille post explicatum Salomonis regnum, res gestas completitur IV. regum Judæ, Rehabeami, Abiæ, Asæ & Josaphat; & VII. regum Israël, Jerobeami, Nadabi, Baesæ, Ellæ, Simri, Omri, & Achabi, quæque sub illis ecclesiæ juxta ac reipublicæ fuerit facies, repræsentat.

IV.

Libri Scopus,

Omnis vero isthæco tendit historia, tum ut sub Salomonis, ejusque regni ac templi typo, cœlestis noster Salomon, Christus, regnumque ejus spirituale ob oculos poneretur fidelibus, ipso Salvatore docente. M. th. XII, 42: *tum ut genealogia Christi, cujus secundum carnem progenitores fuerunt Reges Judæ, quos etiam iccirco diligentius describi conveniebat, per tot ætatum vicissitudines continuata, sisteretur integra: tum ut ecclesiæ pertexerentur annales, & quæ ipsam fata exercuerint, quæ exornarint divinæ providentiæ beneficia, missis Elia, Elisæ ceterisque Prophetis, ad posterōs transmitteretur.* Typicam autem adumbrationem Christi per Salomonem, nec non per Eliam Prophetam; ecclesiæ N. T. per templum, Johannis baptistæ per Eliam Prophetam &c. latius exposuerunt b. Waltherus *Offic. § 842. seq. 850.* & cum primis Joh. Biermannus *in Moses in Christ. L. I. cap. XI. p. 248. seq. & c. XII p. 265. seq.*

& utilitas.

& Lib. II. c. IX. p. 451. seq. Præterea quoque insignes, ad mores ritè instituendos, usus præstat. *In regibus enim declaravit Deus judicia sua, inquit b. Brentius ad 1. Reg. I. T. II. Opp. f. 838. ut unusquisque discat ex uno exemplo atque altero, hinc Dei misericordiam, hinc Dei iram. Sunt et in his duobus libris multa fidei, multa legis vel observatæ, vel non observatæ exempla: quæ omnia in nostri edificationem et doctrinam cedunt.* Hinc nervose Gregorius M. sive quisquis commentarii est autor, *in Proem. in 1. Sam. T. III. Opp. p. 2. Suavis est historia regum in superficie literæ, altior in typis allegoriæ, moribus instruendis utilis, lucida in exemplis exhibendis.* Et 1) quidem rectores populorum æque ac subditos pietatem & religionem, ni rebus suis male velint consultum, curæ cordique habere docet: 2) rerum porro humanarum instabilitatem mirasque tradit vices, sub directione Dei, per quem reges regnant & principes terræ: 3) nimium quantum respublicas detrimenti capere, si, qui rerum potiuntur, perverso novorum hominum consilio abrepti, tyrannide & sævitia subditos pre-



premere, quam clementia & benefactis fovere malint: 4) raro eos, qui cum imperio & potestate in republica versantur, absque vitii labe gubernacula tenere, sibi que ita temperare, ut pietatis per omnia & honestatis rationem habeant: 5) divinæ providentiæ insigne illud esse documentum, quod populi sui regnum, tot jactatum procellis, tam variis agitatam vicissitudinibus, per aliquot secula servavit: 6) imo & Augustinus futuris prænunciandis hos libros inservire, lib. XVII. de Civ. Dei c. 1. T. V. Opp. f. 937. tradit, ubi: *Ipsa Scriptura, inquit, quæ per ordinem reges eorumque facta & eventa digerens, videtur tanquam si historica diligentia rebus gestis occupata esse narrandis, si adjuvante Dei Spiritu tractetur, vel magis vel certe non minus prænunciandis futuris, quam præteritis enunciandis invenietur intenta.* Confer omnino Hier. Welleri dedicationem Commentario suo in h. l. præmissam, qua variam ejus in Principes utilitatem ordine recenset T. opp. Lat. p. 204. seq.

V.

Spinosa perquam ac adeo perplexa temporum, quibus Dei populus sub Regum vixit imperio, ratio est, ut ad hanc epocham gravissimi hæreant Chronologi, variasque seindantur in partes. Cum enim utriusque regni annos perpetuo invicem contendat Scriptura, tanta nihilominus inter utrosque discrepantia occurrit, ut alteri cum alteris conciliari commode vix possint, nisi varia, hinc protrahendi, hinc coarctandi annorum numeri, adminicula adhibeantur. In quibus principem tenent locum ea, quæ annos *incompletos* numerari dicunt pro *completis, currentes* pro *exactis*, uti Joas XL. anni tribuuntur, qui ineunte regni sui quadragésimo interfectus est; item quæ *avapxax* & *interregna* infarciunt, aut in consortium regni admissos docent filios vivis parentibus, quorum anni tamen integri recenseantur: quæ & alia, mira brevitate in compendium, misit, unoque velut conspectu exhibet Spanhem. P. II. Chronol. Sac. Canone Epochæ VI. T. I. Opp. p. 235. seq. prolixè autem & ex instituto eadem, persequitur Guil. Whistonus in conspectu Chronologiæ V. T. anglico idiomate evulgato, cujus brevem delineationem vide in Lips. Act. Erud. A. 1703. mens. Febr. p. 51 seq. Nos in his rite digerendis, ut & breves simus, & veritati, quoad quidem in his tenebris datum est, insistamus, & sanctam cum primis rectamque Scripturæ S. servemus autoritatem, ita instituemus, ut

(I.) Regum Judæ annos, a jactis templi fundamentis ad ejus destructionem, finemque regni Judaici, rudi calculo, prout in historia sacra diserte memorantur, in summam colligamus.

Salo-



De libro I.
Regum.

Salomon a jactis templi fundamentis regnavit, per 1. Reg. VI, 1, XI, 42.	annis	37
Rehabeam, per 1. Reg. XIV, 21. 2. Chron. XII, 13.	—	17
Abiam, per 1. Reg. XV, 2. 2. Chron. XIII, 2.	—	3
Affa, per 1. Reg. XV, 10. 2. Chron. XVI, 12.	—	41
Josaphat, per 1. Reg. XXII, 42. 2. Chron. XX, 31.	—	25
Joram, per 2. Reg. VIII, 17. 2. Chron. XXI, 20.	—	8
Ahasia, per 2. Reg. VIII, 26. 2. Chron. XXII, 2.	—	1
Athalia, per 2. Reg. XI, 3. 2. Chron. XXII, 12.	—	6
Joas, per 2. Reg. XII, 1. 2. Chron. XXIV, 1.	—	40
Amazia, per 2. Reg. XIV, 1. 2. Chron. XXV, 1.	—	29
Azaria vel Uzia, per 2. Reg. XV, 1. 2. Chron. XXVI, 3.	—	52
Jotham, per 2. Reg. XV, 33. 2. Chron. XXVII, 1.	—	16
Ahas, per 2. Reg. XVI, 2. 2. Chron. XXVIII, 1.	—	16
Ezechias, qui & Hiskias, per 2. Reg. XVII, 2. 2. Chron. XXIX, 1.	—	29
Manasses, per 2. Reg. XXI, 1. 2. Chron. XXXIII, 1.	—	55
Amon, per 2. Reg. XXI, 19. 2. Chron. XXXIII, 21.	—	2
Josia, per 2. Reg. XXII, 2. 2. Chron. XXXIV, 1.	—	31
Joahas, per 2. Reg. XXIII, 31. 2. Chron. XXXVI, 2. tribus mensibus.	—	3
Jojakim, per 2. Reg. XXIII, 36. 2. Chron. XXXVI, 5.	—	11
Jechonia, per 2. Chron. XXXVI, 9. tribus mensibus, decem diebus.	—	—
Zedekia, per 2. Reg. XXIV, 18. 2. Chron. XXXVI, 11.	—	11

Habet cum 6. mensibus, diebus 10. annos 430

(II.) Notamus, mirifice hunc annorum calculum conspirare cum numeris 390. dierum, quibus Ezechiel Propheta jussus recumbere in latus, & sic Israelitarum ferre iniquitatem, ita ut pro anno diem ipsi Deus daret Ezech. IV, 5. seq. Si enim 37. annos Salomonis, summa 430. annorum subducas, initio perversitatis Israeliticæ in Jerobeami *μοσχοποιαν*, qua peccavit ipse & peccare fecit Israel 1. Reg. XII, 28. rejecto, indeque continuos 390. annos numeres, devenies his elapsis in annum primum obsidionis Jerosolymitanæ, quæ initium præbuit totalis vastationis & templi & urbis 2. Reg. XXV, 1. ad quam sane scopus universæ visionis Prophetiæ manifesto tendit v. 2. seq. Verum cum istos Regum annos contrahere utriusque regni Synchronismus jubeat, ut ex tab. seq. constabit, finis hujus epochæ Prophetiæ ulterius, & ad quartum circiter ab excidio urbis & templi annum protenditur, ut cum A. M. 3029. coeperit, in A. M. 3420. desinat, qui ipse 23. annus est captivitatis, circa quem ultima

tima populi Israelitici per Nebus r - Adan deportatio contigit, postquam terra penitus inculta relicta est. De quo Ezechielis calculo pluribus videb. *Strauch. Breviar. Chron. lib. IV. Cap. XIV. p. 606.* Rabbino- rum circa eundem placita conguessit Joh. Meyer *Annotat. ad Seder Olam cap. 26. p. 1135.*

(III.) Neque enim ab hoc termino, in quo Ezechielis substitit nu- merus, vel a templi demum vastatione, captivitatis Babylonicæ aram, LXX. annis Jer. XXV, 12. 2. Chron. XXXVI, 21. circumscriptam, auspi- camur, cujus potius initia a quarto anno Jojakimi, qui primus fuit Nebu- cadnezaris, deducimus, argumento loci Jer. XXV. 12. XXIX, 01. ut & *Cano- nis Prolemæi, & fragmenti Berosi* in annis Regum Babyloniæ, quæ a Nabocolassari (est autem is Nebucadnezar) Nabopolassar filii, initiis usque ad Cyrum nobis dant 70. annos. Conf. *Vitringa Hypotyp. Histor. Sac. p. 68. §. 38. seq. & nostris b. Calovius Chronolog. Sac. Sect. V. quest. 20. T. I. Bibl. Illustr. p. 96.* Secus ac Scaliger sentit, Tremellius, & e no- stris b. *Strauchius Brev. Chron. lib. IV. cap. 21. p. 718.* qui in spontaneam Jechoniæ transmigrationem initium ejus conjiciunt, quorum tamen ar- gumenta magnus Calovius *c. l.* solide discutit.

(IV.) Juvat autem hanc periodum nobilissimis Olympiadum, & conditæ Romæ aris, quæ in illam incidunt illustrare, quibus lux ingens historiæ tam sacræ affunditur, quam profanæ. Et Olympiadicam qui- dem Epocham b. *Strauchius* ex instituto exponit *Brev. Chron. lib. IV. c. 16. p. 639.* alteram illam Urbis conditæ *cap. 17. p. 654.*

(V.) Quo demum pacto anni regum Juda, cum annis regum Israel componi queant, vix clarius & commodius perspicitur, quam ex ipsis hujus epochæ tabulis Chronologicis, in quibus potissimum Usserii sequemur *Annales*, qui ex Spanhemii judicio, difficultates singulas omni- um solidissime (pauca forte dubia si exceperis) servata Scripturis reve- rentia, expendit.

A. Orb.

ÆTAS MVNDI QVINTA.

2992 Anno 480. ab exitu Israelitarum, anno 4. regni Salomonis, men- sis secundi, qui tunc Ziv dicebatur, die secundo, jacta sunt templi fundamenta. 1. Reg. VI, 1. 37.

3000 anno 11. regni Salomonis, mense octavo, Bul, templi structura absolvitur 1. Reg. VI, 38.

3001 qui *Jubileus nonus* erat, mense septimo templi encœnia magnifice

Ii

a Salo-



De libro I.
Regum,

A. Orb.

a Salomone celebrata sunt 1. Reg. VIII. 2. Chron. V. VI. VII.

3012 qui decimus tertius erat, ab extructo templo, totius suæ regię structuram Salomo absolvit, 20. annis in utrumque opus expensis; 7. cum dimidio in Dei, 13. vel 12. cum dimidio, in suæ domus ædificatione peractis. 1. Reg. VII, 1. IX, 10. 2. Chron. VIII, 1.

3029 Salomo diem obiit, cum 40. annis regnasset 1. Reg. XI, 42. 2. Chron. IX, 30.

Rehabeam Salomoni succedens, duro responso decem tribus (Sichemum conveniente toto Israele ad constituendum regem) a se alienat, regnumque avitum in partes scindit, quarum altera tribum Judæ & Benjamin complexa, regnum Judæ; altera decem reliquis tribus comprehendens, regnum Israelis vel Samariæ constituit.

REGES JUDÆ:

A. Reg.

A. Reg.

REGES ISRAEL:

3029 Rehabeam, qui regnavit annis 17. 2. Reg. XIV, 21.

Judæ,

Israel.

Jerobeam I. regnavit annis 22. 1. Reg. XIV, 20. Jerobeam die 15. mensis 8. festo, quod ipse commentus erat simile festo tabernaculorum Judaico, in altari idololatræ, Bethel exstructo, vitulo suo sacrificavit 1. Reg. XII, 32. sq. reprehensus a Propheta, ex Judæa ad ipsum a Deo missus 1. Reg. XIII. A quo idololatriæ primo exercitio publico, & divini in eam judicii denunciatione, arcessendum est 390. annorum iniquitatis Israelis initium apud Ezech. IV, 5.

Sefak



Anno Orb.		A. Reg. Judæ.	A. Reg. Israel.	
3033	Sesak Rex Egypti Judæam invadit, captisque urbibus munitis Hierosolymas petit. A quo pacem redimit Rehabeam thesauris domus Dei & domus Regiæ, nec non scutis aureis datis: pro quibus ænea substituit Rehabeam. 1. Reg. XIV, 25. 2. Chron. XII, 2—12.	5	5	
3046	Abiah, anno Jerobeami 18. ineunte, patri Rehabeamo defuncto in regno succedit. 1. Reg. XV, 1.	1	18	
3049	Afa, anno Jerobeami 20. completo, patri Abiæ defuncto in regno succedit, quod annis 41. tenuit. 1. Reg. XV, 8. seq.	1	21	
3050		2	22	1. Nadab, anno 2. Afa, patri Jerobeamo defuncto in regno succedit, quod in secundum saltem annum produxit 1. Reg. XV, 25.
3051		3	2	1. Baasa, occiso a se Nadabo, in regno succedit, anno 3. Afa: ad annum usque 24. regnum tenuit 1. Reg. XV, 27. seq.
				1. Ela



De libro I.
Regum.Anno
Orb.

3074

3075

3079

3080

3086

A. Reg.
Judæ.

26

27

31

32

38

A. Reg.
Israel.

24

2

5

6

12

1. *Ela* patri *Baasæ* defuncto
succedit, anno 26. *Afæ*
1. Reg. XVI, 8.

Anno 2. *Ela*, 27. *Afæ*, *Ela*
cum tota familia *Boa-*
sæ, e medio tollitur a
Simri, qui *Tirzæ* diebus
7. regnum occupavit.
Sed populus castra ha-
bens contra *Gibbetho-*
nem Philistæorum, re-
gem constituit *Omrin*,
vel *Amrin*, principem
militiæ: quo *Tirzæ*
obsidente, *Simri* se-
cum domo regia com-
bussit 1. Reg. XVI, 15—18.

I Schismate in populo *Israe-*
litico orto, pars una
Thibnin constituit re-
gem, pars altera secuta
est *Amrin*, eaque potior
& firmior 1. Reg. XVI,
21. 22.

Amri, mortuo æmulo
Thibni, solus regnare
incipit anno 31. *Afæ* 1.
Reg. XVI, 23.

Cum *Tirzæ* sex annis re-
gnasset *Amri*, regni se-
dem inde transtulit *Sa-*
mariam, 1. Reg. XVI,
23. seq.

1. Patri *Amri* defuncto fi-
lius succedit *Achab*, qui
ad



Anno Orb.	A. Reg. Judæ.	A. Reg. Israel.	
			ad annum usque 22. re- gno præfuit 1. Reg. XVI, 28. sq.
3090	41	5	Aſa anno regni 41. defi- nente moritur, poſt- quam in triennium ex pedibus laboraſſet 2. Chron. XVI, 12. ſeq. Cui <i>Jofaphat</i> filius ſuc- ceſſit, qui anno Achabi 4. definente, regnum ſuſcipiens, annis 25. il- lud tenuit 1. Reg. XXII, 41. 42. 2. Chron. XX, 31.
3103	14	18	Benhadad Rex Syriæ Sa- mariam obſidet: unde magna accepta plaga, fugatus receſſit 1. Reg. XX.
3105	16	20	Achabus, oppreſſi per mendacia ac fraudes Nabothi vineam ad ſe rapit 1. Reg. XXI.
3106	17	21	Achab, anno 17. <i>Jofaphati</i> , filium <i>Abaſiam</i> Pro- regem conſtituit 1. Reg. XXII, 51.
3107	18	22	Achab anno altero, poſt- quam in regni conſor- tium adoptaſſet Acha- ſiam, in prælio ad op- pugnationem Ramoth in-
	li 3		

De libro I,
Regum.Anno
Orbis.A. Reg.
Judæ.A. Reg.
Israel.

in Gilead occiditur 1. Reg. XXII. 2. Chron. XVIII. Quo defuncto solus rerum potitur Achasia, sed nono mense post, per quendam clathrum in cœnaculo suo Samariæ cadens ægrotauit & obiit, postquam biennium partim cum patre, partim solus in regni administratione exegisset 1. Reg. XXII, 51.

Achasiæ defuncto *Joram* frater ipsius, anno Josaphati 18. desinente, succedit: regnum tenens 12. annis. 2. Reg. III, 1.

3112 Josaphat filiorum natu
maximum *Joramum*,
cui antea vicariam po-
testatem communica-
verat, regni secum con-
stituit consortem, Jo-
rami Israelitici regis an-
no 5; quo per 8. an-
nos ille potitus est 2.
Chron. XXI, 2. 3. 5. 20.
2. Reg. VIII, 16. 17. qui
ab hoc auspicio nume-
randi.

23

5

3115 Josaphato mortuo 1. Reg.
XXII, 50. 2. Chron. XXI,
1. anno regni sui 25. Jo-

25.4.

8

rami



Anno Orbis.		A. Reg. Juda.	A. Reg. Israel.	
	rami vero in regiminis confortium adsciti an- no 4. Joram plenarie succedit, solus que per quadriennium regnat.			
3118	<i>Abasia</i> a Joram patre, intestinarum morbo graviter laborante, Prorex constituitur, anno Jorami Israelitici 11. 2. Reg. IX, 29.	7	11	
3119	Joram, exeuntibus in- testinis, misere perit & inglorie sepelitur 2. Chron. XXV, 19. seq. Succedit <i>Abasiah</i> filius ejus, anno 12. Jorami filii Achabi: & anno 1. regnavit Hierosolymis 2. Reg. VIII, 25. 2. Chr. XXII, 2. seq.	8	12	
	<i>Ahasiah</i> , qui ad invisen- dum Joramum Israeliti- cum Ieseelem descen- derat, fugiens coram irruente Jehu, & in ascensu Guris depre- hensus, in curru, Jehu jussu, percutitur 2. Reg. IX. 2. Chron. XXII.			I
	<i>Athalia</i> , filia Achabi, A- hasiae mater, post ca- dem filii regnum oc- cupat, perdito u- niversae domus Ju-			
				In praelio a Syris percus- sus Joram, ad curan- da vulnera se subduxit 2. Reg. VIII. Inter hæc <i>Jehu</i> filius Josaphati a Propheta quodam in regem Israel ungitur, domumque Achab ex- cindere jubetur; qui Ieseelem properans, Joramum ibi decum- bentem & Jesabelem occidit c. IX. Inde litteris Samariam missis dæ

De libro I.
Regum.Anno
Orbis,A. Reg. A. Reg.
Judæ. Israel.

dæ semine regio. Cujus tamen tyrannidi Joas infans, Ahasia filius, cum nutrice subducitur, & per 6. annos, quibus Athalia dominata est, in domo Dei absconditur 2. Reg. XI, 1. seq. 2. Chron. XXII, 10. seq.

3126 Jojada Pontifex *Joasum* septennem populo producit, regem ungit, Athalam occidit, & cultum Dei instaurat. Joas vero annis 40. regnavit 2. Reg. XI, 4—21. 2. Chron. XXIII, 1—21. 2. Reg. XII, 1. 2. Chron. XXIV, 1. quadragiesimi tamen anni diebus tantum paucis delibatis.

3148

23

1

Joahas patri defuncto Jehu succedit, anno 23. Joasi filii Ahasia, & annis 17. regnat 2. Reg. XIII, 1.

3163

38

16, 1

Joas filius Joahasia patre regni particeps factus est, anno 37. desinente Joasi regis Judæ: & 16 annis regnavit 2. Reg. XIII, 10.

3165 Joas graviter decumbens a servis suis trucidatur

40

2

tur



Anno Orbis.		A.Reg. Judæ.	A.Reg. Israel.	
	tur, ineunte regni sui anno 40. 2. Chron. XXIV, 1. 23. sq. 2.Reg. XII, 1. 17. sqq.			
	<i>Amazias</i> filius, anno Joasi Israelitici 2. desinente, interfecto patri succe- dit, regnum 29. annos tenens 2. Reg. XIV, 1. 2.	1	2	
			3	Joahas filius Jehu mori- tur cum annis 17. re- gnasset: tertio autem anno post ascitum in imperium filium Joa- sum currente 2. Reg. XIII, 1. 9.
3168		4	5. 1.	<i>Jerobeam II.</i> a patre Joa- so, ad bellum Syria- cum profecturo, in re- gni consortium assum- tus fuisse videtur: ut ea ratione, Jerobeami hujus anno 27. Azarias rex Judæ regnare cœ- pisse intelligatur. 2.Reg. XV, 1.
3179		15	12. 1.	<i>Jerobeam II.</i> defuncto pa- tri succedens, annis 42 post mortem Parentis regnavit solus, a 15. Amazie Regis Judæ anno 2. Reg. XIV, 23. postquam ipse in duo- decimum jam annum regni paterni consors fuiſſet,

Kk

Amasi-



Regum.	Anni Orbis.		A.Reg. Judæ.	A.Reg. Israel.	
	3194	Amasias, facta adversus eum conjuratione, oc- ciditur 2. Reg. XIV, 17. seq. 2.Chron.XXV, 27. 28.			
		Cui <i>Ussas</i> sive <i>Azaria</i> fi- lius succedit, anno 27. Jeroboami Israelitici (ex quo ille regni pa- terni particeps erat fa- ctus) annisque regnat 52. Hierosolymis 2. Reg. XV, 1, seq.	I	27.16.	
	3220		27	52.41	Jerobeam moritur. Hinc urbæ enatæ, ad <i>avag- xav</i> regnum Israeliti- cum perduxerunt, un- decim cum dimidio annorum spatio conti- nuatam. Ejusmodi e- nim <i>interregnum</i> Syn- chronismus Regum hic postulat; ut Za- chariæ menses sex tri- gesimo octavo, & in- terfectoris ipsius Shal- lumi mensis unicus tri- gesimo nono Azariæ s. Ussæ anno responde- ant. 2. Reg. XV, 8. 13.
	3228		35	9	Ab ætate hujus anni pri- ma Græcorum nume- ratur <i>OLYMPIAS</i> : desinitque istud tem- porum intervallum, quod

Anno Orbis.	A. Reg. Judæ.	A. Reg. Israel.	
			quod Varro <i>μυθμὸν</i> dixit, incipitque illud quod dicitur <i>ἰσοπνέον</i> .
3232	38	12. 1.	<i>Zacharias</i> , filius Jeroboa- mi, regnavit anno 38. Azariæ regis Judæ, sex mensium spatio 2. Reg. XV, 8.
	39		<i>Sallum</i> , Jabeſi filius, qui Zachariam coram po- pulo trucidaverat, an- no 39. Azariæ, regna- vit mense unico 2. Reg. XV, 13.
		I	<i>Menachem</i> Sallumum oc- cidit, & de regni pos- ſeſſione per II. ferme menses contendit: in- qua dein a Phule Assy- riorum Rege confirma- tus, 10. annis præſuit, a 39. Azariæ anno defi- nente c. XV, 17.
3243	50	10. 1.	<i>Pekajah</i> patri Menache- mo defuncto ſuccedit, & regnavit biennio 2. Reg. XV. 23.
3245	52	2. 1.	<i>Pekah</i> , interempto Sama- riæ Pekajah, in palatio regio, regnavit annis 20 ab anno 52. Uſiæ ſ. Aza- riæ regis Judæ 2. Reg. XV, 25. 27.
3246		I	2
		Kk 2	cundo

Defuncto Uſiæ ſuccedit
ſilius *Jotham*, anno ſe.



260 INTRODVCTIO AD LIBROS BIBLICOS

De libro Regum.	Anno Orbis.	A. Reg. Judæ.	A. Reg. Israel.	
	cundo Pekæ regis Isra- el: & 16. annis regna- vit Hierosolymis 2 Reg. XV, 32. 33. 2. Chr. XXVI, 23. & XXVII, 1. 8.			
3256		11	12	ROMA paulo ante initi- um Olympiadis 8. in fe- sto Palilitio, 12. Calend. Maji a Romulo condi- cæpta est.
3257		12	13	Ab hoc tempore cæpit era Nabonassara: cum Assyriorum imperio destructo, Abaces Me- dis, ab Assyriorum jugo liberatis, αὐτονομίαν redderet v. Herodot. lib. I. c. 95. Belesis vero, in Scriptura (Jes. XXXIX, 1. & 2. Reg. XX, 12.) Baladan, Ptolemæo & Cenforino Nabonassar vocatus, regnum Baby- loniæ adipisceretur.
3261	Achas patri Jothamo suc- cedens, anno 17. desi- nente Pekæ, 16. annis regnavit Hierosolymis 2. Reg. XVI, 1. 2. 2. Chron. XXVIII, 1.	1	18	
3265		4	1	Hosea filius Elæ, interfe- cto Pekæ Remaliæ filio, regnum invasit, anno vigesimo, ex quo Jo- tham

Anno Orbis.		A. Reg. Judæ.	A. Reg. Israel.	
				tham in Juda regnare cœpit 2. Reg. XV, 30. i. e. quarto regni Aha- si. Sed ob turbas & se- ditiones intervenien- tes regno statim potiri non poterat, unde Res- publica ad <i>ἀναρχίαν</i> quandam per 9. annos reducta est.
3274		13.	9. I.	Hosea turbis domesticis compositis, regno tan- dem potitus est, anno desinente 12. Achasi Regis Judæ, & regna- vit annis 9. 2. Reg. XVII, 1.
3277	Ezechias s. Hiskias a patre Achaso ultimo regni ejus anno in domina- tus consortium adsci- tus, inde a 3. anno de- sinente Hoseæ regis Israel, 29. annis regna- vit Hierosolymis 2. Reg. XVIII, 1. 2. Eodem anno mortuus est Achasis 2. Reg. XVI, 20.	16. I.	4	
3279		3	6	Hosea annum, quod mit- tere solebat, tributum Salmanassar recusavit, rebellis factus 2. Reg. XVII, 4.
3280		4	7	Salmanassar comperta Hoseæ conspiratione, totum

Kk 3

totum



262 INTRODVCTIO AD LIBROS BIBLICOS				
De libro I. Regum,	Anno Orbis.	A.Reg. Judæ.	A.Reg. Israel.	
	3283	6	9	totum regnum Israeli- ticum pervadit : & ascendens contra Sama- riam anno 4. Ezechia, & 7. Holoæ (utroque ineunte) obsedit eam tribus annis 2. Reg. XVII, 4. 5. & XVIII, 9. Sub finem anni tertii obfi- dionis, regnique Eze- chia sexti & Holoæ no- ni, Samariam cepit Sal- manassar : & deporta- vit Israelitas in ditio- nem suam, collocavit- que in Calacho, Cha- bore, Nehar-gozane, (quo Perææ incolas, si- ve duas tribus & dimi- am trans Jordanem, prius transtulerat. Tiglath-Pileser 1. Chr. V, 26.) & in civitatibus Mediæ. 2. Reg. XVII, 6. XVIII, 10. II. <i>Atque hic finis fuit regni Israe- litici, postquam 254. an- nis stetisset, a regno Ju- dæ sejunctum.</i>
		A.Reg. Judæ.		
	3283	7		Post excidium regni Israelitici, Ezechias regnavit adhuc in Juda annos 23.
	3306	1		defuncto Ezechia <i>Manassès</i> filius succedens, 55. annis re- gnavit 2. Reg. XXI, 1. 2. Chron. XXXIII, 1.
	3327	22		completa est Prophetia Es. VII, 8. <i>intra sexaginta quinq; annos</i>

Anno Orbis.	A.Reg. Judæ.	
		<i>annos atteretur Ephraim, ut non sit populus, initio regni Achasi promulgata. Quod factum ab Assar Haddon Rege Assyriæ Efr. IV, 2. 10. cujus exercitus eodem tempore e Samaria in vicinam Judæam progressi, Regem Manassæm ceperunt, & vinctum Babylonem deduxerunt, quod anno regni ejus 22. accidisse Judæi tradunt: e qua tamen captivitate brevi post restitutus fuit: unde ejus nulla habita ratione 55. annis regnasse Hierosolymis dicitur 2. Reg. XX, 1. 2. Chron. XXXIII, 1. 12. 13. Samaritanorum nova cuditur religio, cujus originem vide 2. Reg. XVII, 25. 33. 41.</i>
3361	55	<i>Manassæ moritur, & in horto domus suæ sepelitur. 2. Reg. XXI, 18. 2. Chron. XXXIII.</i>
	I	<i>Amon filius succedens, biennio regnavit 2. Reg. XXI, 19. 2. Chron. XXXII, 21.</i>
3363	2. I	<i>post occisum Amonem, Josias filius, octo annorum puer rex constituitur, annosque regnat 31. 2. Reg. XXII, 1. 2. Chron. XXXIV, 1.</i>
3380	18	<i>Josia reformatio, & fœderis divini renovatio facta 2. Reg. XXII, seq. 2. Chron. XXXIV, 8—28. Hinc 40. annorum peccati Judæ epocha deducitur ap. Ezech. IV, 6.</i>
3394	31	<i>Josias, in bello contra Regem Ægypti Necho temere suscepto, occiditur 2. Reg. XXIII, 29. 30. 2. Chron. XXXV, 22. 23.</i>
		<i>post cædem Josiæ populus Sallumum, sive Jehoachasum, juniorem Josiæ filium regem unxit: quem tamen, ab Assyriaca expeditione reversus Necho, cum tribus saltem mensibus regnavisset, amovit; fratremque natu majorem Eliakimum regem constituit pro Josia patre ejus, immutans nomen ejus Jehojakimum. 2. Reg. XXIII, 30. seqq. 2. Chron. XXXVI, 1. seq.</i>
	I	<i>hoc anno in societatem regni assumtus creditur Jechonias, ob 2. Chron. XXXVI, 9.</i>

captum



Anno Orbis.	A. Reg. Judæ.	A. Cap- tivit. Babyl.	
3398	4	I	captum regem Jehojakimum, Nebucadnezar anno regni sui primo, cum in Syriam & Judæam cum copiis suis irruisset, catenis vincivit, ut abduceret eum Babyloniam 2. Chron. XXXVI, 6. sed pactis postea conditionibus servitutis, domi cum reliquit, ubi servus illi permanfit tribus annis 2. Reg. XXIV, 1. A qua prima omnium regis & populi Judaici sub Nebucadnezare facta servitute, <i>inchoandi sunt LXX. anni CAPTIVITATIS BABYLONICÆ</i> Conf. Lightfoot. <i>Proleg. ad Harm. Evang. Sect. 7. P. I. Opp. p. 245.</i>
3405	I	8	Jechonias regnare cepit circa mensis duodecimi diem 25. regnavitque mensibus 3. 2. Reg. XXIV, 8. & diebus 10. 2. Chron. XXXVI, 9. hoc eodem anno 8. Nebucadnezaris prope completo, eidem sese cum obsessa Hierosolyma tradidit Jechonias, cum matre Nehusta, uxoribus & aulicis captivus abductus, cum 10000. virorum ex urbe, & 7000. ex reliqua regione, ut & 1000. fabris lignariis ac ferrariis, quos omnes captivos in Babyloniam abduxit victor 2. Reg. XXIV, 8. 2. Chron. XXXVI, 10. Jer. XXIV, 1. XXIX, 1. Ezech. XVII, 12. Nebucadnezar, Jechonia loco regem substituit patrum ipsius Mattaniam, Josia filium, nomine ejus in <i>Zedekiam</i> mutato, qui regnare cepit mense 4. die 10. & regnavit undecim plenis annis Hierosolymis 2. Reg. XXIV, 18. 2. Chron. XXXVI, 11. Jer. LII, 1.
3408	4	11	hic annus quartus regni Zedekia a Jeremia c. XXVIII, 1. principium regni ejus dicitur, quo scilicet is noviter in regno suo a Nebucadnezare confirmatus Babylone est, quo profectus erat Jer. LI, 59.
3416	11	19	mensis 4. die 9. obsessa Hierosolyma a Chaldaeis occupata

Anno Orbis.	A. Reg. Judæ.	A. ca- ptivit. Babyl.	
			cupatur 2. Reg. XXV, 2. seq. Capto Zedekia, oc- cisi prius ejus liberis in conspectu ipsius, oculi effossi, numellisque ipse vinctus chalybeis in Ba- byloniam deportatus est.
			mensis 5. die 10. templi Salomonici & urbis Hieroso- lymæ excidium factum Jer. LII, 12. 13. anno Ne- bucadnezaris 19. desinente: Olympiadis XLVIII. anno 1. incunte, Nabonafari 160. currente; postquam a Salomone condi cœptum est, annis 424. mensibus 3. & diebus 8.
			<i>Hic finis Epochæ Regum in populo Dei.</i>
	3419	22	hoc anno abductæ sunt reliquæ populi e terra Israc- litica per Nebusar Adan Jer. LII, 30.
	3420	23	finiunt anni peccatorum Israelis 390. & 40. anni peccatorum domus Judæ, Ezechieli c. IV. memo- rati, de quibus supra hoc ipso §. (II) dictum: in extrema desolatione nimirum, quæ terram penitus incultam reliquit.
	3442	45	translati Jechonia anno 37. Evilmerodach Patri Ne- bucadnezari, succedens, Jechoniam, mutatis ve- stimentis car-ceris ejus, ceteris principibus in au- la Babylonica antepōnit, cujusque caput exaltat 2. Reg. XXV, 27. seq. Jer. LII, 32.
	3444	47	Jechonia vita functus videtur 2. Reg. XXV, 29. 30. <i>Hic desinunt libri Regum.</i>

(VI.) Et hac quidem ratione facili negotio componi possunt, quæ circa numeros in Regum & Chronicorum libris adversa invicem fronte concurrere videbantur. Quod enim (a) 1. Reg. XVI, 8. Baasa anno 26. Asa regis Judæ mortuus legitur, qui idem tamen anno 36. Asa invasisset 2. Chron. XVI, 1. memoratur, id non de annis regiminis Asa, sed de regni, quod tenebat, Judaici ab Israelitico divisi auspicio capiendum, adeoque a Rehabeami initiis deducendum est, ut 13. annus Baasa, quo bellum ipse movit, decimus sextus Asa Regis sit, at regni, quod Asa post Rehabeamum avum gubernabat, trigesimus sextus.

L1

(β) quod



(β) quod Amri 1. Reg. XVI, 23. Aſa anno 31. regno poritus, duodecima illud tenuiſſe legitur, qui tamen anno 38. Aſa v. 29. deſunctus, ſeptem ſaltem in regno conſeciſſe annos videtur, facile ſolvitur ex anteced. v. 15. ſeq. ubi una cum Simri anno Aſa 27. electus narratur, æmulum tamen regni ſtatim naſtus Thibnin, in quintum uſque a prima electione annum, qui ipſe 31. eſt Aſa. Duodecim ergo cum regni ejus anni numerantur, auſpiciū a prima ejus in regem electione & ab anno 27. Aſa capitur: ubi vero Aſa 31mo rex factus dicitur, ſolitarium ejus regnum, ſublato æmulo, reſpicitur. (γ) quando Joram Iſraeliticus anno ſecundo Jorami Judaici regnum cepiſſe 2. Reg. I, 17. memoratur, cum tamen ruriſus Joram Judaicus anno 5. demum Jorami Iſraelitici a Joſaphato patre in regni conſortium admiſſus legatur 1. Reg. VIII, 16. ita conciliandum eſt, ut Judaicum illum dicas vicariam regni adminiſtrationem a patre Joſaphato, anno regni ſui 17. ad periculoſam perquam adverſus Syros expeditionem proficiſcente, jam naſtum fuiſſe, adeoque anno & amplius ante Joramum Iſraeliticum regni gubernaculis admotum: ſolenni vero pompa regni conſortem a Patre Joſaphato alleſtum demum fuiſſe anno regni Joſaph. 23. qui in quintum incidit Jorami Iſraelitici annum. Triplex ergo auſpiciū regni Jorami Judaici, ſat notabilibus temporum intervallis diſtinctum, obſervare licet: unum, quo anno regni paterni 17. Pro-Rex conſtituebatur; alterum anno regni paterni 23. quo æqualem cum patre regni poteſtatem adipiſcebatur; ultimum poſt fata parentis, cum ſolus regnum teneret. (δ) cum Ahaſia annos natus 22. rex factus 2. Reg. VIII, 26. legitur, idem tamen 2. Chron. XXII, 2. annos jam 42. ætatis habuiſſe, cum ſceptra capeſſeret, dicitur; prior ille numerus ad ætatem utique referendus, haud vero æque poſterior, quippe qui vel ad æram Samaritanam referendus eſt, in qua ad hanc Ahaſiæ ætatem, cum rex fieret, anni 42. fluxerant; cum a condita Samaria ſex annis Amri, proavus ejus maternus, 22. filius ejus Ahab, 2. Ahaſia, & Joram jam in 12. annum regnaret, qui juncti 42. efficiunt, unde factum ſuſpiciantur aliqui, ut Athalia Amri filia hic dicatur, patre tamen Ahabo, avo Amri prognata, quod ab Amri calculum ducendum eſſe innuatur: vel ad idololatriam regni ſui, quod filius 42. annorum in regno idololatrico & ſectator impietatis illius dicatur, quæ per 42. annos inde a proavo materno vigit. Confer omnino huc b. Calov. *Bibl. Illuſtr. ad l. c. Chron. T. I. p. 854. ſeq.* (ε) cum 2. Reg. XV, 1. Azaria vel Uſia regnum occupaviſſe anno 27. Jerobeami II. Iſraelitici dicitur, qui tamen Jerobeam anno 15. Amaziæ ſolum conſcendiſſe
2. Reg.

2. Reg. XIV, 23. legitur, a morte Amaziæ ad initium regni Ufiæ vel Azariæ hiatus annorum 11. solidorum in epocha regum Judæ dabitur, quem interregno quidem absorptum fuisse Calvisius, Behmius, Cappellus, alique credunt. Præstat autem, Jerobeamum anno Amasiæ 4. a patre Joram, ad bellum Syriacum profecturo, in regni consortium adscitum, conjectare, & ab hoc annos illos 27. 2. Reg. XV, 1. numerare, alterum vero illud regni initium c. XIV, 23. indicatum, de regno solitario, quod defuncto patre anno 15. Amaziæ solus capessivit Jerobeam, explicare, quam annorum regum Judæ totiusque epochæ seriem ac ordinem, inserto interregno, turbare. (3) cum ab anno 15. Amaziæ Regis Judæ, Jerobeamus II. Israeliticus annos 41. (2. Reg. XIV, 23.) & post eum filius ejus Zacharias menses sex, trigesimo octavo Azariæ s. Ufiæ anno, deinde Sallum mensem unum, anno Ufiæ 39. (c. XV, 8. 13.) regnasse scribatur, ut ista possint consistere, annorum 11. & mensium 6. interregnum interponendum est, ut adeo Jerobeamo II defuncto Zacharias filius 2. Reg. IV, 29. non immediate successisse, sed post undecim demum cum dimidio barbarum, & ἀναρχίας annos surrogatus credatur. (4) quando Hosea rex Israel 2. Reg. XV, 30. anno vigesimo regni Jotham, filii Ufiæ, interfecto Pekæ successisse dicitur, cum tamen Jotham 16. saltem annis in universum præfuisse legatur v. 33. & 2. Chron. XXVII, 8. tum quartus successoris Achasi annus adhuc a Jothamo, licet jam ante quadriennium defuncto, denominatur, hujusque a nomine, vivis jam quidem exempti, temporis notatio desumitur, quod nullam adhuc Achasi mentionem fecerat Scriptura S. aut quod ex indignatione regem impiissimum Achasum nominare detrectaverit Spiritus S. Quando vero idem Hosea 2. Reg. XVII, 1. anno duodecimo Achasi rex demum factus memoratur, geminum utique regni ejus auspiciū, octo & amplius annorum spacio distans, statuendum & ita conciliandum est, ut interfecto Pekā statim quidem regnum invasisse credas Hoseam, anno Jotham vigesimo, qui quartus est Achasi, sed contententibus aliis de principatu, ad ἀναρχίαν republ. perducta est, donec post 9. annos, domesticis turbis sedatis, regno demum pacato fuerit positus. (5) pariter & Jechoniæ geminum regni initium tribui videtur, 2. Chron. XXXVI, 9. quidem octavus ætatis ejus annus; 1. Reg. XXIV, 8. autem decimus octavus, unde probabile est, octavo ætatis anno a patre in regni, quod ipse in alterum annum tenebat, societatem admissum esse, decimo autem octavo anno patri defuncto successisse, ex quo tribus tantum mensibus thronum tenuit, mox a Nebucadnezare cum suis uxoribus



De libro I.
Regum.

translatus, eo quod male præflet. Hoc sane pacto apte sibi omnia respondent, nec est, ut textum sacrum alius postulemus corruptelæ, quod a Grotio quidem, Capello, & Pontificiis Doctoribus minus miramur factum, quam cum Vir Doctiss. Campeg. Vitringa in *Hypotyp. Hist. S. p. 67. §. 37.* sibi aliisque persuadet, fieri posse, ut numeri aliqui in historia Chronicorum, quæ dicitur, a librariis per socordiam fuerint corrupti, ut 2. Chron. XXII, 2. coll. cum 2. Reg. VIII, 26. 2. Chron. XXXVI, 9. 10. coll. cum, 2. Reg. XXIV, 8. Bella sane ratio, qua omni in conciliandis ἐναντιοφασίαις labore supersedere, unoque corruptionis opprobrio nodos quosvis solvere queas; cum tamen ne vero quidem sit simile, eandem omnium librorum circa eadem loca fuisse socordiam, ut universalis inde per omnes omnino codices (qui enim aliter legat, nullum producere potuit) corruptio grassaretur. Ne dicam, omnem Scripturæ ἀσφάλειαν, hoc commento semel admissio, e medio tolli, cum in quovis alio loco æque ac in numeris, quos quidem Hebræi non signis indicant, quorum facilis esse posset permutatio, sed integris vocibus enunciant, corruptio vitium intulisse textui dici queat, quod nemo Pontificius facile repudiaverit; ut omnino mirer, Theologum Reformatum intamini textus Hebraici hostibus, si non adversus Scripturæ auctoritatem tela subministrare, herbam saltem porrigere. Præstitisset omnino, si veterum Religionis suæ Doctorum aurem præbisset monito, quo in *Commentar. Martyris & Wolphii ad 2. Reg. VIII, 17.* legitur: *Occurrunt sæpe obscura loca in iis Chronologiis, ad quæ concilianda non eo confugiendum puto, ut dicamus Codicem sacrum mendosum. Nam Deus, qui pro sua misericordia voluit divinas literas nobis conservatas, eas etiam integras, non corruptas concessit. Quamobrem, si quando quoad numerum annorum nos explicare minime valemus, fatenda est ignorantia, qua laboramus. Et attendendum, sacras literas quandoque tam concise loqui, ut non facile appareat, unde supputatio incipienda sit. Maneat itaque Scriptum incorrupta, quæ si labefactetur in uno aut altero loco, in aliis quoque suspecta erit.*

VI.

Canonica
auctoritas
asserta

Canonicam utriusque libri Regum auctoritatem nemo, quod sciam, in dubium vocavit, cum nexu tam arcto ceteris libris Biblicis hic noster, cohæreat, ut canoni si eximatur, nec sua historiæ sacræ integritas constet, nec Chronicorum volumen, vel Jesaiæ quoque ac Jeremiæ vaticinia, satis salva gaudeant vel auctoritate, vel luce. Tanti ergo Regum libros ipse fecit Salvator, ut divina inde & irrefragabilia depromeret argumen-
ta,



ta, cum ad historiam famis, quæ Eliæ ætate terræ sanctæ gravis iacubuit & ad missionem Prophetæ in ædes Zarpathanæ, porro ad Naamanis Syri a lepra sanationem, ex 1. Reg. XVII, & 2. Reg. IV, disertis verbis apud Lucam c. IV, 25. 26. 27. provocaret. Sic & ex 1. Reg. X. citato reginæ Austri exemplo, quæ pernoscendæ sapientiæ Salomonis gratia tantam viam confecit, supinam istius ætatis hominum negligentiam gravissime notavit. Magistri sui vestigia legentes, S. Stephanus structuram templi Salomonis ex 1. Reg. VI. repetit Act. VII, 47: & Paulus Rom. XI, 2. 3. 4. verba ipsa orationis juxta Eliæ, ac oraculi divini, ex 1. Reg. XIX, allegat: Jacobus quoque in demonstranda precum virtute ad Eliam provocat c. V, 17. 18. precibus suis cælum claudentem & aperientem 1. Reg. XVII. & XVIII, 41. seq. Citat præterea Huetius *l. supra cit. § 4. p. 348.* testimonia gentilium, & ad publicam Tyrionum monumentorum fidem, ad varia veterum fragmenta, Josephi, Eusebii, Clementis Alexandrini studio nobis servata, ad Herodotum & Berosum provocat, quæ quidem historicam ac humanam his libris fidem conciliant, ut contra hanc testimonium nubem eorum veritatem nemo sanus temere inficias iverit. Julianus ille Apostata, quantumlibet profligatæ impietatis homo acerrimusque divini codicis infectator, librorum Regum tamen fidem ausus non est dubiam reddere, dum ignem qui Eliæ holocaustum absumsit, cælo delapsus fatetur ap. Cyrill. *lib. X. advers. Julian.* edit. Lips. p. 343. cumque ex 2. Reg. XVIII. ingentem illam Assyriorum stragem ab angelo percussore exercitui Rablakæ illatam commemorasset Cyrillus *lib. VII. p. 221.* divinamque illam ultionem Deastris gentilium opposuisset, nihil habebat Julianus, quod contra veritatem vel historiæ vel libri oggereret, adeo ut intactum hunc locum sicco præteriret pede. Quæ cum ita habeant, mirari profecto subit, qua fronte Spinosa fidem ac ἀσφάλειαν his libris derogare ex numerorum computatione sitagat, dum *cap. IX. tract. Theol. Polit. p. 118.* ejusmodi annorum ab Exitu Ægypti ad templi structuram lapsum computum init, qui integro seculo numerum 1. Reg. VI, 1. definitum superat. Quia tamen quam exacte sibi constet, prolixè docuimus supra *cap. X. § 8. p. 183. seq.* Nec minor videtur fuisse circa annorum computationem discrepantia, inquit p. 120. in libris *Chronicorum Regum Juda & libris Chronicorum Regum Israelis*, cujus rei exemplum profert ex 2. Reg. I, 17. & c. VIII, 16. Et si quis præterea historias libri Paralip. conferre velit cum historiis librorum Regum, plures similes discrepantias inveniet, quas hic non opus habeo recensere, & multo minus autorum commenta-

a Spinosa
impugna-
ta.



De libro I.
Regum.

quibus has historias conciliare conantur. At vero ista omnia concinne perquam componi posse, §. præcedens docuit, qui ista solvit dubia, quæ in contumeliam librorum sacrorum profanus homo vertere poterat. Nec ideo, ut ipsi quidem videtur, ex his clarissime sequitur, veram annorum computationem neque ex ipsis historiis constare, neque ipsas historias in una eademque convenire, sed valde diversas supponere. Ac proinde fatendum, has historias ex diversis scriptoribus collectas esse, nec adhuc ordinatas neque examinatas fuisse. Quæ pro more *μωσολέειν* ex ingenio autoris, nullo fundamento allata eo tendunt, ut non humanum saltem, sed & confusum præterea nec tutæ satis fidæ hoc Regum opus nobis persuadeant, in quo prudente quodam selectu opus sit, ut quid humanum, quid divinum, quid recipiendum quidve sit repudiandum, dignoscas. Eamque tantam conviciorum molem discrepanti tantum annorum computationi superstruit, cum aliud non reperiret, quod criminaretur.

VII.

Partitio.

Capita complectitur liber I. Regum XXI. versus 809: partes, ex b. Waltheri mente *Offic. §. 835.* tres, quarum (I.) historiam tradit ante templi ædificationem, de Davidis senio & morte, Salomonis quoque inauguratione, sapientia, justitia &c. usque ad c. V. (II.) ædificationem templi exponit ad c. VIII. (III.) quæ post structuram hanc gesta sunt. Verum concinnior haud dubie est bipartita distributio, quæ b. Friedlibii *Observ. Bibl. ad b. l. b. Calovii Bibl. Ill. b. l. e* Reformatis autem Hottingeri *Thef. Philol. L. II. c. I. Sect. 2. p. 466.* Heideggeri in *Enchir. b. l.* aliorumque fere communem calculum tulit, qua pro diversitate regni vel integri, vel divisi, libri P. I. historiam persequitur regni, sub Davidis senio & florentissimo Salomonis imperio, integri c. I—XI. P. II. statum regni unius in duo *δις* enarrat, Judæ sub quatuor, Israelis sub octo regibus primis c. XII—fin.

VIII.

Tabula
Synoptica.

Tradit ergo liber historiam

I. regni integri sub Salomone, ubi

- α) Salomonis, sub extrema Davidis, inauguratio c. I.
- β) ejusdem ultima a Patre instructio, regnique confirmatio c. II.
- γ) divina sapientiæ collatio, ejusdemque specimen c. III.
- δ) felix regni administratio
 - 1. in œconomicis & politicis c. IV.
 - 2. in ecclesiasticis per structuram templi, ubi

α. ma.



a. materia ab Hiram suppeditata & architectorum ordines c. V.

b. structura ipsa & forma templi, c. VI.

c. domus Salomonis & vasa templi c. VII.

d. solennis templi, illata arca, inauguratio c. VIII.

e. divina per factam apparitionem, approbatio c. IX.

3. fama Salomonis ad externos sparsa, & adventus Reginae Sabæ c. X.

e) infelicia ejus fata, eorumque causæ, conjugia prophana & idolatria c. XI.

II. regni distracti, sub regibus Judæ

a) Rehabeamo, ubi

1. schisma tum qua regnum, tum qua cultum publicum ortum c. XII.

2. divina Jerobeami a schismate in religione per prophetam, tentata revocatio c. XIII.

3. Jerobeami excidium, templique a Sisak facta depredatio c. XIV.

β) Abiah c. XV, 1—8.

γ) A'ia v. 9—24.

δ) Josaphato, ubi in regno Israelis

1. cædes Nadabi v. 25—fin.

2. στυγῆνοι, Ela, Simri, Amri, Achab c. XVI.

3. Elias

a. Siccitatem prædixit, & Sareptanam sustentavit c. XVII.

b. Baalitas mactavit c. XVIII.

c. in exilio cum Deo collocutus, Jehu Regem, Elisam prophetam constituit c. XIX.

4. Benhadadi ab Achabo devicti in vivis conservatio c. XX.

5. Naboth ob vineam nefarie occiditur c. XXI.

6. impio foederi Josaphat implicatur c. XXII.

IX.

Patres veteris ecclesiæ, quorum in hoc libro explanando desuda- Interpretes: vit industria, supra ad I. I. Sam. citati, THEODORETUS & PRO- Patres: COPIUS e Græcis: in Latinis AUGUSTINUS, HIERONYMUS, EVCHERIVS, ISIDORUS uterque, BEDA, S. PATERIVS, RUPERTVS huc redeunt, nec est quod ibi c. XII. §. 10.

p. 228.



De libro I,
Regum,

p. 228. dictis adjiciam. Origenes autem, quo jure huc citetur a collectoribus Bibliothecarum, plane me fugit, cum nihil ejus in hos libros hodie proflet. Pariter & AMBROSIVM huc referri video, qui nec ipse tamen librum explicatione illustravit; sed tituli opusculorum ejus nonnullorum bonos viros fefellisse videntur, cum lib. *de Salomone*, *Opp. T. IV. p. 417.* dictum Prov. XXX, 18. 19. ex instituto excussit, motoque sibi dubio, qui factum sit, ut tria se nescire, quantumque se comprehendere non posse profiteretur Salomon, qui tam locuples tamen sapientiæ possessor a Spiritu Dei prædicetur, ut omnia, humana certe, cognovisse visus sit? singula ista dicti membra ita sub incudem vocavit, ut mysteria in singulis venetur: libro *de Nabuche Israelita p. 272.* divites avaros exagitavit: libro *de Helia & jejuniis p. 323.* de antiquitate & usu jejunii, nec non de ebrietatis fuga ex instituto egit. Huc quoque a Lipenio in *Biblioth. Theol. p. 647.* nec non a Georg. Matth. Königio *Biblioth. Vet. & Nov. p. 212.* refertur Joh. Roderici a Corduba CATENA in libros Regum, collecta, & Lugduni in fol. Tom. II. 1652. edita, quam tamen a b. Ittigio nostro in *de catenis & Biblioth. P.P.* a Guil. Crowæo in *Elencho Scriptorum in S. Scriptur.* alique, qui in hoc argumento data opera sunt versati, prætermissem miror.

Rabbini:

E Judæis conferantur superius p. 35. sqq. porro c. IX. §. 11. p. 163. & c. XII. §. 10. p. 230. nominati.

Lutherani:

Nostrates ecclesiæ Doctores Regum libros enarrarunt JOH. BRENTIVS *T. II. p. 838.* JO. BVGENHAGIVS Wittebergæ in 8. A. 1525. ABEL NEZENIVS in singularium Exercitat. P. II. Jenæ in 4. A. 1611. MAVRIT. HELINGIVS in Periocha, qua argumenta capitum, & locorum communium breves consignationes expedit in Sam. & Regum libros, Noribergæ in 8. A. 1594. HIERONYM. WELLERVS Tomo Opp. Latino p. 203. NICOL. FRISCHLINVS, cujus huc citatur Hebræis s. Regum Judaicor. & Israeliticorum historia, Argentorati A. 1599. ERASMVVS SARCERIVS comentario Lipsiæ edito A. 1559. SEBAST. LEONHARDVS in *ὑπομνήματα* in libb. Regum, Erphord. in 8. A. 1606. & Lipsiæ A. 1610. 1614. SEBASTIAN. SCHMIDIVS, cujus in libros Regum annotationes M. Joh. Ullmanni studio, post b. Autoris obitum Argentorati prodierunt in 4. A. 1697. Sermonibus vernaculis eum illustrarunt BALTHAS. BIDEMBACH Lipsiæ fol. 1665. JO. MICH. DILHER, in *Jugendschau und Easterplatz* p. 369—653. ubi Salomonis, Rehabeam,



beami, Abiæ aliorumque Regum vitas strictim persequitur: novissime autem JO. HENR. HÆVECKER in Groß-Herzlichen Königs-Saal/ auff welchen die wiederlebende Königreiche Israel und Juda nach ihrem Thun und Lohn/ in dem Römisch-Deutschen Christen-Reiche/ und dessen Regenten und Unterthanen/ mit ihren zufälligen Veränderungen aus den Büchern der Könige vorgestellet werden 2c. Lipsiæ in 4. A. 1710. Salomonis historiam s. in capp. XI. priora libri I. Reg. XC. homilias consignavit M. CHRISTOPH. WELHAMMER: quam ipsam quoque D. BALTHAS. SCHVPPIVS brevibus annotationibus illustravit.

De Pontificiis hic repetenda sunt, quæ c. XII. §. 10. p. 231. dicta sunt. Pontificii:
de ANGELOMO: ANTONINO Florentino: JAC. BONFRERIO: NICOL. CAVSSINO: HADR. CROMMIO: ALEXANDRO de HALES: THOMA MALVENDA: FABRIT. PAVLVTIO: CLAVDIO RANGOLIO: CASP. SANCTIO: NICOL. SERARIO: ALPHON. TOSTATO: LVDOV. de VERA: RICHA. de S. VICTORE: BASIL. ZANCHIO. Quibus adde ALEXAND. ARCHIROTAM in lib. Regum diversa loca, in 4. Oxonii A. 1635. FRANCISC. de MENDOZA, cujus Commentariorum in libb. Regum tomus Colon. Agripp. in fol. A. 1634. prodiit: EVANGELISTAM MARCELLINVM Venetiis in 8. A. 1589. ut & ex parte JOANNEM de PINEDA S. J. in de rebus Salomonis Regis libris octo recusis Moguntia fol. 1613.

E Reformatis huc pertinent MARTIN. BORRHAVS alias REFORMATI:
CELLARIVS, ad libb. præcedd. sæpius nominatus: FRANCISC. BVRMANNVS in 4. Amstelodami A. 1691: PANTALEON CANDIDVS, cujus conciones funebres ex libris Regum concinnatæ Basileæ lucem viderunt, in 8. 1608. PETR. MARTYR & JOH. WOLFIVS, Heidelbergæ 1581. 1599. VICTORIN. STRIGELIVS Lipsi. in fol. A. 1591. CORN. GENTMAN *straffe der Godloosheid, ofte Verklaringe over het eerste Boek der Koningen*, Goes in 4. A. 1679. CHRIST. SCHOTANVS in *Bibliotheca historia S. V. T. Tomo II* p. 746—1010. JOSEPH HALL *Bibl. Gesichter P. II* p. 513—822. & in lib. II. Reg. p. 823—1213.

De JOHANNE CLERICO in hos libros ex supra dictis Remonstrantes.
constat.

Mm

CAP. XV.



CAP. XV.
De libro posteriore Regum.Summari-
um capituli.

Hujus a precedente libri distinctio, quibus autoribus & quo consilio facta?
§. 1. *Libri argumentum: Scopus: varia utilitas* §. 2. *Autoritas divina & Canonica evincitur* §. 3. *Partitio* §. 4. *Tabula Synoptica*
§. 5.

I.

Libri hujus
a preced.
distractio.

PAUCA admodum hic observanda veniunt, cum redeant, quæ *cap. præc.* nec non *c. XIII. §. 1.* diximus. Unde constat, hujus libri a precedente distinctionem, quocum Hebræis unum saltem, constituit volumen, Græcæ versionis autoribus acceptam esse ferendam, quam quidem Latinis necquicquam tribuit Sanctius *Comm. in 4. Reg. I, l. p. 1339.* Rectius vero divelli, quam ut in unum cum illo compingatur, censet Corn. a Lap. *Comm. in b. l. p. 219.* ex immutata regni Judæ facie: *Hic enim cæpit prolapsus regni Judæ, quod sub Salomone, ceterisque huc usq. regibus fuerat forte, amplum, & opulentum.* Quæ quidem ratio Sanctio probatur, ita tamen, ut rerum inclinationem regno Israelis potius, quam Judæ, adscribendam existimet. Satis enim prospera regnum Judæ adhuc sub Josaphato ceterisque Regibus fortuna utebatur, & cladibus licet hinc inde acceptis & illatis, prius tamen non inclinavit, quam sub Joahasō dura satis pateretur ab Ægyptiis *c. XXIV.* Ex quo tempore in pejus indies ruere cæpit, mox tributarium redditum finitimis regibus, donec sub Zedekia rege prorsus interiret. At Israelis potentiam statim ab initio hujus libri Moabitarum imminuit defectio, qui cum antea Israelis Regibus ex pacto servirent, nunc cum illorum viderent fractam esse potentiam, a data fide & foedere religiose concepto defecerunt. b. Hieron. Wellerus in argumento libri *Commentar. præmissio T. Opp. Lat. p. 339.* in eo potissimum distinctionis ponit fundamentum, quod cum in priore Regum libro peccata populi recensita fuerint, incredibili *manus scriptæ* Numinis tot annis tolerata, nunc in posteriore sequantur pœnæ, divinitus utrique regno inflictæ. Quæ satis commode sibi constat ratio, si dextre explicetur. Nobis tamen videtur similis, eo cum-



cumprimis respexisse distinctionis hujus autores, ut in æquales partes mo-
lem universi Regum operis secarent, & expeditiorem ejus in evolvendo,
citando, commemorando redderent usum.

II.

Jam de inscriptione & autore libri, de Chronologia item nihil adji-
ciemus iis, quæ *cap. preced.* satis copiose in medium attulimus. Argu- Argumen-
mentum autem libri (in quo recensendo prolixè versatur b. Wellerus tum
in Ep. Dedic. Comm. T. Opp. Lat. p. 332. seq.) utriusque regni historiam,
inde, ubi prior liber substiterat, continua serie pertexens, res gestas sede-
cim regum Judæ, a Josaphato usque ad Zedekiam; & regum Israelis
duodecim, ab Achasia ad Hoseam complectitur; simul etiam propheta-
rum, Eliæ cumprimis & Elifæ oracula & præclare facta cum cura exponit,
& quis regni utriusque finis, qui exitus impietatis fuerit, & quo demum
fato aliam longe ac diversam respublica Judaica faciem induerit, lucu-
lenter tradit. Scopus idem huic cum præcedente libro præfixus est, ut
ex typis Eliæ, Elifæ, Hiskia quoque regis, Messia non solum fata & gesta
prænoscantur, sed Genealogia quoque, ex Regum Judæ serie, integra
peteretur; tum etiam, ut populi Dei, in quo illustrem ecclesiæ V. T. se-
dem Deus fixerat, sacra pariter ac civilis, plena traderetur, nec interrupta
historia, ecclesiæque incrementa juxta ac decrementa docerentur. Chri-
sti enim in cælos ascensio vix illustriori unquam præludebatur typo,
quam Eliæ per turbinem in cælum evectione 2. Reg. II, cujus cum illa
convenientiam Biermannus tradit *Mos. & Chr. l. 1. cap. XII. p. 271.* qui
porro Elifæ quoque typicam ad Christum relationem *p. 274.* nec non
Hiskia Regis *p. 282. seq.* perquam diserte exponit. De Elifæ quoque
Waltherum nostrum vide *Offic. §. 851.* nec non Augustinum *Serm. 206.*
de tempore T. X. Opp. f. 1047. quem ita auspicatur: *Sicut de beato Helia*
diximus, quod typum habuerit Domini Salvatoris, ita & sanctum Heliseum
confidentè & secure asserimus Salvatoris nostri imaginem prætulisse. Quod
in sequentibus per partes declarat. Iis porro, quæ de Genealogia dixi-
mus, fidem facit Matthæus c. I, 8—11. Sed & utilitas haud una ex
hoc libro in pium redundat lectorem. Præter illas enim, quas *cap. præc.* Utilitas.
§. 4. recensuimus, discitur inde 1) quam severe Deus eorum irascatur,
peccatis, qui rerum potiuntur, suæque perversitatis exempla subditis
præbent: 2) quam vanum sit brachium humanum, maleque cedant
fœdera cum impiis inita, plus illatura damni, ubi judicia divina regnum
aliquod premunt: 4) quam duræ maneant vices potentissima etiam
M m 2 regna,



De libro II.
Regum.

regna, in quibus pietas & iustitia exulat, & quam horribiles sequantur peccata publice grassantia poenae, quibus opulentissima exhauriri & everti regna, florentissimas urbes excindi, clarissimas familias funditus deleri animadvertes: 4) quanta *μωγοθυμία* ad poenitentiam Deus homines invitet Rom. II, 4. & nihil relinquat intentatum, quo ad saniores eos flectere mentem, & imminenti subducere periculo queat: 5) quam calamitosus omnium Tyrannorum & *δεισέμων*, qui ecclesiam persequuntur, sit exitus, Sennacheribi aliorumque exemplo: 6) quam ne ecclesia suae divina parcat iustitia, ubi argentum ejus in scorias degeneravit Jes. I, 21. seq. ac mensura peccatorum impleta est, quin gravissime eam affligi patiatur, ita tamen ut reliquias sibi & semen sanctum mediis in turbis servet; & quae sunt alia porismata, in commentariis passim obvia, quibus Burmannum junge in *b. I. sub finem Comm. p. 173. seq.*

III.

Autoritas
Canonica.

De divina libri autoritate sufficere possent, quae supra §. 6. cap. praec. in medium attulimus, quibus nunc ex abundanti istud addimus, cui haud parum ponderis inest, argumentum a complemento vaticiniorum, divinorum in utriusque regni everfione & captivitate Assyriaca Israelis, & Babylonica Judae conspicuo. Ultramque a sanctissimis Dei vatibus, frequentibus perquam oraculis non modo praedictam, sed & signis ac actionibus mysticis (velut Jes. VII, 1. seq. Ezech. IV. &c.) delineatam, hic liber ipso comprobatur eventu. Eadem ergo ipse gaudeat necesse est, quam ad probandam tot vaticiniorum divinitatem ac *ἀνδεύριαν* adhibet, autoritate, irrefragabili sane atque Canonica. Accedit exacta historica narrationis, circa Hiskiae gesta, capitulum XVIII. XIX. XX. cum Jes. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. ut & circa translationem ultimam & captivitatem, capituli XXV. cum Jer. LII. harmonia & conformitas, quae historias illas eodem utrobique Spiritu, eademque autoritate consignatas haud leviter evincit; ut adeo hoc nostrum monumentum eadem veneratione ac mente pro divino sit suscipiendum, quo dictorum Prophetarum oracula prosequimur & volumina.

IV.

Partitio.

Capitibus hic liber absolvitur XXV. versiculis 712. & in duas ut plurimum disponitur partes, modo tamen dispari. b. Friedlibius in *Obsev. Bibl. in b. I. p. 378. priorem* articulum continere credit res gestas, vivente Elia & Elisaeo Prophetis ad cap. XI. *posteriores* comprehendere gesta post Eliae & Elisaei mortem ad c. XXV. Verum concinnius haud dubie



dubie distinctionis momentum in regni Israel interitu quæritur, ut *P. I. Regum*. utrumque regnum exhibeat, ad Israelitici usque excidium c. I—XVII. *P. II.* Superstes solum regnum Judæ, inde ab Ezechia ad captivitatem usque Babylonicam sistit c. XVIII—fin. quæ distributio b. Calovio, Hottingero in *Thef. Phil.* p. 467. & Heideggero in *Ench. p.* 101. (qui circa c. XVII. paululum a ceteris abit) placuit, & narrationis indoli magis respondet. b. Waltherus *Offic. S.* 846. tres partes constituit: *primam* de regno utroque simul florente adhuc, ceteris paribus, usque ad c. XVI. incl. *secundam* de captivitate Assyriaca tribuum Israel c. XVII. *tertiam* de regno Judæ tantum considerato ante sui captivitatem a c. XVIII—XXIII. & quoad ipsam captivitatem Babylonicam, tam priorem c. XXIV. quam posteriorem c. XXV. Sed præstat mediam ad primam partem referre.

V.

Agit ergo historia regnorum Judæ & Israelis hoc libro continuata, Tabula Synoptica.

parte

I. de utroque regno simul adhuc stante usque ad terminum Israelitici: habes regnante in Juda

- 1) *Josaphato*, cujus continuatur cœpta jam præc. libro historia,
 - α) Achazæ regis Israel lapsum, ab Elia increpationem, & mortem c. I.
 - β) Elia raptum, c. II, 1—10.
 - γ) Elia partim miracula, videlicet
 - a. aquarum Jerichuntis sanationem, & urforum in pueros immissionem c. II, 10—fin.
 - b. aquarum in bello Moabitico productionem c. III.
 - c. olei multiplicationem, & filii Sunamitidis suscitationem c. IV.
 - d. Naamanis leprosi sanationem c. V.
 - e. securis e Jordani fundo revocationem: Syrorum delusionem c. VI.
 - f. prædictam Samariæ vilitatem annonæ, conjectis infugam Syris c. VII partim vaticinia de septem annorum fame c. VIII, 1—15.
- 2) *Joram*, Edomæorum & Libnæorum defectionem c. VIII, 16—25.
- 3) *Achaz*
 - α) ejusdem impietatem c. VIII, 26. fin.
 - β) Jorami & domus Achabi a Jehu deletionem c. IX.
 - γ) Ze-

M m 3

Ze-



- γ) Zelum Jelu, tum contra familiam Achabi, tum contra Baalitas c. X.
- 4) *Athalia*, tyrannidem ejusque poenam c. XI.
- 5) *Joaso*,
α) ejus primo pietatem, hinc degenerationem, tandem interitum c. XII.
β) Syrorum trinam devictionem, & mortem Elifæ, miraculo conspicuam c. XIII.
- 6) *Amazia*, contra Edomæos victoriam, a Joaso Israelitico captivitatem, & cædem c. XIV.
- 7) *Azaria* vel *Ufia*,
α) ejusdem, sacerdotium invadentis, lepram c. XV, 1—7.
β) *Ζαχαρίας* in Israele, Sachariæ, Sallum, Menahem, Pekajæ, & Pekæ successionem c. XV, 8—31.
- 8) *Jothamo*, laudes ejus, præterquam quod excelsa non abolevit, c. XV, 32—fin.
- 9) *Ahaso*, oppugnati a Rezin & Pekah ad Regem Assyrium, Deosque gentilium, defectionem c. XVI.
- 10) *Ezechia* sive *Hiskia*, Hoseæ regis Israel in Assyriam abductionem, & REGNI ISRAELITICI FINEM, cultus vero SAMARITICI originem c. XVII.
- II. de regno Jude scorsim, post sublatum Israelis regnum, *superstite*, ad ejus usque interitum, Vides
- 1) regnum labefactatum, sub
α) *Ezechia* s. *Hiskia*, cujus memoratur
a. pietas, & a Sennacheribo facta oppugnatio c. XVIII.
b. oratio, & per angelum hostium percussorem, liberatio c. XIX.
c. morbus fatalis & restitutio c. XX.
β) *Manassæ*, de cujus idololatria & tyrannide c. XXI, 1—17.
γ) *Ammone*, a ministris occiso c. XXI, 18—fin.
δ) *Josia*, cujus pietas c. XXII. & celebratio Paschatis c. XXIII, 1—29.
ε) *Joaso*, qui a Pharaone victus in Ægyptum abducitur, c. XXIII, 30—34.



2. regnum cadens sub

α) Jofakimo, qui

a. tributarius Pharaoni factus c. XXIII, 34—fin.

b. ob rebellionem perditus c. XXIV, 1—5.

β) Jechonia, qui captivus in Babyloniam abducitur c. XXIV, 6—fin.

γ) Zedekia, qui captis dirutisque Hierosolymis Babylonem deportatur c. XXV.

De Commentariis huc repetenda sunt cap. præc. §. ult. dicta.

CAP. XVI.

De libro priore Chronicorum.

Apud Hebræos דברי הימים inscribitur. Iis enim, ut aliis postea populis, Summarium Capituli
 in more positum erat, ephemeridas consignare. Hoc facientes, numeri
 המזכרים dicti, incertum, ὁ ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, ὑπομνηματα
 γεγραμμένων, ὁ ἐπὶ τῶν ἀναμνησέων, quid Græcis no-
 tent? Quid sint proprie verba dierum? Quo sensu hic liber ita in-
 scribatur? §. 1. Græcis παραλειπομένων & χρονικά dicuntur. Lati-
 nis Paralipomena, annales &c. In hagiographis ultimum locum oc-
 cupat Hebræis §. 2. Scriptor libri aliis compilator incertus, priscis
 monumentis usus; nobis Esdras θεόπνευτος §. 3. Qui ab objectis
 & vetustatis vestigiis, & novitatis indicis, contra Clericum & Spino-
 sam vindicatur §. 4. Argumentum utriusque libri, & sigillatim prio-
 ris. Scopus. Utilitas varia, & Hieronymi encomium libri §. 5. Au-
 toritas Canonica, scabiose a Spinoza traducta; valide asserta; argu-
 mento a lectionum in numeris & nominibus propriis diversitate desum-
 to impugnata; & vindicata §. 6. Chronologia ex hoc libro compo-
 nenda gemina ratio. Ubi dubio occurritur: cur recensio posteritatis
 Zorobabelis in Chronicis lib. I. c. III. plane non respondeat ei, quæ a
 Mattheo genealogia Christi inseritur? §. 7. Unde numeri capitum
 in Hebræo & Germanico Codice diversitas? Partitio libri §. 8. Ta-
 bula Synoptica §. 9. Commentarii Patrum, Rabbiorum, Lutherana-
 norum, Pontificiorum, Reformatorum, Remonstrantium §. 10.

§. I. No-



De libro I.
Chronico-
rum.
Appellatio
libri He-
braica:

§. I.

Nomine non uno hic cum sequente liber apud Hebræos, Græcos, & Latinos gaudet. Quorum illi quidem דְּבָרֵי הַיָּמִים *verba dierum*, sive aut alii vertunt, *gesta diurna*, aut juxta b. Laur. Fabricium in *Partit. Cod. Hebr. & b. Calovium*, *res gestas temporum* dicunt, appellatione ipsi Scripturæ trita, quæ hos nostros libros eodem nomine Neh. XII, 23. insignit, ex Huetii mente ad 1. Chron. X, 10. sqq. digitum intendens. Frequens alias mentio, maxime in Regum libris, injicitur *verborum dierum Regum Judæ & Israelis*, ut ex 1. Reg. XI, 41. XIV, 19. 29. XV, 7. 23. 31. XVI, 5. 14. &c. patet: quibus diversa ab his commentaria innui satis inde apparet, quod 1. Chron. XXVII, 24. דְּבָרֵי הַיָּמִים הַמֶּלֶךְ דָּוִד *Chronica gestorum Davidis*, tanquam distincta & a præsentibus his alia citantur. Tum vero nonnulla quoque in illis annalibus legi dicuntur, quæ in his frustra quæres. Quæ enim 1. Reg. XVI, 20. 27. de Simri & Omri scripta perhibentur, in libro *verborum dierum Regum Israel*, non continentur in his libris, quos præ manibus habemus. Sic & quæ de domo Achabi eburnea, & urbibus ab eo extructis 1. Reg. XXII, 39. in *verbis dierum Regum Israel* fusius exposita afferuntur, in his desiderantur. Ubi quidem caute vult distingui R. Dav. Kimchi ad initium *Comment. in lib. I. Chronic.* annales regum Judæ ab annalibus Regum Israelis: utrosque enim seorsim peculiari conditos fuisse libro. Et hos quidem in Canonem Sacræ Scripturæ relatos nunquam fuisse, quia permansurum non erat regnum Israelis, & in sequentibus temporibus regnum domus Davidis solum sit perennaturum, sicut dicitur: *& rex unus erit omnibus illis*; item, *nec erunt ultra due gentes, neque dividuntur in duo regna amplius* Ezech. XXXVII, 22. Judæ vero annales hunc ipsum Chronicorum esse librum, quem Esdras, pridem quidem scriptum, in Canonem retulerit per manus Haggæi, Zachariæ & Malachiæ. Sed vereor, ne isthæc Kimchii observatio fallat, ut ex collatione citatorum ex Chronicis Regum Judæ cum nostris Paralipomenon libris facili negotio demonstratur. Ceterum non inscite inde colligunt eruditi, a prima inde Reipublicæ Judaicæ origine, aut a Davidis certe ætate in more positum Hebræis fuisse, ut acta publica in tabulas referrentur, ad quas recurrerent, sicubi præteritarum rerum memoria opus esset. Idem postea institutum ad Ægyptios quoque, Tyrios, Indos, Sinas, Græcos, ac Romanos transiisse, Huetius observat *Dem. Evang. Prop. IV, ad lib. Regum*.

§. 1.



§. 1. p. 345. Sane apud Babylonios obtinuisse, ex Esdræ IV, 15. clarum est: apud Persas ac Medos similiter, ex Esth. X, 2. cum primis vero ex Esth. VI, 1. constat, ubi paulo plenius ספר הזכרות דברי הימים liber memorialium verborum dierum, hæc monumenta inscribuntur. Et ex Persarum quidem Βασιλικῶν διαφθερόν membranis regis, ἐν αἷς οἱ Πέρσαι τὰς παλαιὰς πράξεις, κατὰ τινα νόμον, εἶχον συντεταγμένας, in quibus Persæ res antiquas, ex lege quadam habebant collectas, Ctesias Cnidius curiose scrutatum singula, & in historiam suam transfulisse, apud Diodor. Sic. lib. 2. Biblioth. manifesto testatur. Et Alexandri M. ἐφημερίδας Diaria Plutarchi adhuc ætate extitisse, ipse testis est, cum fatalem regis morbum diemque sub finem vite Alexandri T. 1. p. 706. ex istis diariis, signatis verbis transcripsit. Porro in his consignandis qui operam ponebat, apud Hebræos, ספר הזכרות a commentariis dictum, Huetius c. l. eumque secutus Clericus Dissert. de scriptoribus libr. Hist. V. Test. §. 7. censent; quo munere Josaphat, filius Achilud, sub Davide 2. Sam. VIII, 16. nec non sub Salomone 1. Chron. XVIII, 15. & 1. Reg. IV, 3. sub Ezechia, Joachus, Asaphi filius 2. Reg. XVIII, 18. sub Josia alius Joachus, Joachasi filius 2. Chron. XXXII, 8. functi leguntur. Ista vero extra omne dubium posita non esse, interpretum testatur dissensus. Sunt enim, qui pro historiographo & annalium conditore quidem faciunt, Chaldaeus interpres, ejusque legens vestigia R. Dav. Kimchi; quorum ille ספר הזכרות per ספר הזכרות מלפני עזרא prefectum libris memorialibus vertit, hic per ספר הזכרות על ספר מלכות מלכות constitutum super librum rerum memorabilium exponit: scribebat enim res gestas a Rege ipso, & omnia mandabat memorie, ait Vatablus not. ad 2. Sam. VIII, 16. At vero longe secus sentiunt Talmudistæ, eosque secuti R. Salomo & Abarbenel, monitorem potius Regi in jure dicundo, vel expediendis regni negotiis adstantem, hac voce notari censentes. Ita sane Abarbenel ad l. c. ספר הזכרות עניני המשפט אשר יפעל להם מה שראוי וחזק אמרו שהיה מוסיף ספר הזכרות הדין שבא לפניו ראשון כדי לפסקו ראשון: Regem, inquit, de causis forensibus, ut in singulis secundum jus fasque ageret. Doctores vero nostri p. m. judicia direxisse dicunt, causasque primum eum & cognovisse & direxisse. Quæ ipsa Jarchii sententia est, quacum Germanica b. Lutheri versio conspirat, quæ Cancellarium reddidit. Hinc utramque significationem Joann. Menochius conjungit, cum ad c. l. Sam. annotat: Erat ergo Josaphat vel commonesactor, id est, qui negotia tractanda in memoriam revocabat, & supplices porrigebat libellos, quos vul-



De libro I.
Chronico-
rum.

go Memorialia appellamus, quo munere ut plurimum funguntur, qui Principibus sunt a secretis: vel certe res gestas in commentaria referebat, ne memoria illorum intercideret, qui libri verba dierum dicebantur, quod in modum ephemeridum, quæ accidebant notatu digna, per sua tempora & dies digesta notabantur, ut esset historia parata materia. Eodem recidunt, quæ satis prolixæ, sed omnino hæsitanter in hanc vocem commentatus est Sanctius *Comm. in b. l. Sam.* & paulo curatius adhuc in *Prolegom. 1. ad Comment. in libb. Regum.* Nec omnino dubium sustulerunt, ad quos Huetius & Clericus provocant, Græcæ versionis autores, qui per τὸν ἐπὶ τῶν ὑπομνημάτων, & alibi per ὑπομνηματογράφον, ipsosque annales per γράμματα μνημόσυνα ἡμερῶν reddiderunt. Ista enim nomina quid sibi velint, conijcere licet ex iis, quæ Georg. Codinus Curopalata de officiis magnæ ecclesiæ & aulæ Constantinopolit. cap. I. in medium affert, ubi in Officialibus ecclesiasticis etiam τὸν ὑπομνηματογράφον memorat, quem eis τὸ γράφειν τὰ πατριαρχικὰ ὑπομνήματα sribendis commentariis s. memorialibus Patriarchæ occupari dicit; & distinctum ab illo τὸν ὑπομνησκοντα monitorem sive suggestorem, quem eis τὸ ἐνθυμιζεῖν τὸν ἀρχιερεῖα μνηστικῶς Patriarchæ missam celebranti adstituisse tradit, & tacite suggestisse singulas orationes; a quo tamen multum diversus est Jac. Goarus, cum in notis ad b. l. Codini p. 14. ex Allatianis τὸν ὑπομνησκοντα describit, δεχόμενον τὰς ὑπομνήσεις τῶν ἐρχομένων ἐν τῇ κτίσει, καὶ ἀναφερόντα τῷ ἀρχιερεὶ καὶ τῷ κλήρῳ, quod a memoria suscepit commendationes memorialium, ad justitiæ tribunal accedentium, & præsentavit eas Pontifici & Clero. Porro cap. 2. in officialibus Palatii n. 58. ponit τὸν ἐπὶ ἀναμνήσεων, Magistrum memorie, quem Goarus in not. p. 33. de omnibus Rempublicam & principem spectantibus, de publico bono ad augendo, removendis incommodis, puniendis sceleribus, æque ac virtute compensanda, commonuisse Imperatorem observat. Quæ utut omnia, multis quidem seculis post instituta, describant, genuinam tamen τὴν מוֹכֵר significationem haud parum illustrant, nec tam annalium conditorem, quam rerum agendarum monitorem hac voce Græcis intelligi demonstrant. Quo & Vatabli ad 2. Sam. VIII, 16. spectat observatio, qui missi superius allata ejusdem interpretatione, מוֹכֵר ad verbum, memorantem vel reducentem in memoriam notare animadvertit, cujus officium erat, suggerere & in memoriam revocare Regi, quæ essent agenda. Sed justo forte prolixius hæc prosequor, dum in eruendo verborum dictorum verborum significatu. Jam ut in viam redeamus, constat ex supra dictis, מוֹכֵר דְּבָרִי proprie ejusmodi notare commentarios sive annales, quibus



quibus singulorum dierum observationes & acta publica memoratu digna, publica quidem autoritate, ab hominibus fide dignis, memoriae gratia consignantur, ex quibus alii deinceps materiam capiant, iusto ordine in historiam digerendam. Huic itaque libro, Θεωνεύς nimirum, & immediato Spiritus S. dictamine exarato, cum id nominis iungitur, analogice saltem & per quandam similitudinem intelligendum est, non quod nomen ferat operis, cuius vicem postea supplevit, postquam alicuius illud intercidisset, quæ Clerici conjectura est, sed quoniam ad modum ejusmodi ephemeridum, perquam tamen succincte, compositus, temporum a primo inde generis humani ortu seriem, ad regum usque in populo Dei imperium, per Genealogias tradit, mox Regum gesta exponit, & quæ singulis evenierint Judæ & Israelis regnis, ordine recenset.

II.

Longe autem diverso Græcis nomine venit, quibus παραλειπόμενα Græca: *prætermissa* inscribitur, ἐπειδὴ παραλειφθέντα πολλά ἐν ταῖς βασιλείαις περιέχεται ἐν ταύτοις, quoniam multa, in libris regum præterita, in his libris continentur, ut Athanasiana habet *Synopsis T. II. p. 82.* Sic Isidorus quoque *lib. VI. Origin. c. 1. p. 45. B.* explicat: *Paralipomenon græce dicitur, quod prætermisorum vel reliquorum nos dicere possumus, quia ea, quæ in lege, vel in Regum libris vel omissa, vel non plene relata sunt, in isto summatim & breviter explicantur.* Et ita communiter interpretes appellari tradunt, quia ea, quæ vel in Pentateucho, vel in libris Josuæ, Judicum, & maxime Regum, aut omissa, aut plene descripta sunt, breviter & summatim hic recenseri credunt. Hinc & in Arabica versione *liber supplementorum Regum* vocatur, cum colophonem posteriori libro Chronic. his verbis imponit: *absolutus est cum auxilio & optima Dei providentia liber voluminum Regum & liber supplementorum Regum.* Sed vereor, ne idem hic locum habeat, quod de eadem τῶν παραλειπομένων inscriptione, Xenophontis *historiarum Græcarum libris VII.* præfixa, Joannes Leunclavius in *notis ad Xenoph. p. 1060. B.* judicat, inepte eum operi titulum dari; cum non tam suppleat Chronicorum liber in Regum libris omissa, quam omnium ætatum seriem succincte texat, & in compendium redigat. Multa namque hic repetuntur, quæ satis copiose jam in Regum libris legébantur, ut sunt initia regni Salomonis, structura & inauguratio templi, & id genus alia; nonnulla vero ibi omissa, resarciuntur, ut in historiis Josaphati & Ezechiae videre est; quædam concisius in superioribus

Nn 2

dicta,



De libro I.
Chronico-
rum.

dicta, amplificantur, ut res gesta Abiæ, Atæ, Joas, Manassis, & aliorum; alia plenius jam exposita in epitomen hic mittuntur, & velut in tabella representantur. Cujus quidem repetitionis, & additionis rerum in præcedentibus libris intactarum rationem, si non ubivis sufficientem, aliqualem tamen reddit Abarbenel ap. Joh. Meyer. in *Seder Olam proleg. p. 202. seq.* ex diverso scriptorum in his libris consignandis scopo. In Samuelis enim & Regum libris non id intendisse scriptorem sacrum, ut omnia & singula præcise enarraret, quæ David reliquique Reges præclariegèrunt, sed ea tantum referret, quæ utilem doctrinam in se continent, unde vel Dei benignitas & prodigia, vel hominum peccata & supplicia elucerent. Hinc ex magna copia eorum, quæ tunc gesta sunt, ea duntaxat annotasse, ex Dei mandato, quibus hunc finem consequi posset, ut Deum homines cognoscerent, timerent, & celebrarent, & generationum successiones ac Regum Genealogias animadverterent, omiſſis multis superfluis, quæ scilicet fuerit Regum fortitudo, quas urbes ædificaverint & similia. Inde, pergit, mirum non esse, si alia in illis, alia in his libris occurrant, diverso quippe consilio & instituto compositis. Horum enim scopum, ut paulo post visuri sumus, Esdræ scriptori fuisse gloriam Regum Judæ. Ad quem quæ non faciant illustrandam, omiſſa fuisse in Paralipomenis. Quæ vero eodem modo & in superioribus & in his recensentur libris, sine additione & diminutione, ea necessario ad ejus historiam pertinuisse. Tandem quum eadem historia bis vel ter occurrit, repetita, velut historia Hiskia v. g. in libris Regum & Jesaia, id ob diversas factum esse rationes & fines. In Regum enim libris eam totam narrari, ut historiae regis Hiskia sua constet integritas. In Jesaia vero non per se illam narrari & per modum historiae, sed per modum prophetiae. Sic Jeremiam in sua prophetia historiam destructionis Hierosolymorum referre, quæ & in libris Regum recensetur, quia necessum fuerit, ut denunciando eas Prophetias, ipsis etiam proponeret historiam; & hac de causa eo plane modo non inveniri historiam in Jeremia, quo in libris Regum, sed mixtam esse prophetiam cum historia. In hanc sententiam Abarbenel non omnino absurde pronunciat. Itaque magis apposite aliis τὰ χρονικά audiunt hi libri, Hieronymo iudice, qui in *prefat. in lib. Regum T. IV. Opp. f. 7. b.* dum in recensione Hagiographorum ad hunc nostrum devolvitur: *Septimus, inquit, διβρε βασιμον, i. e. verba dierum, quod significantius χρονικά totius divinae historiae possumus appellare: qui liber apud nos Paralipomenon primus atq; secundus inscribitur: quia τὸν*

726-



Χρόνων, temporum ac seculorum accuratior paulo digestio his libris continetur, vel certe concisa omnium a mundi exordio temporum, ad istam, qua scribebantur ipsi, periodum usque, epitome per Genealogias exhibetur. Græcos imitati Latini, *Paralipomena*, passim, & *Chronicon* libros salutant; sunt etiam, qui *annales*, sunt qui *Ephemeridas* inscribunt, Hebraicum titulum hac voce reddere satagentes. *Chronica* b. Luthero quoque in versione Germanica audiunt. Porro Hebræi hunc librum in Hagiographorum classem redigunt, cuius hanc reddit rationem R. David Kimchi loc. cit. *quia continet enarrationem historicam; quantumvis etiam quedam ibi extent prophetiae: quia vero principaliter & precipue scriptus est ad enarrandas res gestas, & prosapias sive genealogias, ideo comprehensus fuit sub Hagiographis, sicut & liber Ruth, qui eo sine scriptus est, ut recenseret familiam Davidis, ideo & ille relatus fuit inter Hagiographa.* Sed aliam longe rationem Hagiographorum, qua a Prophetis libris distinguuntur, supra audivimus cap. II. § 4. p. 25. unde etiam de Chronicis, ex Judæorum mente, fieri iudicium poterit. Ultimo tandem loco in Bibliorum codice hunc nostrum Judæi ponunt, post Esdræ & Nehemiam, quia ultimo loco ab Esdra scriptum vel recensitum opinantur. Rationem ordinis, quem in Latino & Græco Codice hi libri tenent, ita reddit frater Brito, Ordinis Minor. in præfat. super primum Prologum Hieronymi in libros Paralipom. in Bibl. Glossat. Lyræ sub init. b. I. T. II. f. 187. F. *quoniam in his suppleantur, quæ minus ibi dicuntur, ideo post libros Regum immediate sequuntur: præponitur autem (uterque) libris Esdræ, quia finis libri secundi Paralipomenon idem est cum principio Esdræ.*

III.

Jam circa scriptorem cum mire dissentiant interpretes, eo tamen Scriptor redeunt omnes, ut vel ex variis annalium monumentis collectam hanc epitomen, incerto autore, vel Esdræ forte opera, arbitrentur; vel ad Esdræ primum scriptorem universum referant opus. Hi (libri) *nullum vel compertum habent autorem*, inquit Sixtus Sen. *Biblioth. S. I. p. 10. Verosimile est, eos ex schediasmatibus, annalibus & diariis sacris, in populo repertis, concinnatos esse ab Esdra, post reditum ejus ex Babylone in terram sanctam*, Sim. Episcopii conjectura est *Institut. Theol. lib. 3. c. 3. T. I. Opp. p. 220.* Eademque sententia Theodoro primo placuit, magnoque consensu a recentioribus, Sanctio, Huetio, Clerico, iisque omnibus approbatur, quibus illa de מְסֻדֵּי עֶזְרָא traditio, S. præced. discussa, arridet; quæ si



De libro I.
Chronico-
rum.

¶ *Esdras*
Ἐσδρας
56.

firmiter niteretur talo, haberemus sanē autores suo quemque nomine memoriae proditos. Et posset forte citra detrimentum divinae librorum horum autoritatis admitti, si pari in Scripturas veneratione omnes illam amplecterentur, ac Lavaterus, qui in *prolegom. in h. l. p. 1. b.* eam ita exponit: *Possset tamen dici, Esdras sive alium quempiam, afflatu Spiritus Sancti, ex illis annalium libris, qui procul dubio a Prophetis, qui sub Regibus vixerunt, conscripti fuerunt, præcipuas res, quæ in historia Regum deesse videbantur, decerpisse, & in hoc compendium redegissee. Certum enim est, Deum qui cavere potuisset, ne libri illi interciderent, consuluisse sui populi utilitati & commodo, neg, voluisse, ut nimia librorum copia obruerentur.* At vero cum apud plerosque Criticos eo tandem hæc sententia recumbat, ut vix humanam ac historicam Chronicis nostris autoritatem ac fidem relinquat, omnemque eorum *Ἐσδρας* e medio tollat, quasi ex humanis saltem monumentis istis, studio cujusdam privato consarcinati & excerpti fuerint, quod Grotii & Ludov. Cappelli in *h. l.* verba haud obscure docent; calumniæ huic verius, quam nixæ rationibus sententiæ subscribere non possumus. *Spiritus S. enim non excerpit e scriptis humanis suis, ut libros consarcinet,* graviter pronunciat b. Calovius noster, contra Grotium hanc causam prolixè perorans *T. I. Bibl. Ill. p. 835.* Hinc longè potior interpretum pars ad Esdras, primum Paralipomenon scriptorem, librum refert. Ita Hebræorum m. glistri in *Massecheth Bava Batra cap. I. fol. 15. col. 1.* *לו רבנו ר' עזרא כתב ספרו ויוחס של דברי הימים עד לו* Esdras scripsit librum suum, & Genealogias libri Chronicorum usque ad seipsum: vel exponente Buxtorffio *de punct. vocal p. 182. usq. ad ורר* & ei fuerunt fratres *2. Chron. XXI, 2.* Sic enim legitur in *Schalscheleth fol. 66. col. 2.* *אזרא כתב ספרו ויוחס דה עד ורר אזרים פרש' כ"א* R. Salomo sub initium *Comm. in h. l.* Esdras hunc genealogiarum catalogum scripsisse testatur per manus Haggæi, Zachariæ & Malachiæ. His Christiani consentiunt commentatores passim, nostrique cum primis, ut apud Friedlibium *Observ. Bibl. ad h. l. Petr. Palladium Isagog. p. 67. Waltherum Offic. §. 853. Calovium loc. cit.* videre est. *Divinitus inspiratum fuit Esdra, Sacerdoti & Legis Doctori, ut aliqua ad V. T. pertinentia, quæ a Scriptoribus ipsum præcedentibus fuerant dimissa, vel minus plene scripta, in hoc libro per ipsum colligerentur,* ait Lyra in *Prolog. Postill. super h. l.* Et dudum ante ipsum Josephus in *Hypomnestico MSCto lib. 2. c. 130.* postquam Regum libros ab Esdra reduce ex memoria restitutos memorasset: postea intelligens, inquit, *quænam in Regum libro prætermisisset, de suo illa expo-*



exposuit et in medium protulit; prior enim (qui IV. Regum sunt) ex pluribus collectus fuerat. Atque hunc duobus voluminibus distinctum, Judæi quidem verba dierum inscribunt, ecclesia librum Paralipomenon, ut est ap. D. Fabric. *Cod. Pseudep. V. T. n. CLXXIII. p. 904.* Nec argumentis destituuntur, quibus assertum confirmant; tum quia verba ultima librorum Paralipomenon 2. lib. XXXVI, 23. eadem plane sunt cum iis, quæ initio libri Esdræ c. I, 2. 3. habentur; eum vero morem, repetitis, sub initium novi operis, clausulæ verbis libros continuandi antiquis receptum fuisse, Grotius ad c. I. *Paral.* observat, & ex Procopii sine Vandalicorum & Gothicorum initio probat: tum quia post captivitatem scriptos esse, eadem verba, quæ liberationem Cyri commemorant, dubitare non sinunt: tum quia catalogi in novem his primis capitibus similes sunt iis catalogis, qui Esdræ c. II. VIII. & X. habentur. Opinioni huic nostrum quoque libenter adjicimus calculum, (cum certior non suppetat) modo Esdras *ῥερόμενος ὑπὸ πνεύματι & ἀγίας* in exarandis his libris 2. Pet. I, 21. nec propria tantum industria ex priscis, iisque humanis saltem, annalibus hanc epitomen compilasse, sed Spiritu S. suggerente & inspirante, consignasse singula dicatur. Hinc ea præcise videas his libris vel de novo tradita, cum alibi in sacro Codice obvia non sint, vel in compendium missa, cum alias latius declarentur, vel uberius amplificata, quæ in rem ecclesiæ salutis nostræ juvandæ fore sapientissimus Dei Spiritus judicavit. Ceterum quod observarunt viri docti, genealogiam Zorobabelis 1. Chron. III, 21. seq. ultra Machabæorum tempora fere usque ad Christum extendi, facile pericadet, ut credamus, hæc talia per manum æque *θεοπνευστον* post Esdræ dudum adjecta fuisse, eo consilio, ut integra generationum & Davidicæ prosapiæ series suo loco exhiberetur. Sed & librum ipsum satis diu post solutam captivitatem concinnatum fuisse, varia hinc inde vestigia manifesto evincunt. Plura de scriptore libri qui cupit, præter Huetium *Dem. Ev. Prop. IV. de libris Paralip. S. 1. p. 351. sq.* Clericum *cit. Dissert. Sanctium præloqu. Comm. in libb. Regum*, Bonfrerium *in appendice ad cap. 7. præloquior. in Script. S. Sect. 6 p. 1068.* adeat Vincent. Placcium *Theat. Script. Anon. et Pseudon. cap. I. n. 4. p. 4. sq.*

IV.

Jam contra nostram sententiam, Esdræque scriptorem, post Hobbesium in *Leviath. c. 33.* urget cum primis Clericus loca antiquius redolentia ævum, v. g. cum 1. Chron. IV, 43. Simeonitæ nonnulli expulsis Amalekitis, qui in monte Seir habitabant, illic dicuntur sedem fixisse.

vindicatus
I.

ad



ad hunc usq; diem; cum tamen Esdræ temporibus Simeonitæ dudum in captivitate trans Euphratem essent abducti. Sic 2. Chron. V, 9. arca in templum a Salomone illata, dicitur in eo mansisse *usq; in presentem diem*: post reditum vero e Babylone arcam amplius præsto non fuisse, in confesso est. Paria occurrere observant 2. Chron. VIII, 8. X, 19. XXI, 10. At enim vero, uti *supra* S. 1. ultro largiti fuimus, singulos omnino Reges vel certe ætates, suos habuisse annales, sua diaria, ad quæ multoties Chronica nostra remittunt; ita fieri potuit, ut ἀπολαῖς retineret & suggereret scriptori Esdræ Spiritus S. hanc vel illam periodum aut phrasin ad eum omnino modum, quo in prisca illis monumentis, populo olim probe notis, legebantur. Unde mirum non est, phrasin subinde occurrere, illa quidem tempestate, qua Chronicorum liber exarabatur, longe antiquiorem. Fuisse quoque sat graves Spiritui Sancto causas, cur ejusmodi phrasibus reduci ex captivitate populo pristinatorum temporum vel felicitatem vel μακροβουλία divinam in memoriam revocare, pro sua sapientia voluerit, dubitandum non est, licet a nobis ea evidenter satis indicari nequeant. Ut adeo minus firmiter hinc colligatur, ab Esdræ librum hunc θεωρεῖσθαι provenire non potuisse. Quin potius, cum eandem formulam: *ad hunc usq; diem* de captivitate Assyriaca duarum tribuum cum dimidia cap. VI, 26. usurpatam legamus, liquido inde constat, hæc priora libri capita æque sero scripta fuisse, ac reliqua, nec adeo ex variis confutum eundem tabulis vel fragmentis, sed continua serie, Spiritus Sancti dictamine, esse exaratum. Contra vero ea recentiore longe, & post Judæ Macchabæi demum tempora consignatum eum pertendit Spinosa, cujus *Tract. Theol. Pol. c. 10 p. 127.* verba hæc sunt: *De duobus Panipomenon nihil certi, et quod operæ pretium sit, notandum habeo, nisi quod dudum post Hezram, et forte postquam Judas Machabeus templum restauravit, scripti fuerunt. Nam c. IX. libri I. narrat historicus, quanam familia primum (tempore scilicet Hezra) Hierosolyma habitaverint: et deinde v. 17. Janitores, quorum duo etiam in Nebem. XI, 19. narrantur, indicat. Quod ostendit, hos libros dudum post urbis readificationem scriptos fuisse. Istud vero familias illas & janitores ostendere, nemo facile inde eliciisset, nisi æque perversæ mentis ac argutator Theologo-Politicus, qui revera hic, quod operæ pretium sit, non habet. Quid enim prohibet, quo minus familias sibi coævas describere Esdras potuerit? aut num templo vix restituto, janitores esse nulli, aut nominari minime ab Esdræ poterant? Finitam enim templi structuram, ejusque inaugurationem ipse*

ipse cum recenscat libri sui c. VI, 15. sq. cur non janitores in Chronicis nominare queat? Satis omnino diu Esdras & Nehemias vitam produxerunt. se leguntur, cum ille Johannis, qui pater fuisse creditur Jadduæ Esd. X, 6. hic Jadduæ Pontificis tempora Neh. XII, 22. vivendo attigerit, quem Jadduam Alexandro M. ἐπὶ γένον, eique Hierosolymas petenti obviam factum, memorat Josephus l. XI. Antiqu. c. 8. Dudum porro post reditum, solutamque captivitatem scriptos esse libros ultro largimur.

W.

Geminum uterque liber argumentum exequitur, dum primo quidem genealogias ab ultima hominum rerumque origine, per varias populi cum primis Judaici propagines, ad proxima a Messia tempora pertexit, ejusque ex Davidis & Abrahami prosapia ortum demonstrat humanum; deinde vero, præmissis de Saule nonnullis, res sacras pariter ac civiles Davidis, regnique Judæ historiam, ad restitutam quadantenus in Zorobabele dignitatis regiae velut umbram, cum cura recenset, suis quæque temporibus distinguit, nec infrequentem Regum Israel mentionem injicit, maxime ubi ad illustrandam regni Judæ historiam facit, ut non immerito *Instrumenti veteris epitomen* Paralipomena cum Hieronymo loco mox citando dixeris. Ad regnum Judæ enim potissimum hos libros accommodatos esse, nec Regum Israel meminisse aliter, quam quatenus ad historiam Judæ lucis aliquid afferunt, ante reliquos interpretes, Syrus jam animadvertit, cum in versione sua eos ita inscribit: *וְהַיְתָּא לְדִבְרֵי יְהוֹשֻפָּת וְלְדִבְרֵי יְהוֹשָׁפָט* Liber rerum actarum temporibus regum Judæ, qui vocatur Dibre-Jamin. Ceterum huc faciunt, quæ non inconcinne observavit Abarbenel, cujus verba latine reddita Joh. Meyer in *Seder Olam Prolegom.* p. 201. sq. exhibet: id nimirum in his libris egisse Esdram (quem eorum scriptorem statuit) ut prosapiam Davidis & tribus ejus, & genealogiam regum, qui fuerunt ex semine ejus usque ad Zorobabelem filium Schealtielis exponeret, initio facto ab Adamo usque ad excidium Hierosolymitanum, & ad Zedekiam, ultimum de domo Davidica regem. In Esdræ vero libro narrasse reduces ex captivitate Babylonica, & eorum prosapiam, ac principatum Zorobabelis, nec non ædificium templi secundi, & quicquid iis accidit in diebus Esdræ. Cumque hæc duo volumina conjuncta esse vellet, inde factum, ut iis Paralipomena verbis obsignaret, quibus Esdræ librum auspiciatur. Hos enim duos libros Esram hominibus suæ ætatis sufficere judicasse, ut

O o

suam

102



De libro I.
Chronico-
rum.

figillatim
prioris.

Scopus.

Utilitas.

suam profapiam & familiam Davidis Regis sui, nec non potentiam & dignitatem cognitam & perspectam haberent. Porro cum hunc sibi scopum in libris Paralipomenon Esdras haberet præfixum, ut laudibus efferret & condecoraret res Regum Judæ, hinc ipsorum bella, & quicquid eorum gloriam amplificare poterat, fufius enarrasse, neque hanc ejus additionem inanem esse & superfluam. Quæ quidem singula in libris Samuelis & Regum æque non recenseri, mirum non esse, cum ab illorum scopo ea sint aliena. Hæc ex mente Abarbenelis, quam Præfationibus ad libros Josuæ, Samuelis & Regum prolixè exposuit. Ad priorem itaque quod attinet librum, is præmissis per novem capita genealogiis, in Davidis versatur rebus exponendis, ad Salomonis usque inaugurationem, cujus initia ultimo capite tangit. Eo autem hæc omnia tendunt, ut Messia ex patribus secundum carnem natales, non interrupta generationum serie, ostendant, eumque ex communi nobiscum stirpe prognatum doceant, & omnium de humana ejus origine & consanguinitate oraculorum & vaticiniorum illibatam demonstrent veritatem: tum etiam ecclesiæ ac politiæ Judaicæ faciem ac vicissitudines, sub regum imperio, ὡς ἐν συνόψει declarent. Succincte b. Calovius: *Scopus*, inquit, *præcipuus est, Christi genealogiam & majorum ejus historiam, nec non ecclesiæ ejus statum ob oculos ponere.* Et necesse omnino erat, concatenata isthac generationum recensione Messiam ita delineare, ne in dignoscenda ejus persona ullus locum haberet error. Usus demum libri longè lateque patet, & 1) quidem eo usque se extendit, quo universa historiæ sacræ se porrigit utilitas, quam ex instituto celebrant nostris b. Dannhauer. *Hermeneut. Sac. Artic. XV. p. 315. sqq.* & e Reformatis Heidegger. *Dissert. Bibl. XII. §. 16. p. 401.* Præterea quoque 2) omnia genealogiarum commoda præstat, quarum non *privatus* modo usus est, ad Judæos spectans, quorum familiæ ac tribus, tot gentis cladibus attritæ, ipsaque captivitate mirum quantum confusæ, accurate extricantur, ut partim gentes Israelitis per connubia insertæ ab iisdem distinguerentur, partim certi ponerentur limites, in quibus ipsæ posthac se continerent familiæ, de qua insigni & varia Genealogiarum inter Judæos utilitate, erudite disserentem vide Spanhemium Patrem, *Dub. Evangel. P. I. Dub. XIII. §. 4. p. 62.* & Burmannum in *1. Chron. I. p. 181. seq.* sed & communis ecclesiæ universæ, cujus de exhibito Messia fides egregie iis confirmatur, cum ob oculos sibi positam videt generationum in tribu Juda, per Davidem ad Zorobabelem & amplius, seriem, e qua Christum genus ducturum



tot Prophetarum oraculis constabat Hebr. VII, 14. Ut taceam 3) in Chronico-
 historia sacra rite digerenda, metiendisque temporum intervallis, in ex-
 ponendis difficilibus quibusdam Scripturæ locis, in demonstrando Do-
 ctorum ac testium, per quos cœlestis doctrina inde ab initio ad nos trans-
 missa & propagata est, ordine his libris pariter ac genealogiis faculam
 accendi. *Quis enim aliquot Psalmorum argumenta, Prophetarum vatici-
 nia, multosq; Novi Testamenti locos recte intelliget, nisi historiam his libris
 comprehensam habeat perceptam? Quantum queso lucis accedet Prophetarum
 oraculis, si ex his & Regum libris sciamus, quales fuerint Reges, quorum
 illi temporibus floruerunt: aut quomodo et quando illa acciderint, de qui-
 bus illi prædixerunt. Libros quoq; Regum absq; horum adminiculo non sa-
 tis intelliges, ut recte omnino judicat Lavaterus Comm. in b. l. p. 2. a. Unde
 Hieronymus prolixis eos encomiis ornat, & in præfat. in Lib. Paralipom.
 ad Domnionem et Rogatianum T. IV. Opp. f. 9. A. disertis verbis testatur,
 quod omnis eruditio Scripturarum in hoc (libro) continetur: et historia, quæ
 vel prætermissa sunt in suis locis, vel perstricta leviter, hic per quadam verbo-
 rum compendia explicantur. Et in epist. ad Paulinum T. IV. f. 3 D. inquit:
 Paralipomenon liber, id est, instrumenti veteris ἐπιστολή, tantus ac talis est,
 ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, seipsum
 irrideat. Per singula quippe nomina juncturusq; verborum, & prætermissa
 in Regum libris tanguntur historia, & innumerales explicantur Evangelii
 quæstiones.*

VI.

Eo autem magis detestanda est effrenâ Spinozæ temeritas, qui ^{Autoritas}
 adeo abjecte de his libris sentit, ut ^{Canonica.} mirari satis non posse profiteatur, cur
 inter sacros recepti fuerint ab iis, qui librum Sapientiæ, Tobie, & reliquos, qui
 Apocryphi dicuntur, ex Cанone sacrorum deleverunt. Intentum tamen non
 est, addit, eorum auctoritatem elevare, sed quandoquidem ab omnibus sunt re-
 cepti, eos etiam, ut sunt, relinquo. Mirari sane desiisset, si dudum ante
 in canone sacrorum repertos, in Sanctuario cum reliquis asservatos, ec-
 clesiæque Novi Testamenti, pari cum ceteris Canonicis auctoritate, tra-
 ditos fuisse cogitasset, quam liber Sapientiæ, Tobie & reliqui Apocryphi
 vel in lucem editi, vel ad aliquem publicæ lectionis in ecclesia usum fue-
 rint admissi. Sub auspiciis enim Novi Testamenti divinam hos libros ^{asserta:}
 auctoritatem jam in ecclesia obtinuisse, haud obscure ex iis locis colligi-
 tur, quibus ad illorum testimonia & fidem vel provocatur ab Apostolis,
 vel manifestis indiciis alluditur. Tabulas generationum Christi Matth. I.



De libro I.
Chronico-
rum.

& Luc. III. occurrentes, nemo sanus facile negaverit, ex his libris divino suggerente Spiritu, esse contextas. Confer præterea 1. *Chron.* XXX, 11. cum *Apoc.* V, 12. 2. *Chron.* VI, 18. cum *Act.* VII, 48. & XVII, 24. 2. *Chron.* XIX, 7. cum 1. *Pet.* I, 17. Non ergo heri aut nudius tertius inter sacros recepti fuerunt, sed a primo statim ortu suo divina autoritate canonici inserti, nec unquam in ecclesia vel Judaica, vel primæva Christiana, quod constet, in dubium vocati, aut novitatis vel non tutæ satis fidei postulati: a qua canonicæ dignitatis possessione, tot seculorum ferente ætatem, nec Spinoza, nec ejus similis novus homo alius deturbare eos, nisi firmissimis instructus rationibus, valebit. Haud infimum enim in argumentis, canonicam sacrorum librorum autoritatem demonstrantibus, locum tenere istud, quod a perpetua & non interrupta manuum traditione, consonoque omnium temporum ecclesiæ, maxime vero primitivæ, testimonio ducitur, solide dudum evicerunt Theologi b. Aegid. Hunnius de *majestate & certitud. Script. Sacr. argum.* XII. T. I. *Opp.* p. 18. sqq. b. Joh. Schröderus de *Principio Theologiæ cap. I. quest. 7. arg.* 14. p. 59. b. Petr. Haberkornius *Anti-Valerian. Diss. II. cap. 5. p. 70. sq. & Diss. III. p. 79. sqq.* Gravissima vero, quæ hos libros premit, criminatio corruptionis est, quam per universum opus grassatam fuisse tantam calumniantur textus Hebraici hostes, ut neque annorum numeri iis respondeant, qui in libris Regum designantur, nec personarum & urbium, locorum ac gentium appellationes reliquis consentiant Scripturis. Ita omnino Spinoza argutatur, *Tract. Theol. Polit. c. IX. p. 120.* ubi præterea commentatores, qui has discrepantias conciliare nituntur, Rabbinos plane delirare, ceteros somniare, fingere, & linguam denique ipsam plane corrumpere cavillatur. A quo non multum abit Ludov. Cappellus, qui in *Critica*, quam vocat, *Sacra*, in libro 1. *Chronicor.* CLXXXVIII. in 2. vero LIII. varias & depravatas lectiones numerat, a se restitutas, quarum catalogum & censuram index libri ordine prodit. Cymprimis id agit Rich. Simon. *Hist. Crit. Lib. I. Hist. Crit. V. T. c. 4. p. 27.* ut turbationis, defectus & corruptelarum notam his libris, maxime in Genealogiis, inurat, in quibus componendis frustra dicit insudasse interpretes. Nec ex religionis suæ principiis aliter potuit Huetius, quin *Dem. Evang. Prop. IV. in b. l. S. 5. p. 354. seq.* depravatas Hebraici textus lectiones ambabus manibus largiretur. Eandem Campeg. Vitringæ accusationem *cap. prec. XIV. sub fin. S. 5. p. 208.* audivimus & sub incudem vocavimus. Verum uti omnes istæ *εὐαγγέλιον* aut lectionum varietates, maxime circa numerorum diversitatem, interpretum dexteritate & studio conciliatæ dudum

impugnata:

Sindicata.



dudum & sublatae sunt, quod Lightfootus in *Prolegom. ad Harmon. IV. Evangelist. Sect. VI. T. I. Opp. p. 241. seq.* Glassius noster *Philol. S. Lib. I. p. 75.* Waltherus in *Harmonia Biblica*, Nic. Arnoldus in *Luce in tenebris*, Joh. Meyer annotat. in *Seder Olam* suis locis, & Commentariorum in loca ista dubia, inspectio docet, quibus addi poterunt, quæ nos *supra p. 265. sq.* in medium attulimus: ita ex appellationum, nominumque propriorum diversitate textus corruptio nullo plane argumento confici potest; cum & binomines multi fuerint, & exigua illa unius & alterius literæ mutatio temporum tractui, tum & indoli, dialecto, & pronunciationi diversarum tribuum & regionum, sit tribuenda. Sane Vir Doctissimus, & Præceptor quondam noster in Talmudicis literis, Guil. Surenhusius in *Βιβλ. αὐτοδιδασκ. lib. IV. de modis explicandi genealogias Thes. II. p. 91.* hunc canonem, tanquam in confesso & extra dubium ponit, ex Gemara, tit. *Bava Batra fol. 91. col. 2.* multisque exemplis illustrat: nomina propria virorum & mulierum sepe variare solere, & unam eandemq. personam multis nominibus appellari, propter ipsius acta & virtutes, quorum unum nomen inditum sit a parentibus, ut distinguatur ab alia persona; alterum vero ab insigni quodam casu, vel ab historia, quæ ipsius ætate contigit. Et *Thes. IV. p. 93.* observat: nomina propria virorum & mulierum transpositione, vel commutatione literarum sepe variare solere, eadem persona manente: porro *Thes. VI. p. 95.* nomina propria locorum aliquando præterlapsis temporibus in alia commutari, ex Talmud. *Cod. Schabbat fol. 36. col. 1.* Hinc per universum Codicem sacrum, similes lectionum occurrunt discrepantiæ, ex quibus textum Hebraicum corruptum, nullo plane jure Cappellum arguere, data opera & solide demonstravit Buxtorffius fil. in *Anti-Critica* Capp. II. opposita, quæ singula loca Pseudo-critico sollicitata asserit & vindicat; objectæ vero nominum propriorum diversitati *Part. II. c. 2. p. 374.* repperit: quasi vero non idem nomen proprium diversimode potuisset exprimi & pronunciari, vel etiam progressu temporis nonnihil, ratione vocalium, profecto immutari, ita ut Moses secutus sit eam efferendi rationem, quæ suis temporibus, scriptor libri Chroniconum, quæ suis videm fuerit usitata. Quasi ignotum esset, quæ sit varietas circa nominum propriorum prolationem, & quibus illa mutationibus, pro diversitate seu regionum, seu temporum sint expositæ. Rursus *e. 8 p. 586.* ait: qui in variantibus nominibus propriis rationem querit, vel ad uniformem illa reducere tentat lectionem, vel ex interpretum diversa scriptione & nomenclatura, Hebraicam quoq. lectionem, in quam omnes Hebræorum codices consentiunt, immutare vel corrigere, aut emendare conatur, nã ille nihil aliud facit, quam ut cum ratione insanire videatur. Inter-



De libro I.
Chronico-
rum.

pretum est explicare, quando uni eidemque personæ aut loco diversa attribuantur nomina; non autem lectionem textus corrigere. Rationem omnium appellationem dare quis possit? Insignem tamen operam in inquirendis appellationum propriarum significationibus, ortu & compositione, anomalis & scriptorum diversitatibus, præstitit Vir de Hebraica Sacri textus literatura immortaliter meritis, Matthias Hillerus in *Onomastico Sacro*, cujus *P. I. via nona*, quæ est trajectionis literarum p. 365. *via decima* de permutatione literarum p. 385. *via undecima* de literarum abolitione p. 400. &c. ad ostendendam diversitatis in nominibus propriis originem apprime facit. Hinc & ante ipsum b. Glassius *Philol. Sac. lib. IV. Tract. 3. observat. 4. pag. margin. 766. sqq.* observavit, unum idemque nomen proprium, diversis in locis, variationi & mutationi haud uni, mox in additione & omissione literarum, mox in earum permutatione, mox in transpositione, obnoxium esse, citra ullam tamen textus sacri corruptelam. Unde vel ipse Andreas Masius, Pontificius licet, ad *Jos. XXI, 11—16.* fatetur, *multis de causis proprias locorum hominumque appellationes mutari tempore.* Et esse etiam, ubi uni loco, aut uni homini diversa sunt ab initio imposita nomina. Quam absurde vero Cappellus *Critica S. lib. IV. cap. XVII. §. 7. sqq.* ex hodierna, quæ dicitur τὸν LXX, versione Græca textum Hebræum in Chronicis & aliis libris, corrigat, suppleat & decurter, maxime in nominibus propriis; præterea, quæ Buxtorffius *Anti-Crit. P. II. cap. 8. p. 586.* prolixè reponit, colligi satis ex iis potest, quæ Hieronymus ad Domnionem & Rogatianum præfat. in lib. *Paralip. T. IV. Opp. f. 8. D.* conqueritur: *Libere vobis loquor: ita in Græcis & Latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non tam Hebræa, quam Barbara quedam & Sarmatica nomina conjecta arbitrandum sit. Nec hoc LXX. interpretibus (qui Spiritu S. pleni, ea, quæ vera fuerunt, transtulerunt) sed Scriptorum culpa adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant: & sæpe tria nomina, subtrahitis e medio syllabis, in unum vocabulum cogunt: vel e regione unum nomen, propter latitudinem suam in duo vel tria vocabula diuidunt.* Unde satis, opinor, constat, Græcum & Latinum textum ex Hebræo, non vice versa, restituendum & emendandum esse. Quare paulo ante fatetur Hieronymus, se in transferendo Paralipomenon libro, relictis versionibus quibuscunque, Hebræos fontes unice secutum, & de Tyberiade quendam legis doctorem, qui apud Hebræos admirationi habebatur, assumisse & cum eo consulisse a vertice, ut ajunt, ad extremum unguem, ne alicubi forte hallucinaretur.

VII. In



VII.

In putandis temporum intervallis duplex in his libris calculus obtinet; alter ad genealogias accommodandus, a c. I—X. a mundo condito incipiens & ad proxima ante Christum natum tempora pertingens; alter historiam libri in ordinem redigens, inde ab interitu Saulis c. XI. ad reditum usque Judæorum in patriam, cujus potestatem captivis in Chaldaea Cyri edictum sub fin. lib. 2. fecit. Et hic quidem posterior plane, idem est cum eo, quem ad libros Regum satis prolixum exhibuimus, cui non est quod hic adjiciam, cum, quæ ad finem usque captivitatis juxta æ epochæ mundi quintæ faciunt, rectius ad librum Esdræ referrentur, ubi comparebunt. Prior autem ille ubi desinat, non satis liquet; quamquam tempora Christi proxime eum attingere constet. Quæ enim omnium longissime protenditur Davidicæ stirpis descriptio, 1. Chron. III. 20. sqq. Zorobabelis profapiam per decem generationes continuat; nec plures a Zorobabele ad Christum numerat Matthæus c. I, 13. sqq. Ubi haud leve ex eo dubium oritur, quod alia longe & diversa in Chronicis legatur Zorobabelis posteritas, ab illa, per quam Matthæus genealogiam Christi derivat: unde tres Zorobabeles, alium ab autore Chronicorum, alium a Matthæo, demum etiam a Luca alium, recensitos tradit D. Joh. Mich. Langius de *Genealogia Christi* Diff. III. §. 23. sq. p. 71. attamen intererat, convenire utrique, ut harmonia Ver. & Novi Testamenti eo melius constaret, & Christi genealogia dubiis & cavillis Judæorum aliorumque Scripturæ hostium minus esset exposita. Verum erudite hunc nodum solvit Spanhemius *Dub. Evang. P. I. Dub. XIII. p. 60.* docens, genealogiam a Matthæo contextam & ad Josephum deductam per Abiud, filium Zorobabelis, fuisse quidem hominum e Davidis stirpe descendantium, sed obscurorum admodum, & redactorum ex singulari Dei dispensatione ad statum privatum & conditionem vilem & abjectam; scriptori Paralipomenon aut. in propositum fuisse, eam Zorobabelis posteritatem describere, quæ in majori dignitate & æstimatione erat constituta; omisso plane in filiis Zorobabelis Abiud & progenie ejus, per obscuram agente vitam. Ceterum valde probabile esse, Matthæum in concinnanda Servatoris genealogia, distante quidem Spiritu Dei, tabulas Judæorum publicas fuisse secutum, quæ & veritatem continerent, & quarum autoritas esset ἀξιόπιστος & indubitata inter Judæos, ut hoc ipso catalogo Judæos convinceret, Christum natum ex posteritate Davidis, utpote oriundum ex matre desponsa viro de domo Davidis. Plura qui



De libro I.
Chronico-
rum.

qui cupit, Natalem Alexandrum adeat, qui *Hist. Eccl. Ver. Test.* in quin-
tam mundi ætatem *Dissert. IX. T. II. p. 192. edit. in fol.* libros Regum &
Paralipomenon in Genealogiis a Matthæo & Luca non dissentire, ex
instituto evincit, solutis quæ in contrarium moveri solent dubiis. Sed
hæc ως ἐν ἀποδείξει.

VIII.

Partitio.

Capitibus liber prior constat in codice Hebræo XXIX. in germani-
co autem XXX. quia b. Lutherus in adornanda versione germanica caput
quartum in duo distincta dispescuit, & hoc pacto descriptionem tribus
Judæ a filiis Simeonis distinxit, singulis tribubus peculiare adsignandum
caput ratus. Versus ejus numerantur 941. In partes distribuitur *tres*
ab. Walthero, qui *Offic. § 857.* in *prima* recenseri ait Patriarchas ab in-
itio mundi, & familias XII. tribuum Israel capp. 9. prioribus: in *secunda*
portionem historiæ de vita & obitu Saulis c. X. in *tertia* amplificari histo-
riam Davidis, uti concepta est lib. 2. Sam. In *duas* vero concinnius a b.
Calovio & Friedlibio, nec non ab Hottingero *Thef. Philol. L. II. cap. I.*
Sect. 3. p. 509. Lavatero *Comm. in h. l. præm.* Heideggero in *Enchir. ad b. l.*
p. 108. aliisque communiter distribuitur, quarum *altera* Genealogica est,
qua ortus & propagatio gentis Israeliticæ per generationum seriem a
prima mundi origine ad Christi fere tempora traditur c. I—IX. *altera*
historica, quæ Regnum Judaicum, a Saulis novissimis per universum Da-
vidis imperium, ad Salomonis usque initia accurate perquam describit
a c. X—ad fin.

IX.

Tabula Syn-
optica.

Est itaque libri I. Chronicorum

P. I. genealogica, tradens genealogiam

α) Christi, ab ortu generis humani per

1. Patriarchas, eorumque familias c. I.

2. Judam, ejusque tribum c. II.

3. Davidem cum primis, ejusque posteros ad Zorobabelum us-
que c. III.

β) populi Israel, secundum suas tribus, posterorum nimirum

1. Judæ reliquorum, ex quibus Christus non debuit nasci c. IV,
1—23.

2. Simeonis c. IV, 24—fin. (*Germ. c. V.*)

3. Ruben, Gad, & Manassis c. V. (*Germ. c. VI.*)

4. Levi



4. Levi, cum functionibus & habitationibus eorum c. VI. (*Germ. c. VII.*)
5. Isaschar, Benjamin, Naphthali, Manassis, Ephraim, Aser c. VII. (*Germ. c. VIII.*)
6. Benjaminis, maximè Saulis & Jonathanis c. VIII. (*Germ. c. IX.*)
7. eorum, qui ex diversis tribubus sedem Hierosolymis fixerunt, c. IX. (*Germ. c. X.*)

P. II. historica, tradens historiam regni Davidis, ubi

- a) antecedens, mors tragica Saulis, & translatio regni ad Davidem c. X. (*Germ. c. XI.*)
- β) Davidis inauguratio, Duces, ac Heroës c. XI. (*Germ. c. XII.*)
- γ) copiarum recensio c. XII. (*Germ. c. XIII.*)
- δ) regni administratio, & quidem
 1. circa sacra, ubi
 - α. arcæ deportatio ad ædes Obed-Edom, post peremtum Ussam c. XIII. (*Germ. c. XIV.*)
 - β. idolorum Philistinorum, percussis ipsis, abolitio c. XIV. (*G. c. XV.*)
 - γ. arcæ ex dōmo Obed-Edom Hierosolymas translatio c. XV. (*G. c. XVI.*)
 - δ. Musica sacra, Sacerdotumque in tabernaculo officia c. XVI. (*G. c. XVII.*)
 - ε. consilium de exstruendo templo, divinitus revocatum c. XVII. (*G. c. XVIII.*)
 2. circa regni hostes, ubi
 - α. victoriæ adversus Philistæos, Moabitas, Syros, Edomæos c. XVIII. (*G. c. XIX.*)
 - β. — — — Ammonitas, legatorum violatores c. XIX. (*G. XX.*)
 - γ. — — — Ammonitas iterum & Philistæos gigantes c. XX. (*G. XXI.*)
 3. circa domus Dei a Salomone olim exstruendæ præparatio-
nem, ubi
 - α. loci in arca Arafnæ designatio c. XXI. (*G. XXII.*)
 - β. materiæ comparatio, filii & principum instructio c. XXII. (*G. XXIII.*)



3. Levitarum recensio & ad sua officia deputatio c. XXIII. (G. XXIV.)
7. Sacerdotum ordines, & Kehathitarum ac Meraritarum officia c. XXIV. (G. XXV.)
7. Musicorum classes & functio c. XXV. (G. XXVI.)
7. Janitorum & inspectorum officia c. XXVI. (G. XXVII.)
4. circa copias, & officiales Regis c. XXVII. (G. XXVIII.)
5. circa comitia ultima, quibus
 - N. ad structuram templi designatum successorem exstimulat c. XXVIII. (G. c. XXIX.)
 - D. contributionem ad templum exemplo suo monstrat & exigit c. XXIX. (G. XXX.)
- E) Davidis obitus, & Salomonis confirmatio c. XXIX, 22. seqq. (G. XXX.)

X.

Commen-
tarii
Patrum:

Non adeo frequentes nactus hic liber est interpretes; e Patribus tamen Græcis THEODORETVM, cujus *questiones in Paralipomena* T. I. Opp. P. I. p. 362. exhibentur; & PROCOPIVM GAZÆVM Sophistam, cujus in h. l. commentationes Græce & Latine per Masium prodierunt Leidæ in 4. A. 1620: e Latinis HIERONYMVM, cujus *questiones seu traditiones Hebræica* in hoc libros T. IV. Opp. f. 114. leguntur. Quo autem jure BEDAM huc citent Heideggerus, Crovvaus, Lippenius, non intelligo, cum nihil ejus in Chronica seorsim extet, nisi forte de templo Salomonis librum, T. VIII. Opp. p. 1. huc referre velint, qui tamen æque ad Regum librum I. spectabit: aut Chronicon, sive de sex mundi ætatibus T. II. Opp. f. 174. qui tamen libellus huc plane non pertinet, nihilque prorsus ad libri Chronicorum explanationem facit.

Rabbino-
rum:

E Synagogæ Doctoribus paucos admodum ideo in Paralipomena Commentarios edere ausos fuisse, quod Esdræ codices, maxime in Genealogiis fuerint vitiosi, Rich. Simon quidem in libri hujus contumeliam, sed perperam tradit *Hist. Crit. V. T. Lib. I. c. IV. p. 27. sq.* Equidem Don Isaac Abarbenel *Præfat. in Lib. Samuel* f. 74 col. 4. in sua patria nullum se reperire potuisse ait in Paralipomena Commentarium, nisi pauca verba Kimchii, quæ inania sint præ paucitate & profundum non petant.

Non



Non esse istum librum Paralipomenon usitatum apud Judeos in Medraschim, suumque peccatum confitetur, quod in hunc diem istum librum non legerit & meditatus sit. Interim tamen præter R. Levi ben Gersom, Kimchium & R. Aben Melech, ipsi Simonio citatos, cum primis huc spectat R. JOSEPH fil. David Aben JECHIA, supra jam ad librum Ruth citatus, cujus in Hagiographa commentarius Philosphicus, *אבן יצירה* inscriptus & Bononiæ in fol. A. 1538. impressus, Paralipomena suo loco illustrat: & R. ISAAC bar R. Salomo JABEZ, cujus elegans in Hagiographa expositio, Constantinopoli excusa, *תורת הסוד Lex misericordiae* inscribitur. Referenda huc quoque est *Pamphysis Chaldaica* libri, Lightfooto equidem ex Codice Cantabrig. in horis Talmudic. laudata, sed a Matth. Frieder. Beckio primum, e Codice MS. membranaceo Bibliothecæ Ministerii Erfordiensis, in lucem protracta, & cum versione ac notis edita, Augustæ Vindelic. in 4. A. 1680. de qua Placcii confer *Theatr. Anonym. P. I. p. 721. n. 507.* & *Acta Erudit. Lips. A. 1683. mens. Nov. p. 505.*

Inter Lutheranos SEBASTIAN. LEONHARDVS hypo. *Luthera-*
mnemata in hos, uti in Superiores quoque, libros edidit, Lipsiæ recu-
sos in 8. A. 1613. ABEL NEZENIVS in operationibus Biblicis, *noxum:*
jam sæpe citatis, P. II. Chronica etiam illustravit: ERASMVVS SAR-
CERIVS autem integro commentario eos explicavit, Basileæ excuso
A. 1560.

E Pontificiis huc pertinent, supra sæpius laudati, ANGELO- *Pontificio-*
MVS: ANTONINVS Florentinus: HADRIAN. CROM-
MIVS: THOMAS MALVENDA: FABRITIUS PAVLV-
TIVS: RABANVS: ALPHONSVS TOSTATVS: NI-
COL. SERARIVS: JAC. BONFRERIUS: BASIL. ZAN-
CHIVS. CASPARIS SANCTII in Paralipomena Commen-
tarius, libris IV. Regum ab ipso satis diffusè & erudite explicatis sub-
nexus, perquam sterilis & jejunos, pauca folia complet, & tantum
non in plurimis capitibus ad parallelam in libb. Regum historiam
lectorem remittit.

E Reformatis præcipuam meretur laudem LVDOVICVS *Reformato-*
LAVATERVS, qui insigni de utroque Chronicorum libro bene-
meritus est commentario, recuso Heidelbergæ in fol. A. 1599. in quo
haud levem genealogiarum curam habuit, easque in ordinem & ta-
bularum redegit, Christi que cum primis secundum carnem genus per avos
& proavos juxta serie ad Adamum usque deduxit, & usum practicum
singulis



De libro II.
Chronico-
rum.

singulis pericopis subjecit, ut adeo varium lectori usum præstet. VI-
CTORIN. STRIGELIVS scholia in hos libros Lipsiæ edidit in
fol. An. 1591. ARTHVRI JACKSON Angli in h. l. commentarii
Londini in 4. A. 1654. lucem aspexerunt. FRANCISCI BVR-
MANNI in h. l. explicatio Regum libris juncta, satis quidem con-
cisa, nihil tamen prætermittit eorum, quæ vel difficultate laborant, vel
in Regum libb. relictæ erant intacta, CHRIST. SCHOTANVS
in *Biblioth. historie V. T. T. II.* regum historiæ horum quoque librorum
explicationem suis locis conjunxit vel intercalavit.

Remon-
strantium.

De JOH. CLERICO in h. l. jam supra dictum.

CAP. XVII.

De libro posteriore Chronicorum.

Summari-
um Capituli.

Hic unus quondam fuit cum præcedente, liber S. I. Cujus argumentum, sco-
pus, utilitas S. II. Partitio & tabula synoptica S. III.

S. I.

Unus est
cum præ-
cedente hic
liber.

Hunc cum præcedente unum constituisse priscis Hebræis librum,
ex supra dictis *cap. XIII. S. I. p. 234.* constat, & præter Athana-
sianam synopsin, in qua ita legitur: παραλειπομένων πρώτον
καὶ δεύτερον εἰς ἐν ἀριθμώμενα βιβλία Paralapomenon prior & posterior
pro uno libro computantur, Hieronymi quam maxime testimonio com-
probatur, qui in præfat. in lib. Paralip. ad Domnion. & Rogat. T. IV. Opp.
f. 8. D. rationem divisionis addens: Hoc primum sciendum, inquit, quod
apud Hebræos liber Paralapomenon unus sit, & apud illos vocatur dibre
hajomim, i. e. verba dierum: qui propter magnitudinem apud nos di-
uisus est. Quod nonnulli etiam in Bruto, Ciceronis dialogo faciunt, ut
eum in tres partes secant, cum unus a suo autore sit editus. Sic & Ori-
genes in expositione Pl. I. apud Euseb. lib. VI Hist. Eccl. c. 25. Παρα-
λειπομένων πρώτη δευτέρα ἐν ἐνί, Διβρὴ Ἰακίμ, ὅπερ ἐστὶ λόγος ἡμερῶν.
Paralapomenon liber primus & secundus uno continentur volumine, quod
vocat Dibre Hajamim, hoc est, verba dierum. Masorethas omnino
unum saltem novisse Chronicorum volumen, satis inde apparet, quod
versiculos, quos singulorum librorum, ne qui inde exciderent aut ex-
pungi possent, seorsim numerarunt in ceteris, hujus utriusque in unam
sum-



summam 1763. coëgerint, quorum medius 1. Chron. XXVII, 25. legatur. Huc ergo pariter spectant, quæ de prioris appellatione, scriptore, autoritate & chronologia cap. præc. in medium sunt prolata.

II.

Argumentum libri verbis b. Calovii *Bibl. Illustr. T. I p. 848.* enarrare libet: *Secundus hic liber agit cum de Salomonis historia, tum de rebus post scissionem regni gestis; statum regni Judæ a Salomone usque ad liberationem e captivitate Babylonica per Cyrum factam describens: annorum 479. nimirum, trium Salomonis, cujus quarto extractum est templum, inde ad captivitatem, 4. anno Jojakimi factam, annorum 406. & 70. annorum captivitatis, usque ad primum Monarchiæ Cyri. Judæ enim Reges cum primis persequitur, ex quibus justo ordine Messias secundum carnem ortum ducebat; suisque quæque temporibus signans & distingvens, quoddam veluti Chronicon librorum Regum exhibet, multa hinc inde inspergens, lectu jucunda & amplissimi usus. Quæ omnia ad eundem collineant scopum, qui ad Regum libros fuit indicatus, & ut majorum Christi non modo series & historia, sed & personæ regni ipsius conditio, in Salomone & rebus ab ipso gestis typice adumbrata, ob oculos poneretur. Idque usu vario, in præcedentibus capp. diligenter inculcato, ad quem veritatis historicæ confirmatio, in iis, quæ cum libris Regum conveniunt, & plenior accedit cognitio, in iis, quæ ibi prætermittuntur; cui observationem addimus Lavateri proleg. in b. l. p. 94. Si rem diligenter expendamus, in singulorum fere Regum historia habemus aliqua peculiaria documenta. In Salomone, ne quis fidat sapientiæ suæ: in Rechabeam, quam pestiferum sit, adhibere juvenes in consilium: in Abia, hypocrisis interdum insignibus victoriis potiri: in Asa, non nimium tribuendum medicinæ: in Josaphato, quam periculosum sit, affinitatem contrahere cum impiis &c. Observat præterea, rerum varietate hunc librum utiliore esse & jucundiore priore, cum varias contineat narrationes, preces, conciones & alia, quæ in libris Regum prætermittuntur.*

III.

Ceterum capita continet XXXVI. versus 822. & commodissime, omniumque fere interpretum consensu, in duas distribuitur partes, quarum I. regni indivisi, duodecim tribuum, sub Salomone c. I. — IX. II. divisi, soliusque regni Judæ historiam, usque ad captivitatem Babyloniam, tradit c. X. ad fin. Sistit itaque hic liber historiam regni

P p 3

I, in

De libro I.
Chronico-
rum.

Argumentum

Scopus

Utilitas

Partitio



De libro II.
Chronico.
rum.

I. *integri* duodecim tribuum sub *SALOMONE*, cujus describuntur

α) acta ecclesiastica, scil.

1. pietas in Deum & oratio c. I.
2. lignorum & architectorum, ad extruendum templum comparatio c. II.
3. exstructionis locus, tempus, materia & forma c. III.
4. vasorum & ornamentorum apparatus c. IV.
5. arcæ introductio c. V.
6. subjuncta oratio inauguralis c. VI.
7. divina per ignem coelitus dimissum approbatio c. VII.

β) acta politica & œconomica c. VIII.

γ) famæ celebritas & Regiæ Arabiæ visitatio c. IX.

II. *divisi*, & quidem solius Judæ, sub reliquis Regibus,

α) *REHABEAMO*, ubi

1. infausta regni divisio c. X.
2. divisionis frustra impugnata confirmatio c. XI.
3. Regis a lege defectio, & per Sisakum pœna c. XII.

β) *ABIA*, cujus contra Jerobeamum victoria exhibetur c. XIII.

γ) *ASA*, cujus

1. pietas, & contra Æthiopes victoria c. XIV.
2. continuata reformatio, foedusque cum DEO redintegratum c. XV.
3. lapsus in impio foedere cum Syro, & fiducia in Medicis posita c. XVI.

δ) *JOSAPHATO*, cujus

1. visitatio ecclesiastica c. XVII.
2. inauspicata cum Achabo confœderatio c. XVIII.
3. resipiscentia c. XIX.
4. victoriæ contra triplicis generis hostes c. XX.

ε) *JORAMO* impio & infelicitè rerum potiente c. XXI.

ζ) *AHASIA* impio, & cum Achabi familia a Jehu occiso c. XXII,
1—9.

η) *ATHALIA* impia, regium Judæ semen fere totum extirpante,
v. 10—fin.

θ) *JOASO*, cujus

1. inauguratio & cultus Dei per Jojadam restitutio c. XXIII.

2. regni



2. regni administratio diversa, idololatria, poena c. XXIV.
- ι) *AMASIA*, cujus ab Edomais victoria, idololatria, poena c. XXV.
- κ) *USIA*, cujus primo pii felices successus, mox sacerdotium invadentis poena c. XXVI.
- λ) *JOTHAMO* pio, felice, qui Ammonitas tributarios fecit, c. XXVII.
- μ) *AHASO* impio, ob idololatriam & foedera profana afflicto c. XXVII.
- ν) *HISKIA*, qui pientissimus
1. templum repurgat c. XXIX.
 2. pascha celebrat c. XXX.
 3. Sacerdotes, Levitas, & ararium ecclesiasticum ordinat c. XXXI.
 4. a Sennacheribo & morbo lethali liberatur c. XXXII.
- ο) *MANASSE*, qui impius captivus abducitur, & respiciens in regnum restituitur c. XXXIII, 1—20.
- π) *AMMONE*, qui idolorum cultor a conjuratis servis occiditur c. XXXIII, 21—fin.
- ρ) *JOSIA*, qui pietatem testatur
1. idolorum abrogatione, & foederis cum Deo renovatione c. XXXIV.
 2. paschatis celebratione c. XXXV.
- σ) *JOAHASO*, quem Rex Aegypti captivum abducit c. XXXVI, 1—4.
- τ) *JOJAKIMO*, qui cum vasis domus Dei Babylonem abducitur, 5—fin.
- υ) *JECHONIA*, qui & ipse Babylonem abripitur, *ibid.*
- φ) *ZEDEKIA*, sub quo templum comburitur & urbs vastatur, *ibid.*



CAP.

CAP. XVIII.

De libro Esdræ.

Summari-
um capituli.

Libri inscriptio. Cur in Græcis & Latinis codicibus primus Esdræ inscribatur? Apud Hebræos quondam Esdras & Nehemias unum constituebant volumen. Sedes libri in Bibliis Christianorum, & Judeorum §. 1. Esdræ appellatio quid noceat? Scriptori hujus libri cum alio quodam Levita commune hoc nomen est, adeoque duo dantur Esdræ probe discernendi. Ejus genealogia. An Esdras idem cum Josedecho vel Jozadako 1. Chron. VI, 14, 15? Ejus eruditio & munus; merita quoque in S. Codicem. An in Prophetis locum obtineat? §. 2. Libri Scriptori Esdras asseritur, cui contra P. Dan. Huetium etiam priora sex libri capp. vendicantur §. 3. Spinozæ refelluntur criminationes, quibus partim novitatis partim corruptionis variæ librum insinuat §. 4. Idem porro Esdras omnium V. T. librorum historicorum autor esse, contra eundem Spinozam, negatur §. 5. Nec tribuendi ipsi sunt libri Cabbalistici, Pico Minandulano celebrati: nec CCIV libri, quos somniat Sixtus S. nensis: nec Vaticinium de fati Monarchia Rom. Imperii: nec de diebus infausis libellus: nec libri III. & IV. qui sub Esdræ nomine in Apocryphis leguntur; de quibus quid sentiendum sit, edisseritur §. 6. Libri argumentum: Scopus: Utilitas §. 7. Autoritas ejus divina asseritur, eaque an in dubium vocetur ab Anabaptistis, disquiritur §. 8. Chronologia libri. Quis Darius, sub quo templum restauratum? Quis Artaxerxes, cujus indultu Esdras & Nehemias cultum & rempublicam apud Judeos restaurarunt? Tabula Chronologica sinem quintæ, & initium sextæ mundi ætatis complexa §. 9. Partitio §. 10. Tabula Synoptica §. 11. Commentarii Patrum, Lutheranorum, Pontificiorum, Reformatorum, Remonstrantium, & Fanaticorum §. 12.

§. I.



I.

Sequitur in Christianorum codicibus נְרִיָּא qui Latinis *Ezra*, vel Inscriptio, molliore sono *Esm*, aut cum Græcis, qui more Dorico *Zin* sū mutant, *Esdra* appellatur, a scriptore & objecto palmario inscriptus liber. Vulgata *librum primum Esra* dicit, nec secus Arabica versio, quæ ita habet: *liber primus Ezra sacerdotis, legisperiti*. Quem enim nos *Nehemiæ* vocamus librum, ab eadem profectum credunt manu, & *Esra* secundum numerant; vel quod in *Nehemiæ* libro historia ab *Esdra* cœpta eodem filo continuatur, quæ D. Andr. Osiandri in *Not. Bibl. ad Neh. I.*, i. observatio est, vel quod priscis Hebræis uterque in unum compingitur volumen. Ita enim Hieronymus *Epist. ad Paulinum T. IV. Opp. f. 3. D. Esdras & Neemias*, inquit, *adjutor videlicet & consolator a Domino, in unum volumen coarctantur*. Et rursus in *præfat. in b. l. ad Domnion. & Rogat. T. IV. f. 9. B. nec quenkum moveat*, ait, *quod unus a nobis liber editus est, quia & apud Hebræos Esdra Neemiæq; sermones in unum volumen coarctantur*. Plane ut ante ipsum Origenes in expositione *Pf. I. apud Euseb. l. VI. Hist. Eccl. c. 25. Ἐσδρας πρῶτος & ἡ δευτέρα ἐν ἐνί, Ἐζεζ, ὁ ἐστὶ Βονθός. Esdras primus & secundus, qui apud Judæos unicum consciunt librum, vocatur Esra, id est adjutor*. Hinc quoque Lactantium videas *lib. IV. Instit. div. cap. 11. ex Esdræ libro allegare*, quæ *Nehemiæ IX, 26.* leguntur, unde manifestum est, utrumque ipsi unum composuisse volumen. Et Masorethæ quidem, cum vel ad undecim libellos Hagiographorum numerum revocant, utrobique *Nehemiæ* prætermisum sub *Esdræ* appellatione, adeoque & uno cum illo volumine, comprehendunt. Vide Buxtorff. *Tiberiad. c. XI. p. 26. edit. in fol.* Porro δὲ LXX. in versione Græca ex hoc utroque, quem pro uno habent libro, transposito ordine, posteriorem, ex Apocrypho vero III. *Esdræ* priorem faciunt, ut in Athanasiana Synopsi & Polyglottis Anglicanis annotatum reperio; quoniam historiam paulo altius atque ille repetit, ut notat Joh. Rainoldus *T. I. Censura Apocryphorum, p. 238.* Vulgo tamen Græcæ editiones utrumque separant, ac priorem *Ἐσδρα* simpliciter, & sine adjecto, & subsequentem *Νεεμίας* inscribunt. Ex quibus colligitur, illam in *priorem* & *posteriorem* *Esdræ*, item in *Esdræ* & *Nehemiæ* librum distinctionem non a viris *ἑρπυδιστοῖς*, aut primis eorum scriptoribus, sed a Græcis & Latinis demum interpretibus, dudum post Christum natum, esse introductam. Porro in Christianorum codi-

Qq

Sedes ac
cibus Ordo.

cibus hæc Esdræ historia Paralipomenis immediate subjungitur, historiæ temporumque serie ita iubente, cum ibi Esdras incipiat, ubi Chronica subsistunt; *ordinatur iste liber immediate post Paralipomena, sicut ait Hieronymus, in lib. de Hebraicis question. eo quod idem sit finis Paralip. & principium huius libri*, ait Brito, *in expositione* prologi Hieron. in h. l. *Bibl. Glossat. Lyre T. II. f. 239. C.* at vero in Hebraicis editionibus Judæorum, una cum Nehemia, Chronica proxime antecedit hic liber, quod prius aut scriptum hunc aut recensitum credunt, quam Paralipomena; quo de vide *cap. XVI. §. 2. p. 285.*

II.

Esdræ no-
men:

Nomen autem עֶזְרָא vel עֲזָרָא *auxilium* notat, non sine omine Legisperito nostro impositum, quod is ecclesiæ pariter ac reipublicæ Judæicæ, extremum afflictæ & prostratæ, auxilio suo præsto futurus esset, ut in justum denuo coalesceret corpus. Hinc commode Hieronymus *loc. cit.* & in *Comment. in Mich. II.* vertit *Adjutorem*, ut *Βοηθόν* Origenes *§. præced.* Sed vero probe hic observandum, duos esse hoc nomine insignitos, qui ex captivitate Babylonica reduces in sacris literis commemorantur. Alius enim Esdras Levitici ordinis Neh. XII, 1. commemoratur, qui una cum Josua Pontifice & Serubabele Principe, sub Cyro, Hierosolymam ex captivitate ascenderat: alius, longeque diversus, ex Sacerdotum ordine, & de Pontificali linea, qui anno septimo Artaxerxis e Perside in Judæam cum pluribus Judæis aliis, Regis indultu profectus est, ut structuram templi & urbis, quam somnolentius Judæi reduces tractabant, urgeret Esdr. VII, 1. sq. Junius quidem & Tremellius, in *annot. ad Nehem. c. I.* & qui cum ipsis faciunt, eundem utrobique notari Esdræ, non geminum credunt, & Nehemiam per Synecdochen duas profectio- nes ex captivitate, longo tempore a se invicem distantes, conjungere tradunt: priorem sub Zorobabele Duce & Josua Pontifice, imperante Persis Cyro; posteriorem Esdra Duce Anno 7. Arthasastæ h. e. Artaxerxis. Hinc versum 1. apud Nehem. c. I. ita distinguunt: *Isti sunt Sacerdotes & Levitæ, qui ascenderunt cum Zerubabele, filio Scheatrielis & Josua:* (hic repetendam dicunt præpositionem *וְעִם אֲרֹתָם* h. m. & cum) *Senajâ, firmejâ, Ezrâ:* & ad marg. n. 2. notant: *ascenderunt duabus profectio- nibus, altera cum duobus Zerubabele & Jeschuba Esr. 2. & altera cum ipso Esra Esr. 7.* Sed vim inferri textui, quis non videt? diversissimarum enim profectio- num, & tanto quidem temporis & circumstantiarum intervallo disjunctarum, una in periodo, unaque constructione con-

con-



conjunctionem, in libro historico, in quo accurate rerum temporumque ^{Esdræ.} discrimina in ceteris observata deprehendimus, nemo facile qua siverit, nec synecdochen talem cogitasset quisquam, nisi gemina ista persona, in unam conflanda, commentum istud suppeditasset. Differt sane uterque hic Esdras, familia, tempore, functione & officio, & demum dignitate, cum Levita absque addito & simpliciter, hic noster semper cum emphasi & elogio recenseatur. Conf. Neh. XII, 26. 33. 36. Esdr. VII, 6. 12. 21. Diversos itaque Esdras Theologi nostrates recte statuunt, sibi cognomines, ut ap. b. Dorscheum in *Syll. Semestri n. IX. p. 190.* b. Glassium *Philol. S. lib. IV. Tr. 3. Obs. XI. pag. marg. 804.* Barth. Mayer. *Philol. S. II. p. III.* Laurent. Fabricium in *Partit. Codicis Hebraei c. XIX.* Thesauri Creniani I. p. 353. videre licet, quorum posterior, tot ornatus in Scriptura encomiis, noster est, de quo in præsentia agimus. Ortum autem ille ducit e familia Aaronis, quod genealogia docet Esdr. VII, 1. seqq. & 1. Chron. VI, ^{genealogia:} (Germ. VII.) 3. sq. obvia; quæ tamen posterior, sex gradibus inter primos octo, & novem ultimos interpositis, auctior illam superat, & in libro Esdræ occurrentem generationum seriem mediatam intelligendam esse ostendit. Viginti tribus itaque generationibus ab Aarone in linea recta distat, nec nisi mediate filius Serajæ, (qui in urbis vastatione occisus 2. Reg. XXV, 18. 21. legitur) cujus forte nepos aut abnepos fuerit, Esdr. VII, 1. dicitur. Unde male Esdræ cum Josedecho vel Jozadako, quem genuisse Seraja 1. Chron. VI, (Germ. VII.) 14. 15. legitur, confundit Hieronymus apud Ludov. Vivem in *L. 18. de Civ. Dei c. 36. August. Opp. T. V. f. 1096.* ejusque legens vestigia Sixtus Senens. *lib. I. Biblioth. S. p. 10. b.* qui ita habet: *Esra, quem primus Paralipomenon liber Josedech sacerdotem appellat, filius Sarja, filii Azariae* &c. cum nec temporum ratio id ferat, & nimis grandis hoc pacto tribuenda sit Esdræ ætas; & Jozadak Josuam, primum Pontificem maximum post captivitatem, genuisse legatur Esdr. V, 2. Neh. XII, 26. qui sat multo tempore Esdræ præcessit, & jam in prima illa sub Cyro profectio in patriam Judæam ascenderat. Voluit autem Esdras in sui libri genealogia se statim Serajæ subnectere, qui ratione Pontificatus clarus fuit, & ante everfionem Hierosolymis floruit: cum pater aut avus ipsius in captivitatis tenebris latitaverit. Confer adhuc Dorscheum *loc. cit. p. 192.* & Sanctium *Prolegom. I. Comm. in b. l. p. 29.* Porro hinc consequitur, eundem hunc nostrum cum Malachia, Prophetarum ultimo, non esse, quod nonnullis equidem autoritate Targum in *Mal. I. 1.* subnixis, inscite perquam fuit visum; ut



De libro
Esdræ.
doctrina:

ex instituto discutiemus infra in cap. de Malachia. Quanta autem Esdras legis divinæ peritia, quanta eruditione juxta ac autoritate polluerit, ex tot illustribus nomini ejus passim adjectis encomiis satis intelligitur, maxime quando Esdr. VII, 6. סֵפֶר מִדְּבָרִים scriba promptus in lege Mosi salutatur, & animum suum disposuisse ad interpretationem Legis Domini, & ad præstandum docendumq; in Israele statutum & judicium c. 1. v. 10. legitur. Sic in diplomate Arthasastæ regio v. 11. 12. sacerdos & scriba legis Dei cælorum absolutus audit. Scribam appellat, inquit Buxtorff. Tiberiad. c. X. p. 23. b. ad locum allegatum, non tam a scribendo, quam ab enarrandis & explicandis iis, quæ in Scripturis Sacris comprehenduntur. Nam סֵפֶר liber, סֵפֶר librarius, librorum peritus interpres & Doctor, Scriba. A nullo autem libro majus nomen lausq; major erat, quam a libro legis Dei, unde סֵפֶר vocabatur Legisperitus, qui librum legis Dei docebat & interpretabatur. Sic & in N. T. interdum appellantur γραμματιστῆς scribæ, qui docebant populum, unde & de Jesu Christo dicitur: Docebat enim eos, ut habens auctoritatem, & non ut οἱ γραμματιστῆς scribæ Matth. VII, 29 interdum νομοδοί, Legisperiti Luc. VII 30. & XI, 46. Fuit tamen etiam סֵפֶר scriba proprie sic dictus, qui epistolas, diplomata, fibros, contractus & similia conscribebat, aut aliis scribis præerat. Allegat porro Buxtorffius testimonia ex Talmudis Hierosoly mitani libro Megilla cap. I. & Babylonici libro Sanhedrin cap. 2. fol. 21. ubi ex Magistrorum sententia dignus dicitur Esdras, per cujus manus daretur lex Israeli, si non præcessisset ipsum Moses, Mosique meritis in legem Domini collatis comparatur. Et prostant omnino insignia ejus in omnium temporum ecclesiam circa asserendum canonem sacrum merita, grata mente celebranda. Quanquam enim universum codicem sacrum, quæ quidem sui parte tunc temporis conscriptus ac editus fuerat, in vastatione urbis ac templi igne absumtum prorsusque perditum, ex suo ingenio non restituerit, quam Pontificiorum, ex Patrum traditione haustam, fabulam supra jam cap II. §. 2. p. 24. profligavimus, & post Bellarminum l. II. de verbo Dei c. 1. e recentissimis Pontificiis Doctoribus Natalis Alexander Hist. Eccl. V. T. ad VI. mundi ætatem Dissert. IV. T. II. p. 338. impugnat & confutat; neque etiam vitiatam in captivitate Babylonica Scripturam correxerit ac emendarit, quod itidem Papisticum commentum a Corn. a Lap. Proæm. Comment in b. l. p. 5. copiose adstructum, Theologi nostrates suis locis passim redarguunt; v. Calov. System. Theol. T. I. p. 725. qui ipse quoque, quo sensu admitti possit restauratio librorum sacrorum, docet T. I. Bibl. Illustr. V. T. p. 362. b. neque demum

litæ-

merita in S.
Codicem.

litteras, quibus modernus codex Hebræus exaratus conspicitur, novas invenit, relicto Samaritanis caractere pristino, quam Buxtorffius data opera confutavit fabellam *Diff. IV. de litterarum Hebræicarum genuina antiquitate* p. 169. sqq. certum tamen est, quod dispersa, Judaicæ gentis clade & captivitate, exempla sacri codicis in unum collegerit, invicemque emacularit, & cum Pseudo-prophetarum multorum scripta pro genuinis & authenticis successu temporis irrepsissent, Mosaicorum Prophetarum aliorumque librorum, singulari Spiritus S. instinctu conscriptorum, canonem definierit, & quicquid heterogeneorum scriptorum obtrudebatur, rejecerit; tum & ipsos authenticos & canonicos libros examinarit, ne quid alienum pravumque ipsis adscriptum admisceretur, tandemque rationem ac modum eisdem dilucide legendi & exponendi ecclesiæ tradiderit. In quo præclaro perquam & sanctissimo instituto adjutores habuit symmistas divinos, Haggæum, Zachariam, Malachiam, Nehemiam, aliosque primores & antistites in Scripturis Sacris potentes & autoritate pollentes, numero CXX. *אַנְשֵׁי הַכִּנְסֶת הַגְּדוֹלָה* viros synagoga magna, cujus ipsum Præsidem ac directorem egisse ferunt. Conf. omnino Buxtorff. *Tiberiad. c. X. m. XI. p. 24. in fol.* Prophetæ autem, an Prophetæ titulo & munere an conspicuus fuerit, variè disceptatur ab eruditissimis; affirmantibus Judæis in *Seder Olam Suta* edit. Joh. Meyeri p. 108. ubi Haggæo & Zachariæ ceu Prophetæ accensetur: interprete Syro, qui librum ita inscribit: *לְבַר עֶזְרָא נְבִיאָא* Liber Ezræ Prophetæ; Lactantio, qui *L. IV. Instit. Div. c. XI p. 238.* Esdras etiam Prophetæ, inquit, qui fuit ejusdem Cyri temporibus, a quo Judæi sunt restituti, sic loquitur &c. Beda in inscriptione, proœmio & passim allegor. exposit. in *b. l. Calendario Romano ad diem 13. Julii*, in quo illius recolitur memoria, Cornel. a Lap. *Proœm. Comm. p. 4.* & e nostris b. Calovio *Bibl. Illustr. in b. l. Proœm. T. I. p. 862.* & Joh. Henr. Ursino *Parallel. Evangel. VIII. p. 38:* negante autem Augustino, qui *L. XII. de C. D. c. 36. T. V. Opp. p. 1096.* Esdras, inquit, magis rerum gestarum scriptor est habitus, quam Prophetæ. Sed in promptu est conciliatio, e diverso Prophetici tituli significatu & usu resultans. Si Prophetam dicas virum *θεόπνευστον*, cujus ministerio in exarand. Canonis sacri parte aliqua usus est Deus, quique adeo Scriptura sua testatus de Christo est, quo sensu universa V. T. Scriptura *λόγος προφητικός* 2. Pet. I, 19. Scriptoresque librorum V. T. *πάντες οἱ προφῆται* Act. X, 43. audiunt, nemo temere hanc dignitatem Esdræ denegaverit; quamquam



De libro
Esdræ.

nolim hæc eo trahi, ac si ideo saltem dicendus sit Propheta, quia Scriba vel Notarius Publicus fuerit, quo sensu R. Simon, cui Propheta & Scriba publici paria faciunt, Esdræ hoc titulo dignatur *Hist. Crit. L. I. c. 1. p. 4. b.* fin vero eos demum Prophetas esse velis, qui futura prædicendi facultate instructi, de Christo & temporibus N. T. vaticinia ediderunt, tum vereor omnino, an Esdræ æque ac ceteris Prophetis id nominis competat. Non inepte hic Scipio Sgambatus *lib. II. Archivar. Vet. Test. Tit. LXII. p. 395.* Non tamen ideo, inquit, quia Scriba cognomento & officio erat, ut minus sapienter argumentatur R. Isaac Abarbinel. Nam Prophetam cum farentur Hebraei omnes, dum ordinem Theologicæ successionis recensentes, numerant Prophetas a Samuele ad Esdræ: denique cum liber Esdræ æque apud Hebræos, ac nos in canone sit, profecto utriq; coguntur, eum sateri Prophetam. Plura de his omnibus qui cupit, adeat die Lebensbeschreibung der Biblischen Scribenten P. VI. quæ personalia Esdræ exhibet, & ad autores, qui hæc singula data opera pertractarunt, innumeris fere citatis remittit.

III.

Libri autor.

Huic itaque tali ac tanto scriptori acceptum vulgo ferimus, quem præ manibus habemus, librum, quo suæ ætatis res gestas memoriæ prodidit, & restaurationem templi gentisque Judaicæ literis consignavit. Nec de veritate ejus rei dubitare nos sinunt testimonia libri, quibus de se in prima persona scriptor libri, idemque Esdras, loquitur. Cap. VII, 27. 28. postquam datas ad Esdræ ab Arthasasta Rege literas retulisset, ita pergit: *benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificaret domum Domini, quæ est in Jerusalem, & in ME declinavit misericordiam suam coram Rege, & consiliatoribus ejus, & universis Principibus Regis potentibus. Et EGO confortatus manu Domini Dei MEI, quæ erant in ME, congregavi de Israel principes, qui ascenderent mecum: & cap. IX, 5. cum de se dixisset: curvavi genua mea & expandi manus meas ad Dominum Deum meum, & orationem a se fufam adjecisset, tandem in persona tertia nominat orantem c. X, 1. Sic ergo orante Esdræ, et implorante eo, et flente etc. Sic Esdræ gesta scriptor libri c. VIII, 15. sqq. passim in prima persona recenset, manifestisque indiciis, se eundem cum Esdræ esse prodit. Quæ cum ita sint, negare equidem non potuit Doctissimus Huetius *Demon. Evang. Prop. IV. in b. l. p. 356. §. 1.* ultima quatuor capita libri ab Esdræ manu profecta esse; circa sex priora vero capp. in diversam sententiam discedit, eademque eundem cum libris Paralipomenon*



menon scriptorem, ab Esdra tamen diversum agnoscere, ac Darii jam ætate ipsoque, quo templum extruebatur, tempore, adhuc ante Esdrae Hierosolymas adventum, exarata fuisse pertendit. Cum enim c. V, 3. sq. ita res gestas exponat, se ut iis ipsis interfuisse scriptor declarat, liquido constare, alium eum ab Esdra esse, qui tunc temporis nondum in Judæam reversus fuerit, sed Artaxerxis demum ætate redierit. Tum quoque ad initium capitis VII. provocat, quod ita habet: *Post hæc autem verba, in regno Artaxerxis regis Persarum ipse Esdras ascendit de Babylone*: unde ita colligit: *cum Hierosolyma fuerit tempore Darii scriptor priorum sex capitum, Esdras vero Hierosolymam venerit regnante Artaxerxe, sequitur alium esse sex priorum capitum scriptorem ac Esdram*. Iisdemque viri summi vestigiis recentissime inhæret Jac. Friedriç. Reimmannus *question. Biblic. p. 222*. Utut vero parum referat, quamnam sententiam eligas, dummodo virum Θεοπνεύστον agnoscas scriptorem; tanti tamen hæc argumenta ponderis non sunt, ut persuasum habet Huetius, ut priorem illam communique consensu receptam, de Esdra secundo totius libri auctore, sententiam penitus evertant. Ut enim, quicquid hic consignavit, ex divina & immediata hausit suggestionem, quo citra erroris aut lapsus *παρανοήσεως* periculum exacte omnia proderentur: Sic etiam eundem cum ceteris Scriptoribus Θεοπνεύστοις morem tenuit, quibus haud infrequens est, res dudum ante se gestas ita commemorare, ac si ipsi earum pars fuissent. Quo pertinent, quæ b. Glassius noster *Philol. S. Lib. I. Tract. 3. Sect. 4. p. 205. sqq.* de styli sacrarum literarum evidentia profert, moremque Historicorum Θεοπνεύστον esse observat, *πρὸ ὀφθαλμῶν ποιεῖν* ac res quasi ante oculos spectandas proponere. Quin sæpe etiam apud prophanos Historicos idem observare licet. Hinc istud: *respondimus* c. V, 4. non statim evincit, Scriptorem unum *Respondentium*, adeoque de Rectoribus provinciæ a Dario præfectis fuisse; quæ Huetii est collectio; sed Esdras hæc verba ex ore rectorum istorum aut Seniorum Israel, qui præsentem templi structuram adfuerunt, retulisse docet. Sic Lud. El. du-Pin *prolegom. Bibl. Lib. 1. c. 3. §. 6. p. 84*. Huetium refutans, nomine gentis suæ loqui Esdras contendit, sæpiusque historicos in prima persona loquentes deprehendi observat, v. g. bellum indiximus, pacificatum venimus, urbem expugnativimus &c. quanquam, qui scribunt talia, præsentem nequaquam adfuerint. Alterum vero ex c. VII, 1. argumentum omni prorsus consequentia caret, neque valide colligitur, Hierosolymis fuisse tempore Darii scriptorem priorum sex capitum, quia post



post hæc verba, in regno Artaxerxis Esdras descendit de Babylone. Hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, & indoli historiæ sacræ plane repugnat, quæ gesta dudum ante scriptoris sui tempora repetere & copiose inculcare consuevit. Ut adeo hætenus causa sat evidens nulla appareat, cur a communi sententia discedere, & priora sex capp. Esdræ abjudicare debeamus. Talmudistis sane totius libri scriptor est, juxta allegata superius c. XVI. §. 3. p. 286. verba. Unde & Joann. Clericus Huetium deserit, vulgarem sibi magis placere testatus sententiam, ex qua statuitur Esdras Babylone primum in Judæam rediisse, una cum Zorobabele & Jesua; deinde cum reversus esset in Babyloniā, iterum inde rediisse sub Dario Hystaspide. In prioribus capitibus, pergit, semet ipse non nominat, quia non erat Dux et caput reditus, ut in secundo itinere; sed satis liquet, hominem fuisse inter ipsos reduces, qui tempore Cyri redierunt, ex Cap. VI, 14. 15. ubi se inter eos commemorat. Verum aut mendosum est allegatum, aut qui prior Esdræ profectio, de qua Scriptura alibi filet, ex citato loco demonstrari queat, prorsus non intelligo. Nullibi sane geminum Esdræ in Judæam reditum leges: nisi alterum illum Esdram Levitam Neh. XII, 1. cum hoc nostro confundere velis. Unde corruunt etiam dubia, quæ circa geminum hunc e Babylonia ascensum Esdræ, ex ejus ætate sibi format Clericus, de qua mox dispiciemus.

IV.

Spinosa re-
felluntur
criminatio-
nes, 1) no-
bitatis:

Graviter autem contra hunc & sequentem Nehemiæ librum insurgit Spinoza *Tract. Theol. Polit. c. X. p. 132.* longe post instauratum a Juda Macchabæo templi cultum confictos utrumque esse criminatus. *Non dubito, inquit, quin hi libri, dudum postquam Judas Macchabæus templi cultum restauravit, scripti fuerint, idq; quia tum temporis falsi Danielis, Ezræ et Esteris libri edebantur a malevolis quibusdam, qui sine dubio sectæ Sadducæorum erant; nam Pharisei nunquam illos libros, quod sciam, receperunt.* Verum ut gratis, & absque ullo antiquitatis testimonio, istud de obtrusis Pseudo-Danielis, Pseudo-Esdræ &c. libris, a Sadducæis confictis, pro temerarii hominis in fingendo licentia, asseritur; ita Synagoga magna per Masoram jam inde ab Esdræ temporibus studiosè cavit, ne vel obtrudi tales possent, vel corruptelam etiam pati libri genuini. Altera, quam adfert, conjectura est: *vel forte ea de causa tum temporis descripti atque editi sunt, ut populo ostenderent, Danielis prophetias adimpletas esse, atque cum hac ratione in religione confirmarent, ne de melioribus et futura salute in tantis calamitatibus desperaret.* Utut autem demus, ad comprobandum

dum prophetiarum Danielis complementum, & confirmandi in religio-
ne ac fiducia populi gratia, hos libros descriptos atque editos fuisse, qua-
tamen consequentia elici hinc poterit, quod dudum post instauratum a
Juda Macchabæo templi cultum compositi demum fuerint? Longe prius
enim ea Danielis vaticinia impleta erant, quorum complementum his li-
bris traditur. Unicum ergo tam temerariæ assertionis argumentum il-
lud affert, quod Nehem. XII, 11. producit genealogia Pontificis יְדִיָּהּ
Jadduæ, qui Alexandro M. jam fere Persarum imperio subacto obviam-
ivit, teste Josepho lib. XI. Antiq. s. 8. & quod v. 22. capitis ejusdem men-
tio est Darii Persæ, Codomanni scilicet, ad quem usque, imo ultra cujus
imperium Elisib, Jojadah, Jochanan, & Jaddua vixisse Sacerdotes legan-
tur. Hinc itaque concludit: *neminem existimare credo, quod Ezris aut
Nehemias adeo longævi fuerint, ut quatuordecim Reges Persarum supervixe-
rint: nam Cyrus omnium primus Judæis veniam largitus est, templum reedi-
ficandi, & ab eo tempore usq; ad Darium decimum quartum & ultimum
Persarum Regem ultra 230. anni numerantur. Sane si tam vere isthæc pro-
ferret, quam speciose ac audacter, haud leviter omanino in solvendo hoc
nodo laborandum esset. Sed nervose & solide admissos ab ipso errores
complexus, Huetius c. l. §. 4. p. 358. vix plures, inquit, potuisset errores
tam paucis verbis colligere. Nam primum putat, Nehemiam Cyri tempori-
bus floruisse, qui Artaxerxi equalis fuit: quatuordecim Persarum reges nu-
merat, qui a Cyro ad Darium Codomannum, fuerunt omnino decem, aut si
Patizirben & Smerdin Magos in iis numeres, ad summum duodecim. A
tempore, quo Judæis patriæ repetenda potestatem fecit Cyrus ad postremum
Darium annos effluxisse censet 230. qui ad hujus obitum non multo plus quam
ducenti fuerunt. Quæ omnia ut ad oculum pateant, Regum Persarum
calculum subjiciemus, qui ita habet:*

A.O.C.

- 3468 Cyrus regno potitus (2. Chron. XXXII, 26. Esdr. I, 1.) anno im-
perii primo Judæis in patriam revertendi potestatem fecit.
3474 Cyrus septuagenarius vita fungitur, postinitam Monarchiam
annis septem cum mense uno aut altero.
3475 Cambyses succedit, qui Esdr. IV, 6. Ahasverus vocatur, & præfuit
7. annis cum 5. mensibus.
3482 Cambyses moritur.
3483 Smerdes Magus per 7. menses imperio præfuit, assumpto cogno-
mento Artachastæ, Esdr. IV, 7.

Rr

3484 Da-



A.O.C.

- 3484 *Darius Hystaspes* praeſſe coepit, qui 36. annis regnavit.
 3519 *Darius* obit, *Xerxes* filio rege declarato.
 3539 defuncto *Xerxi* ſuccedit *Artaxerxes Longimanus*, Μαννρόχης.
 3546 anno *Artaxerxis* ſeptimo *Esdra* cum magna *Judæorum* copia
Babylone proficiſcitur *Esdra* VII, 6. ſqq.
 3559 *Nehemias* miſſus *Hierofolymam*, ad reſtaurandam *Politiam*.
Neh. II, 1. *Artaxerxis* anno regiminis 20.
 3581 *Darius II.* vel *Nothus* ſuccedit, qui annis 19. praeſuit.
 3600 *Artaxerxes Memor*, Μνημων, rerum potitur, imperium 46. annis
 tenens.
 3646 *Ochus* ſuccedit per annos 21.
 3667 *Aſes*, qui & *Arogus* dicitur, regno praeſcitur, in annum 3. illud
 tenens.
 3669 *Darius III.* vel *Codomannus* praeſſe coepit, qui
 3672 anno imperii quarto victus ab *Alexandro*, *Monarchiae* tertiae &
Græcae locum dedit.

Sic Reges totius *Monarchiae* *Perſicae* habes XI. annos 204. quos ta-
 men omnes vivendo expleviſſe nec *Esdra*s dicendus neceſſario eſt, nec
Nehemias, cum ab illius in patriam reditu anni 123. ab hujus autem 110.
 ad *Darium Codomannum* uſque numerentur, ſub quo *Jadduah* Pontifi-
 catum adeptus eſt. Hos vero uti *Jadduae* tempora vivendo attigiſſe,
 nullibi legitur, dudumque ante *Darium Codomannum* diem ſuum obiſſe,
 ſalva ſacri textus autoritate aſſerere poſſumus: ita, licet id dederimus,
μνημονεύεις adeo fuiſſe, ut ad ſequiſeculum fere aſcenderent, longitudo
 tamen ævi extra ordinem in hominibus, quorum opera *Deus* ad magna
 uti voluit, cenſente *Chriſt. Schotano T. II. Biblioth. Hiſt. Sacr. V.T.p.1147.*
 miranda adeo non eſſet. Ut taceam, ſi ex *Scaligerianorum* mente, *Esdrae*
 & *Nehemiae* profectiones ad *Artaxerxis* *Mnemonis* annum ſeptimum.
 & vigeliſimum referamus, minorem longe numerum prodire, de quo ta-
 men calculo paulo poſt, ubi de *Chronologia* ſermo erit, videbimus.
 Quod porro *Spinoza* urgebat ex *Neh.* XII, 22. ubi *Sacerdotes* fuiſſe di-
 cuntur על מלכות דריוש illud על pro I titidine ſignificationis &
 uſus hujus particulæ, non ultra, ſed uſq. ad *Regnum* *Darii* ſignificat.
 Alias *Jadduae* Pontificatus, qui cum *Darii* regno connexus erat, ultra *Da-*
rium extendi deberet. Et fieri potuit, ut hæc pericopa a recentiore
 manu δεσπινεύειν, ad integritatem hiftoriæ poſt *Nehemiam*, ſcriptumque
 ab

ab ipso librum, adjecta fuerit, si tam grandem illi aetatem tribuere noli. Esdræ.
 mus; quale quid in recentissimis illis, 1. Chron. III, 21. sqq. genealogiis
 usu venisse, supra monuimus c. XVI. §. 3 p. 287. Ita quippe Dionys. Peta-
 vius *doctrina temporum Lib. XII. c. 25.* censet: *Id enim plerisque aliis in-*
libris Scripturæ, inquit, apparet esse factum, ut in fine Deuteronomii, quæ
ad Mosi obitum spectant, ab alio utiq; sunt adjecta; quod idem & de libris
Josue, Tobie & Jeremiæ quidam existimant. Quæcirca in catalogo illo
Levitarum & Sacerdotum, quem ad tempus suum perduxerat Nehemias, qui-
dam appendicem illam attexuit. Ulterius adhuc progressus Lud. El. du
Pin Proleg. Bibl. l. I. c. 3. §. 6. p. 84. universam illam Cap. XII. a v. 1—26.
incl. pericopam a recentiore manu libro insertam, ex connexionem textus
conjectit, quod post commemoratam mœniura urbis reparationem, inco-
larumque recensitionem, dedicatio mœnium naturali ordine recensenda
fuerit, quæ demum v. 27. incipiat. Sed nimis grandis hæc nobis lacinia
videtur. Præterea vero corruptionis notam his libris inurere Spinoza
allaborat c. I. p. 133. pergens: Verum enim vero quamvis hi libri adeo re- 2) *corru-*
centes & novi sint, multe tamen menda, ex festinatione, ni fallor, describen- *ptele,*
rium in eosdem irrepperunt. Consentientem hic sibi Spinoza habet Cle-
ricum, tum in Dissertatione de Scriptoribus libror. Hist. V. T. §. 8. 9. tum
in commentario passim, ut quando ad Neb I, 1. annotat: Si quis existima-
ret, turbatum aliquid hic esse in annis, aut in nominibus, sibi adsentientem me
haberet, quamvis quid sit immutatum, dicere nequeam. Et ad Esdr. VII, 3.
Nemo non videt, inquit, omissos hic sex viros, negligentia librorum, pro-
pter repetitionem עֲבָדֵי וְבָנֵי & similitudinem terminationis vocum אֲמָרָה
עֲבָדֵי. Si quis ejusmodi errata defendere sustinet, idem ille jungat vul-
pes & mulgeat hircos. Bona verba, quælo: Si enim, quid sit immuta-
tum, dicere non potest Criticus, auctoritati sacrarum literarum parcere,
suamque potius in δυσνοήτοις ejusmodi ignorantiam fateri debuisset,
quam criminationibus impetere, quas demonstrare non valebat. Mc-
diatam autem Genealogiam si necesse esset erratis librorum acceptam
ferre, corruptus quoque pari negligentia fuerit Matthæus in genealogica
c. I, recensitione. Sed videamus, quo commento fidem calumniæ suæ con-
ciliare nitatur Spinoza. In hisce enim, pergit p. 133. ut in reliquis, note
marginales, de quibus in præcedenti Cap. egimus, plures etiam reperiuntur, &
præterea etiam loca quedam, quæ nulla alia ratione excusari possunt, ut
jam ostendam: sed prius circa horum marginales lectiones notari volo, quod
si Phariseis concedendum, eas æque antiquas esse, ac ipsos horum librorum.

Rr 2

Scripto-



Scriptores, tum necessario dicendum erit Scriptores ipsos, si forte plures fuerunt, eas ea de causa notavisse, quia ipsas Chronologias, unde eas descripserunt, non satis accurate scriptas invenerunt; & quamvis quedam menda clare essent, non tamen ausos fuisse antiquorum & majorum scripta emendare. Ubi quidem per notas marginales קרי רכתיב intelligit, de quo quid censendum, ex Buxtorffii *Tiberiad. c. XIII. p. 31.* maxime vero ex eruditissimo Matth. Hilleri de *Arcano Ketibb & Keri* commentario cognosci potest, qui originem diversitatis lectionum p. 24. ita explicat: Ezra sacra volumina iterum atq; iterum sua manu descripsit, vel ab aliis recensuit, ut ecclesia sacrorum librorum absq; mendis scriptorum copia instrueretur. Ceterum, ut in illa multiplici descriptione aut recensione vir Θεωρευς & non ubiq; iisdem verbis, licris aut apicibus institit, sed in nonnullis codicibus (sensu tamen dictorum ubique integro & inviolato) literas aut verba permutavit vel transposuit; alia addidit, abolevit, nonnulla denique ex Chaldaismo aspersit. Unde factum est, ut in distinctis Esdræ apographis lectionum magna varietas appareret. Ne igitur, quod semel inspiratione & instinctu Numinis scriptum, qualecunque id fuerit, e sacro codice periret, ipsius Ezræ ætate, vel certe proxima, viri zelo & ætate pleni, quos per me vel Masorethas, vel viros Synagoge magne dixeris, in eam curam totis viribus & stupenda diligentia incubuere, ut lectiones has discrepantes, quarum alie a prima, alie a secunda Notarii manu venere, uno quodam symbolo in textu posito comprehensas in apographis suis ad posteritatis memoriam transmitterent. Hinc ergo originem suam habere voces, quæ in Bibliis circello notata כרובין scriptæ; hinc ad marginem expositæ, quas קרי lectas nominant. Hinc lectæ, non scriptæ: scriptæ, non lectæ. Hinc literarum majuscularum & minuscularum facies: hinc suspensæ: hinc denique punctatæ prodierunt. Hinc idem porro stupenda omnino industria & mirabili prorsus ἀγχιωσία, libro II. *Arcani*, in octingentis amplius Scripturæ locis, quos vel corruptos vel inexplicabiles Critici moderni causantur, integritati suæ restitutis demonstravit, lectionis varietatem ubique in eandem divini scriptoris mentem consentire; ut corruptionem Scripturæ hinc colligentibus, Spinosæ, Capello, Rich, Simonio &c. silentium omnino indictum sit. Sed ad Spinozam revertamur, & quas ex festinatione describentium Esdræ & Nehemiæ libri mendas susceperint, dispiciamus. Nescio quot (mendas) dicam irrepsisse, pergit, in c. II. *Hezra*: nam v. 64. traditur summa totalis eorum omnium, qui distribuitur in toto capite numerantur, atque iidem dicuntur simul fuisse 42360: & tamen, si summas partiales addas, non plures invenies, quam 29818.

29818. Error igitur hic est vel in totali, vel in partialibus summis. At totalis credenda videtur recte tradi, quia sine dubio eam unusquisque memoriter retinuit, ut rem memorabilem: partiales autem non item. Adeoque si error in totalem summam laberetur, statim unicuique pateret, et facile corrigeretur. Atque hoc ex eo plane confirmatur, quod in Nehem. c. 7. ubi hoc caput Hezrae (quod epistola genealogiae vocatur) describitur, sicuti expresse v. 5. ejusdem Cap. Nehemiae dicitur, summa totalis cum hac libri Hezrae plane convenit, partiales autem non valde discrepant: quasdam enim majores, quasdam porro minores, quam in Hezra reperies, easque omnes simul conficere 31089. Quare non dubium est, quin in solas summas partiales, tam libri Hezrae quam Nehemiae, plures menda irrepsissent. Doctissimu. Huetius herbam hic porrigit adversario, frequentemque librorum errorem, quibus in referendis arithmetice notis & exprimendis nominibus labi promptissimum est, fatetur; sed praeter jus verique speciem. Nec enim largimur, quod praesupponit Pseudo-Criticus, Nehemiam indicem suum ex Esdrae cap. II. descripsisse, dum se forte incidisse memorat v. 5. Nehemias in librum genealogiae eorum, qui primum ascenderant: at Esdrae librum haud dubie cum reliquis voluminibus saceris, quibus junctus erat, quotidieolvebat, probeque cognitum habebat dudum atque perfectum. Ut taceam, ex Adversarii mente, librorum Esdrae, Nehemiae, ut & Danielis & Estheris, unum esse eundemque scriptorem. Jam qui poterit absque absurditate idem scriptor fingi invenisse librum suum, & ex eo genealogias ante pertextas, tanta tamen cum recensitionis discrepantia, descripsisse? Tam belle, scilicet coherentibus argumentis. Nec facile creditu est, tot uno in capite sphalmata commissa fuisse, maxime quod in textu Hebraico, jam inde a Masoretharum tempore, & haud dubie a prima ejus consignatione & origine, numeri non notis aut literis numeralibus, sed vocibus integris expressi deprehendantur, in quibus tam crebris in exiguo contextus tractu occurrentibus corruptelis fere locus non datur; eoque magis, cum nulla in modernis exemplaribus, tam impressis, quam Manuscriptis, circa hos numeros lectionum diversitas occurrat, ut omnes scribas toties iisdem in locis eodem modo errasse dicendum sit, quod fere impossibile. Hinc admodum probabilis eorum est conjectura, qui Nehemiae catalogum continere censent numerum eorum, qui actu in Judaeam redierunt; Ezra vero concurrentium in Babylonia ad Regis edictum, quorum pars, animadversis difficultatibus maximis, referre pedem, pars in itinere mori potuerit, accedentibus interim aliunde aliis, ita ut in patriam venientes mille,



circiter ducentos, quorum genus notum erat, amplius invenirent, quam is erat, qui in Babylonia inibatur; utrobique autem adjectis illis, quorum prosapia non erat manifesta, summa eadem 42460. exiret. Juvat hic audire b. Calovium, qui *Bibl. Illust. ad Esb. I, 1. p. 864.* Grotio idem objectanti regerit: *Variatio recensitionis inde est, quod bis facta sit recensio, semel in Babylonia, quam Esdras describit: Atq; iterum in Judea, quæ describitur a Nehemia; quodq; inter illos etiam, qui jam nomina sua dederant Catalogo transportandorum, remanserint nonnulli in Babylonia, nonnulli etiam in via obierint, unde quandoque numerus est minor apud Nehemiam, quam Esdras; ac vice versa quidam, qui initio nomina sua non dederant, ad sanio rem mentem redeunt, amore patriæ ducti, deinceps nihil secius perfectionem susceperint, ac Catalogum Nehemiæ auctiorem fecerint, quam fuit Esdræ recensio.* Quæ piis mentibus sufficere credo: cum præter sacra ista, desint historiarum monumenta alia, quæ si ad manus essent, lucem procul dubio affunderent iis, quæ in tanta historiæ canonicæ brevitate, obscura nobis vel dubia in numeris & nominibus videntur; expedita tamen & intellectu facilia fuere iis, qui scriptoribus Θεωρευοις συγγραφοις vixerunt. Confer huc quoque Joh. Meyer. in *Seder Olam Proleg. p. 203. & Comment. p. 1141.*

V.

Esdras an
XII. libro-
rum V. T.
autor?

Hunc vero librum ut Esdræ derogat Theologo-Politicus, longeque ipso recentiore statuit; sic ex adverso, ut omnia turbet, omnemque Scripturarum autoritatem ac fidem e medio tollat, æque malitiose dicam, an absurde? duodecim illorum ad Paralipomena usque historicorum librorum V. T. conscriptionem ipsi assignat, sed satis negligentem & incautam, qua quippe historias nondum examinatas & ordinatas, verum tumultuaria saltem opera collectas, posteris ordinandas reliquerit. Proluxe hoc commentum persequitur *cap. VIII.* pestilentissimi tractatus, dumque *cap. IX. p. 115.* ad ea pergere instituit, *quæ communis superstitionis vulgus deprehendere non sinis*, ut ipsius criminatio habet: *Horum præcipuum est, inquit, quod Hezras (eum pro scriptore prædictorum librorum habeo, donec aliquis alium certio rem ostendat) narrationibus in hisce libris contentis ultimam manum non imposuit, nec aliud fecit, quam historias ex diversis scriptoribus colligere, & quandoque non nisi simpliciter describere, atq; eas nondum examinatas neq; ordinatas posteris reliquit. Quæ autem causæ impederint, (nisi forte intempestiva mors) quo minus hoc opus omnibus suis numeris adimpleret, nequeo conicere.* Quas ipsius Φλυπία supra jam teti-

gizaus



gimus c. III. §. 2. p. 39. & circa libros singulos, in verum cujusque scriptorem & confectionis tempus inquirentes, profana hominis *ἀθέτη* scommata profligavimus, ut uberiore confutatione opus nunc non sit: mentem saltem Biblio-categori colligere inde licet, & in sacras literas, quarum partem haud postremam, his libris comprehensam & veritatis dubiæ, & turbati per omnia ordinis, & suspectæ omnino autoritatis postulare aggreditur, in qua sine discrimine, mala bonis permixta satis confuse, pro divinis obtrudantur; & in Esdram, peritissimum legisperitum, cui perinde fuerit, quicquid fide dignum an indignum, divinum an humanum, ad posteritatem transmitteret. Quæ nemo non videt eo spectare, ut sublata Scripturæ autoritate, quam communem superstitionem vulgi appellat, *πρωτον* istud *ἑσδρα* impietatisque suæ fundamentum, adstruat, quod pauca illa, quæ de officiis hominis cognoscenda sunt, non tam ex verbo Dei, quam ex natura debeant cognosci; quodque Scripturæ intentum non fuerit, scientias docere, sed nihil præter obedientiam ab hominibus exigere, solamque contumaciam, non autem ignorantiam damnare. Sed mittamus hominem profanum.

VI.

Præter canonicum hunc, in quo versamur, quamplurimos alios Esdræ vulgo tribuunt libros, profunda divinarum rerum sapientia ple-nos, ac universam Kabalæ doctrinam complexos. De quibus dum ex instituto agunt Sixtus Senens. *Biblioth. S. lib. II. voc. Esdras* p. 77. & Hottingerus *Thesauri Philol. lib. I. cap. 3. Sect. 5. p. 438.* provocat uterque ad Joh. Picum Mirandulæ Comitem, qui *Apologie sue quest. V. p. 82.* universam eorum historiam verbis quidem satis prolixis tradit, quæ tamen huc adscribere non alienum censemus: *Postquam Hebraei, inquit, a Babyloni-
ca captivitate restituti per Cyrum, sub Zorobabel instaurato templo ad repa-
randam legem animum appulerunt, Esdras tunc ecclesiæ præfectus, post emen-
datum Moyses librum, cum plane agnosceret, per exilia, cades, fugas, capti-
vitatem gentis Israeliticæ, institutum a majoribus morem tradenda per manus
doctrina servari non posse futurum, ut sibi divinitus indulta doctrina celestis
arcana perirent, quorum, commentariis non intercedentibus, durare diu me-
moriam non poterat, constituit, ut convocatis, qui tunc supererant, sapientibus,
afferret unusquisq; in medium, quæ de mysteriis legis memoriter tenebat, ad-
hibitisq; notariis, in septuaginta volumina, tot enim fere in Synedrio sapien-
tes, redigerentur. Quæ de re qui mihi non credunt, audiant Esdram ipsum
sic loquentem: exactis (4. Esd. XIV, 46.) 40. diebus, locutus est Altissi-
mus,*

An libro-
rum Kaba-
listicorum
autor?



mus, dicens: priora quæ scripsisti, in palam pone, legant digni & indigni: novissimos autem septuaginta libros conservabis, ut tradas eos sapientibus de populo tuo: in his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen: atque ita feci. *Hæc Esdras ad verbum. Hæ sunt libri scientiæ Cabalæ, in quibus merito Esdras venam intellectus, id est, ineffabilem de supersubstantiali Deitate Theologiam, sapientiæ fontem, id est, de intelligibilibus, Angelicisq; formis, exactam Metaphysicam, & scientiæ flumen, id est, de rebus naturalibus firmissimam Philosophiam esse, clara inprimis voce pronunciavit. Hi libri, Sixtus IV. Pontifex Max. qui hunc, sub quo vivimus feliciter, Innocentium VIII. proxime antecessit, maxima cura studiorq; curavit, ut in publicam fidei nostræ utilitatem Latinis literis mandarentur, jamq; cum ille decessit, tres ex illis pervenerant ad Latinos: hi libri apud Hebræos, hac tempestate, tanta religione coluntur, ut neminem liceat, nisi annos XL. natum, illos attingere. Hos ego libros non mediocri impensa mihi cum comparassem, summa diligentia indefessis laboribus cum perlegissem, vidi in illis (testis est Deus) religionem non tam Mosaicam, quam Christianam; ibi Trinitatis mysterium, ibi verbi incarnatio, ibi Messia divinitas, ibi de peccato originali, de illius per Christum expiatione, de celesti Hierusalem, de casu Demonum, de ordinibus Angelorum, de purgatoriis, de inferorum pœnis, eadem legi, quæ apud Paulum & Dionysium, apud Hieronymum & Augustinum quotidie legimus. Hos autem libros peritissimi quique Hebræicæ literaturæ Christiani, præter unum Picum ignorant, falsoque libri Apocryphi fundamento superstructos, jure merito in dubium vocamus. Eodem autem testimonio 4. Esdr. XIV, 21. sqq. inductus Sixtus Senensis fabulam hanc ita interpolat, ut reversum de captivitate Babylonicâ Esdras libros dictasse ferat CCIV. quos ab ore ejus quinque velocissimi scribæ, per continuos 40. dies excipientes, in tabellis buxeis descripserint: ex his vero Esdras CXXVI. passim evulgasse, reliquos vero, secretiore sapientia elaboratos solis sapientibus, ac doctoribus legis peritis, majori cura & solertiori studio occulte legendos reservasse; quos ipsos esse perhibet Pico visos ac memoratos. Verum Sixti fidem hic admodum vacillare, castigans ipsum agnoscit Rich. Simon, ejusdem licet & religionis & Ordinis Socius *Hist. Crit. V. T. Lib. III. Cap. XVII. p. 458.* ibidemque Pico imposuisse fatetur Judæos, a quibus in errorem inductus ipse quamplurimis aliis se ducem erroris ac autorem præbuerit. Interim Picum Mirandulam primum fuisse, qui Cabalæ & Cabalistarum mentionem apud Latinos explicatam fecerit, cum ante ipsum nomen eorum.*

Roma-

Romanæ linguæ incognitum esset, & ipse asserit c. l. & Joann. Reuchlinus testatur de *Arte Cabalistica lib. I.* edit. in fol. Francofurt. A. 1672. qua Galatino de A. C. V. subjungitur, p. 636. E. ubi simul Cabalistarum integram ab Esdra seriem invenies, quod obiter notamus. Conf. de his Esdræ libris Jo. Selden. de *Synedriis Vet. Hebr. L. II. c. 16. §. 7. p. 413. sqq. edit. Amstelod.* Ejusdem porro commatis cum superioribus est *Esdræ somnium & vaticinium de fati Monarchiæ Romanæ*, de quo Sixtus Sen. c. l. p. 78. *Est liber ab hæreticis nostrorum temporum confictus, quem Sacro Sanctæ Romanæ Inquisitionis Senatus, nominatim inter damnatas Scripturas haberi voluit.* Hinc etiam in *Indice librorum prohibitorum* Innocentii XI. jussu Romæ A. 1682. edito p. 92. 261. & 283. eundem videmus proscriptum. Ad spurios quoque & Esdræ nomen in fronte mentientes refertur merito libros, Codex MSCtus Vindobonensi Bibliothecæ ab Augerio Busbecquo ex Oriente illatus, cujus ap. Lambecium in *Bibl. Cas. Vindob. L. VI. p. 118.* inscriptio ita habet: Ἐσδρά τῶ περὶ τῶν ἐπιβλασίων ἡμερῶν τῶν δωδεκ μηνῶν, *Esdræ Prophetæ recensio dierum infaustorum per singulos 12. menses.* Potiorem apud multos fidem invenerunt III. & IV. liber Esdræ, ad calcem Latinorum ac Germanicorum Scripturæ codicum obvii, de quibus multi multa tradiderunt, quæ quem juvant, adire poterit e Pontificiis Sixtum Senens. *lib. I. Bibl. S. p. 34.* & Jac. Bonfretium *Præloqu. in Script. S. cap. V. Sect. 2. p. 12.* e nostratibus b. Gerhardum *Exeg. Loc. I. de Script. S. §. 174. p. 175.* b. Waltherum *Offic. Bibl. §. 1381. sqq. p. 1197.* & recentissime D. Joh. Albert. Fabricium *Biblioth. Græc. Lib. III. cap. XXIX. p. 746. sqq.* Paucis nos hic observamus, non hodie aut nudius tertius demum compositos fuisse, cum jam ab antiquissimis ecclesiæ Patribus, Athanasio, Clemente Alex. Origene, Cypriano, Augustino, Tertulliano, Isidoro & aliis, nonnunquam etiam sub Esdræ nomine citentur. Et magnifice omnino de libro IV. divum Ambrosium sensisse, ex c. XI. libri ejus de *bono mortis, T. IV. Opp. p. 241.* intelligitur, ubi Paulum Apostolum in his, quæ 1. Cor. XV. de diversis claritatis ac gloriæ electorum resurgentium gradibus disseruit, Esdræ in hoc libro sententiam secutum fuisse contendit. Cum autem nec lingua Prophetica aut Esdræ familiari, Hebræa vel Chaldæa sit exaratus uterque; & vana contineant somnia, quale l. IV. cap. VI, 49. sqq. illud de creatione duorum maximæ molis animalium, Henochi & Leviathanis; & ceteris libris Biblicis, v. g. circa historiam ædificationis templi & Urbis Sanctæ, contradicant; & testimonio primitivæ ecclesiæ tam Israeliticæ, quam

Esdræ.

An somnium
de Monarchia Rom.An Codicis
MSCu Vindob.An III. &
IV. sub Esdræ nomine
in S. Codice
obviorum?

Ss

Chri-



Christianæ destituantur, (quæ enim ex Canone Concilii Carthaginensis III. vel VI. aut VII. pro his libris nonnulli adferunt, solide profligavit. Andr. Rivetus *Isagog. ad Scriptur. S. Cap. VII. §. 27. sqq. T. II. Opp. p. 883. sqq.*) merito eos ecclesiæ nostræ Doctores suppositos censent, & in Apocryphorum ordinem redigunt. Quid, quod nec ipsis Pontificiis, qui Apocryphorum alias patrocinium in se susceperunt, sese probare potuerint? unde in Tridentino *Sessionis IV. catalogo* Canonicarum scripturarum eos omisso, a Sixto vero & Bonfrerio impugnatos omnino videas & rejectos; nec immerito Bellarminus *lib. I. de verbo Dei cap. 20. Genebrardum* eo nomine reprehendit, quod is *lib. II. Chronolog. A. M. 3638. quartum* Esdræ in posteriorum Hebræorum canonem, a se confictum, collocat. Unde apparet, qua fronte & quo jure Apostata Pistorius in *Motivis Marchion. Badensis mot. I. p. 34.* in b. Lutherum invehatur, quod nulla apud ipsum librorum horum autoritas fuerit, quod e Bibliis eos evulserit, nec sua dignatus sit versione. Et Lutheri quidem sententia in *præfat. German super Baruch* clara satis est, & ita habet: *Dieselbigen zwey Bücher Esra haben wir schlechts nicht wollen verdeutschen/ weil so gar nichts drinnen ist/ daß man nicht besser in Esopo, oder noch geringern Büchern kan finden. Ohne daß im 4. Buch zwar eitel Träume sind/ wie Hieronymus selbst sagt/ und Lyra nicht hat wollen auslegen/ dazu im Griechischen nicht funden werden* (Lutheri certe ætate; hodie enim in Polyglottis Parisiensibus ac Londinensibus Græce, Syriace ac Latine leguntur.) *Es soll und mag sie sonst verdolmetschen werden/ doch in dieser Bücher Zahl nicht mengen.* Diu vero post, cum fanatici nonnulli ideo Germanis horum lectionem invidere Theologos criminarentur, quod liber IV. nescio quæ mysteria contineret, b. D. Dan. Cramerus hanc operam in se suscepit, eorumque Germanicam ex Latino versionem adornavit; in cuius præfatione, de autoritate ad probanda dogmata prorsus inidonea, monuit lectorem. Cum vero IV. cum primis librum Anabaptistæ, Weigeliani, Schwenckfeldiani, Rosæ crucis fratres & hujus furfuris fanatici alii, pro Prophetico, & ad confirmanda fidei principia idoneo habeant monumento, *verdesen* ejus, fabulas ac errores de industria excussit b. Joh. Müllerus *Anabaptismi cap. III. p. 30. sqq.* Præterea observarunt Theologi nostrates, multa librum IV. continere perquam affinia iis, quæ in Johannis Apocalypsi leguntur, & illinc mutuo transumpta videri possunt; ut quando *c. II. 42. 43. 46.* cum Apoc. VII, 9: *c. VI, 17.* cum Apoc. I, 16: *c. X, 27.* cum Apoc. XXI, 10: *c. XX,*

c. XI, 37. cum Ap. V, 5: c. XV, 8. 9. cum Apoc. VI, 10: c. XV, 15. cum Esdræ. Ap. XVIII, 5: c. XV, 44. cum Ap. XVII, 18. &c. conferantur. Unde cogitare proclive est, autorem libri phraseologiam Johannis Apocalypticam studiose imitatum, Johanne omnino posteriorem fuisse, hominem secundi forte a nato Christo seculi, quod alias admodum ferax suppositiorum foetuum juxta, ac perversarum erat opinionum. Quod AnAnathe-
demum ad *Anathema contra Samaritanos* attinet, ab Esdra promulgatum, matis con-
ejus historiam, vel potius fabulam videre licet in *Jalkut in Reges num 234.* tra Samari-
& ap. Scipion. Sgambatum *lib. II. Archivor. Vet. Test. Tit. LXII. p. 404.* tanos.
Ringentibus quippe Samaritanis, extruendi templi ac redeundi Judæis
potestatem factam fuisse, Esdram ferunt Pontificis permissu, coacto po-
pulo, æternum in eos anathema pronunciasse, ut qui bucellam suam cum
Samaritano comederet, perinde esset, ac si suillam gustasset; utque ne-
mo audeat Samaritano communicare, nec pars illis esset in resurrectione
mortuorum, nec hæreditas nec memoria in Israel. Id quod tamen ve-
reor, ut ad scripta ejus ὑποδομιμα referendum sit, cum scriptum hodie
amplius non extet. Quæ de Esdræ *decem constitutionibus* fabulantur.
Judæi, videri possunt ap. D. Fabricium *Cod. Pseudepig. V. T. n. 229. p.*
1145. sqq.

VII.

Jam ut, rejectis spuris, ad genuinum & canonicum Esdræ librum Argumen-
revertamur, pertexit ille historiam liberationis e captivitate populi Israe- tum libri
litici, in cujus mentione posterior substituitur liber Chronicorum. Ge-
nainam nempe populi ex captivitate Babylonica in patriam reductionem
memorat, quarum prior sub Cyro Persarum Monarcha, per Zorobabe-
lem aliosque principes, & Josuam Pontificem peracta, templum exustum
post superatas difficultates gravissimas, multosque jam in patria exactos
annos, sub imperio demum Darii, divino huic instituto mire faventis,
feliciter tandem restauravit, Deique cultum secundum legis divinæ præ-
scriptum renovavit; posterior, rebus iterum in deterius labentibus, sub
Artaxerxe Rege, magnam Judæorum copiam Esdra duce patrio solo re-
stituit, invalescentia populi & Procerum inprimis peccata correxit, inau-
spicata cum alienigenis connubia diremit, & in sacra pariter atque civili
republica ordinem legesque introduxit. Quæ omnia eum in finem Scopus:
Canon inserta credimus, ut constet, quo pacto & ecclesia, in qua nascen-
dus erat Messias, in integrum ex ruinis suis restituta, & impermixta fami-
liarum ac tribuum series ac distinctio, ad exacte dignoscendum Messiam,



De libro
Esdre,

Utilitas.

ex Davidis prosapia oriundum, servata fuerit mediis in captivitatis afflictionibus ac turbis: tum etiam, ut vaticinia de reducendo e Babylonia populo, & restaurando templo, a Mose & Prophetis toties inculcata & repetita, eventu ipso comprobata hoc libro demonstrentur. Ipsa satis hoc comprobatur temporum ratio. Cum enim hic liber in termino 70. annorum captivitatis incipiat, & in initio 70. hebdomadam Danielis designat, scopus ejus, in demonstranda oraculorum Prophetarum veritate, obscurus esse non potest. Usus porro libri b. Brentius in præmissa commentario suo præfatiuncula T. II. Opp. p. 1097. ostensurus: *Præcipue, inquit, in hoc libro cognoscitur, quantis insidiis, quanto astu Satan impedire conetur opus Dei, edificationem templi & urbis Hierusalem. In quo exemplum exhibitum est, quantis dolis machinetur adversus Evangelii prædicationem. Nam Evangelio edificatur ecclesia, quæ est verum Dei templum, & urbs sancta Jerusalem, Ap. 21. Deinde, quantis dolis unumquodvis privatum opus divinum impugnet Satan, in hoc libro docemur. Exhibuit enim specimen in Judæis, ut cognoscamus cogitationes ejus adversus quodvis opus, quod edificium Dei appellare possumus. Quibus bene se habentibus adhuc addo, usum hujus libri lectionem præstare* 1) Didacticum, in historiæ sacræ continuatione, quæ absque hoc complemento manca futura fuerat & hiulca, ad intelligendam autem Dei in ecclesiæ suæ œconomiam perutilis & necessaria est; in confirmando quoque dogmate non uno, v. g. de veritate promissionum divinarum, quæ rebus licet deploratis intemerata perstat Hab. II, 3. 4. de gentibus in V. T. a salute & ecclesia non penitus seclusis, quod ex gentilibus, in quibus dispersi & captivi degebant Judæi, cum fidelibus consuetudine, ex Codicis sacri ad ethnicos delatione, Regumque Persiæ, Cyri, Darii, Artaxerxis, ad agnoscendum Deum Israelis conversione, hujus libri beneficio intelligitur, &c. in agnoscenda porro Dei providentia & cura, qua ecclesiæ suam cum primis fovet, mediisque ex ærumnis potenter eripit, & si quam ejus reformationem instituere aggreditur, tum Reges ac Principes ad juvandam tuendamque rem sacram excitat, tum verbi Ministros aliosque, quorum opera præ ceteris in reformatione se usurum decrevit, heroico Spiritu & donis supra vulgarem modum instruit, ut conjunctis viribus atque consiliis in ecclesiæ commoda graviter incumbant: 2) epanorthoticum, in peccatorum publice grassantium tum deploratione solenni, tum seria eliminatione: 3) consolatorium, ut ecclesia Dei ab hostibus pressa hac historia reficiatur, firmiterque speret, quod Deus modum



modum finemque calamitatibus positurus, fugas & exilia suorum tandem finiturus, ac promissis suis fidem præstiturus sit. Allegoricum ac mysticum usum insinuat Hieronymus, cum *Epist. ad Paulin. T. IV. Opp. f. 3. b.* de Esdra ac Nehemia in hanc sententiam pronunciat: *omnis illa turba populi redeuntis in patriam, & descriptio Sacerdotum, Levitarum, Israelis, Profelytorum ac per singulas familias murorum ac turrium opera divisa, aliud in cortice præferunt, aliud retinent in medulla.* Qui specialiores ex singulis capitibus redundant usus, studiose elicit Franc. Burmanus suo in h. l. commentario.

VIII.

Hunc porro librum, sufficientissimis canonicæ autoritatis *apropos* Autoritas instructum, non dubitavit ecclesia, e ruinis & exilio restituta, Judaica divina asse- pari cum ceteris divinis religione prosequi, eademque cum illis vene- ratione ad Novi Testamenti ecclesiam transmittere; unde in vetustissi- mis canonicæ Scripturæ recensitionibus & catalogis, Judaicis pariter ac Christianis, Esdram suo loco videas insertam. Nec dubium; cum nexu tam arcto cum prophetis Haggæi & Zachariæ monumentis cohæ- reat, iisque ex asse respondeat historia nostra, ut absque illa esset, obscu- ra perquam & dubia futura prophetarum oracula fuerint. Nam & temporum seriem faciendam rerum sistit, qua sua illi vaticinia ediderunt; & personas, Zorobabelem v. g. Josuam Pontificem aliosque, quorum mentionem faciunt propheta, paulo curatius delineat; & rebus ipsis, quas illi innuunt, lucem affundit. Quem enim templi reparandi ne- glectum acriter in populo taxat Haggæus c. I. resumtamque ejus structu- ram memorat v. 12. sqq. plenius intelligitur ex Esdræ V. capite: & Za- chariæ c. III. & IV. mirifice ex hoc nostro libro illustrantur. Graviter b. Ægid. Hunnius *Exam. controversiæ primæ generalis Rob. Bellarm. L. I. c. 4. T. II. p. 54. A.* Librum Esræ, inquit, per se quidem Canonicam, am- plius confirmat Zachariæ Propheta liber, exacte cum historia hujus libelli con- gruens. Unde & hæreticorum nunc nemo succurrit, præter supra me- moratum Spinozam, qui hunc e Canone expunctum cupiat librum. Quod enim Huetius *c. l. §. 4. p. 358.* de hoc & Nehemia disserens pronun- ciat: *quampvis horum librorum certa sit fides, eos tamen Anabaptistæ penitus repudiant:* in eo vereor, ne magnus vir memoria lapsus humani quid fuerit passus, vel Sanctium cæcum secutus sit ductorem, qui *Prolegom. in lib. I. Esdr. n. VI. p. 33. D.* paria insinuat: *duo priores, inquit, libri, quibus Esdra præfixum est nomen, quicquid sit de Anabaptistarum sensu, Ca-*

& in dubi-
um ab A-
nabaptistis
vocari ne-
gatur.



nonici sunt. Utriusque vestigiis temere insistit Natalis Alexander T. II. *Hist. Eccl. V. T. ad 6. mundi ætatem Dissert. VII. Art. 3. p. 371.* ubi: *soli Anabaptistæ, inquit, penitus eos repudiant.* Quanquam autem universi Veteris præ Novo Testamenti auctoritatem & usum admodum extenuent, quorum argumenta confutata videas ap. b. Wigandum *de Anabaptismo p. 21. sqq.* hos tamen sigillatim libros in confessionibus eorum publicis nullibi rejectos video, quin potius in recentissimis ipsorum Catechesibus illi absque controversia inter Canonicos censentur. Et cum in Belgio agentes Anabaptistæ in duas hodie abeant velut familias, quæ a primariis doctoribus suis altera Apostolica, altera Galenica, vulgo audiunt, de quo ipsorum schismate vid. Benthem. *Holländ. Kirch- und Schul-Staat P. I. cap. XIX §. 10. sqq.* utriusque Catechesis, publica cum approbatione & censura conscripta ac edita, contrarium testatur. Apostolica illa, cujus titulus ita habet: *Kort onderwys des Christelijke Geloofs voor de jeugd geschikt na de Belydenissen der Doopsgefinden, en uitgegeven volgens last van Zekere Kerkvergadering, gehouden binnen Amsterdam den 12. Juny 1697.* eundem plane librorum Canonicorum, quem & nos tuemur, catalogum, & in hoc Esram & Nehemiam suo loco insertum tradit *cap. II. de Script. S. quest. 2. p. 5.* nec secus Galenica, cujus inscriptio est: *Korte Grondstellingen van de Doopsgefinde Gelove en Leere, door Galenus Abrahamsz, met kennis en toestemming van andere syner Mede-Leeraaren te Amsterdam A. 1699.* quam videas *§. 2. p. 2.* Sed nec ab iis, qui vel dogmata eorum summatim recensuerunt, v. g. Hoornbeekio in *summa Controversiar. religionis lib. V.* & Spanhemio in *elencho selectiorum de religione controversiar.* aut Joh. Henr. Ottio quoque in *annalibus Anabaptisticis*; vel, qui data opera eorum excusserunt errores, b. Wigando l. c. aut b. Joh. Müllero in *Anabaptismo*, hunc in ipsis notatum unquam reperio errorem. Ut nesciam omnino, quos Anabaptistas indigitet cum Sanctio Huetius, quibus jure merito hanc sententiam impingat. Quæ paulo prolixius demonstrare lubuit, ne cui Huetii nomen & autoritas imponat, quod accidisse videtur Autori *der Lebensbeschreibung der Biblischen Scribenten* qui *P. IV. p. 115.* eadem Huetii verba exscribit & laudat.

IX.

Chronologia

Temporis istud complectitur liber intervallum, quod a facta Judæis per Cyrum in patriam revertendi facultate, usque ad Esdræ fluxit in Judæam adventum, qui Artachastæ in annum 7. cadit. Sed ante omnia constare prius debet, quinam ille Darius fuerit, quo favente templi

pli



pli structura, sufflamina hactenus & impedita per multos annos, tandem feliciter ad umbilicum perducta fuit Esdr. IV, 24. VI, 15. qui rursus Artachasta, quo rerum potiente, Esdras & Nehemias, in patriam reduces facti, cultum & politiam restaurarunt? Plures enim in Persarum imperio eodem nomine inclutos gubernacula tenuisse, sacra pariter ac prophana historia testatur, haud aliter facile quam cognominibus discernendos, quæ tamen in Scriptura videas omissa. Et Scaliger quidem, cum sequacium haud levi aut exigua turba, Darium illum rei sacræ apud Judæos fautorem, secundum fuisse existimat, quem *Nothum* in historia appellant, eo cum primis argumento nixus, quod medius ille inter duos Artachastas (Esdr. IV, 24. coll. cum v. 5. ejusd. cap. & c. VI, 14. VII, 1. sq.) ponitur, quorum alterum Artaxerxem Longimannum facit, qui templi fabricam impedit, alterum Artaxerxem Memorem, qui cultus divini restorationem provexerit. Sed hoc ipsum est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, cum alios longe Artachasta ipse contextus evincat. Esdras enim distincte & ordine Regum sibi invicem succedentium imperia recensens, post *Cyrum* c. IV, 5. Ahasverum nominat v. 6. quem prophana historia *Cambyse* dicit; hinc Artachastam v. 7. qui *Smerdes Magnus* fuerit necesse est: tum *Darium*, quem *Hystaspida* vocant v. 24. ac postmodum, interveniente *Xerxe*, (quem hic licet omissum, Daniel tamen commemorat, cum post Darium Medum tres adhuc fore in Persia Monarchas prædixit, & quartum ditatum nimis super omnes c. XI, 2. quem *Xerxem* omnium ditissimum, *Smerde* suppositio in censum non relato, ordo & numerus docent fuisse) Artachastam Esdr. VI, 14. VII, 1. 8. qui *Artaxerxes* est ὁ πρῶτος. *Smerden* vero Artachastæ sibi nomen sumxisse nemini adeo mirum videri poterit, qui recogitet, Reges Persarum, ubi ad imperium adspirarunt, viliora sua cum magnificis & fastuosis permutare nomina consuevisse. Ipse ergo ordo ac series Regum Persicorum, quos Esdras introducit, liquido evincit, Darium illum, sub quo templi structura ex voto successit, quartum a *Cyro*, adeoque *Hystaspida* fuisse, *Xerxis* & *Artaxerxis* Longimani antecessorem. Sic universa temporum ratio optime sibi constat. Congruit nimirum calculus Zachariæ Prophetæ c. I, 12. ubi anno secundo Darii septuagesimum fluxisse annum ab excidio urbis testatur, quod exacte in Darii Hystaspidis, nullo vero modo in Darii Nothi imperium quadrat, ad quem ab excidio anni 164. nuquantur: nec Judæos reduces per annos 112. & amplius, templo & sacris caruisse, & spe miserrime languisse, contra luculentas apud *Jesaiam*, *Jeremiam*

Darii, sub
quo tem-
plum ex-
structum:

miam



De libro
Esdræ.

miam & Ezechielem promissiones propheticas dicendum est; quod tamen effigere absurdum neutiquam possunt, qui templi reparationem ad Darium Nothum demum referunt. Adde, quod cum primis D. Cluverus urget, fuisse aliquos secundo anno Darii illius, qui templi structuram promovit, superstites, qui domum Domini in gloria sua priori viderint. Si fuerunt isti anno secundo Darii Nothi, vixerant jam tum ad centum nonaginta sex annos. Fuerint tantum decem annorum, quum abriperentur in servitum, vixerint in servitute annos 70. usque ad annum secundum Darii Hystaspis: addantur 35. anni Darii Hystaspis, 20. Xerxis, 40. Artaxerxis Longimani, & unus Darii Nothi, & habebis eorum ætatis 196. annos: quod quam absurdum sit statuere, ad oculum patet. Hinc pro Hystaspide maxima pars Patrum pariter ac gravissimorum Chronologorum ac Theologorum pronunciat, quorum suffragia magno numero collegit & rem omnem ad pulvisculum discussit magnus noster Calovius in *Ætæ & Theologica, de LXX. septimanis Danielis*, quæ inserta legitur Bibliis Illustratis T. II. p. 632. sqq. cujus vid. cap. XII. §. 141. p. 668. Qui vero Scaligeri contra nostram sententiam argumenta cognoscere volet, conferat b. Strauchii *Breviar. Chronol. lib. IV. c. 29. qu. 9. p. 861 sqq.* Ex quo porro consequens est, Artachastam illum, cujus beneficio ac favore Esdras, anno ejus septimo Esdr. VII, 8. & Nehemias, anno ejus vigesimo Neh. II, 1. in patriam reversi leguntur, Artaxerxem esse Longimanum, proximum scilicet ab eo Dario, qui templum extruendum promovit; non Xerxem, quod vult cum paucis Josephus, quod is triginta duos in imperio annos non exegit, qui huic tamen tribuntur Neh. V, 14; nec Artaxerxem τὸν Μνημονα, quod Sulpicii Severi autoritate asserit Scaliger & qui ejus vestigia premunt, ex falsa illa, quam modo refutavimus, de Dario Notho ὑποθήσει, quæ ubi subruta est, hæc ipsa quoque corrumpit assertio. Ad istud vero dubium, quod sententiæ nostræ, ex ætate Esdræ & Nehemiæ nimium quantum producenda, opponunt adversarii, supra jam respondimus §. 4. nec est, ut modo dicta hic repetamus. Superest ut in tabulam redigamus, & cum annis O. C. conferamus, quæ per hæc tempora gesta sunt, inde pergentes, ubi supra c. XIV. §. 5. p. 265. substitimus:

libri Esdræ
totius.A. Q. C. An. Ca-
ptivit.

3465

68

Babylon obsessa a Cyro, fuis prius prælio Chaldaïs, & in Urbem se recipientibus. Jer. LI, 27. sqq. coll. cum Herodot. lib. I. cap. 190.

Belsa-



A.O.C.	A. Ca- ptivit.	
3466	—	Belsazer Rex Chaldaeorum in splendidissimis epulis, vasis do- mus Dei in contumeliam Jehovæ abusus, manum DEI in pariete conspicit, eademque nocte a militibus inter- fectus occubuit Dan. V, 30. Atque ita <i>Babylonicum</i> <i>imperium est destructum, & ad victores Medos & Per-</i> <i>sas translatum</i> , ut prædictum fuerat a Jes. XIII. XIV. XXI. XLIII. XLVI. XLVII. Habac. II. Jer. XXV. L. LI.
—	69	Darius Medus, Astyagis filius Chaldaeorum imperium a victore Cyro, genero suo, sibi traditum accepit Dan. V, 31. IX, 1. Imperavit duobus annis.
3468	70	Cyrus, Cambyse patre in Persia & Cyaxare socero (qui Da- niel Darius Medus est) in Media vita functis, Orien- tis Monarchia potitur: quem primum illius annum, ex ipsis Medorum & Persarum archivis sacra dicit Scriptura.
—	—	Cyrus promulgato edicto illo celebri, quo revertendi in patriam Judæis potestatem fecit, <i>Babyloniam captivi-</i> <i>tatem solvit</i> , exactis jam LXX. annis servitutis, a Jere- mia prædictis. 2. Chron. XXXVI, 22 sq. Esdr. I, 1. sqq. V, 13. VI, 2—5.
—	—	<i>Epocha mundi quinta, exactis 476. annis, finit.</i>
—	—	<i>ÆTAS MVNDI SEXTA.</i>
3469	1	mensis septimi die I. festo tubarum Israelitæ ex civitatibus suis Hierosolymam unanimiter venientes, extructo altari sacrificia ordinaria Deo offerunt: die 15. au- tem mens. ej. festum Tabernaculorum celebrant, materiam quoque & opifices ad templum extruen- dum parant Esdr. III, 1—7.
—	2	anno ab adventu eorum secundo, mense secundo, templi se- cundi fundamenta, cum seniorum, qui prius illud (ante annos 53.) viderant planctu, & juniorum læti- tia, posuerunt Esd. III, 8—13.
3474	7	Cyrus septuagenarius obit, postquam Persici & Medici ex- ercitus Imperator declaratus est annis 30. post captam Baby-

T t

Baby-



A.O.C.A. Im-
perii
Persici.

- Babylonem 9, post initam Monarchiam 7. cum men-
se uno aut altero.
- 3475 8 *Cambyfes* filiorum Cyri natu maximus, quem Ahasverum
Scriptura appellat, Patri in Monarchia Persica suc-
cedit.
- Anno ejus primo Samaritani, qui vivente Cyro cuniculis
hactenus egerant, accusatione scripta contra habita-
tores Judæ & Hierosolymorum delata, cœptam tem-
pli structuram impediunt Esd. IV, 6.
- 3482 14 *Cambyfes* ex vulnere in fœmore accepto interiit, cum re-
gnasset septem omnino annos & menses quinque.
- 3483 — *Smerdis* Magus, rerum potitus Artachsaltæ nomen sibi su-
mit, qui Samaritanorum literis motus, Hierosoly-
mam ædificari rescripto vetat, unde non ab urbis mo-
do, sed etiam a templi ædificatione cessarunt Judæi
Esd. IV, 7—24. Imperium septem saltem mensibus
tenuit.
- 3484 15 *Darius Hyßaspes* præficitur, equo ejus hinnitum primo
edente.
- 3485 17 anno secundo Darii, mense sexto, die 1. Haggæus negligen-
tiam Judæorum in extruendo templo reprehendit:
unde excitati Zorobabel & Josua cum populo inter-
missum opus repetunt die 24. Hagg. I, 15. Mense 7.
die 21. a Deo confirmantur in opere Hagg. II, 19. Men-
sis 9. die 24. tempore inter sementem & messem qua-
si medio, a Zorobabele & Josua templum super jactis
pridem fundamentis extrui cœptum est Esdr. V, 1. sqq.
Hagg. II, 10. sqq.
- 3489 20 anno Darii sexto desinente, mensis XII. Adar, die tertio
structura templi finita est. Cujus dedicationem Israe-
litæ reduces cum gaudio & amplissima sacrificiorum
oblatione celebrarunt: sacerdotibus & Levitis in-
ministerio Templi secundum ordines suos constitutis
Esd. VI, 15. sqq.
- die 14. mensis primi Pascha primum in secundo templo ce-
lebra-

A.O.C.A. Mo-
narch.
Persicæ

- lebrarunt: festum deinde Azymorum septem diebus cum lætitia peragentes Esdr. VI, 19. sqq.
- 3519 51 Darius, quum conaretur rebus apparatis in expeditionem adversus Ægyptios & Athenienses suscipiendam exire, & ex instituto Persarum prius regni successorem declarasset Xerxem, ex Atossa filia Cyri filium suum, supremum obiit diem, 36. annis regni expletis. Herodot. lib. VII, c. 2. 3. 4.
- — Xerxes, post Cyrum quartus rex Persidis (si Smerden non connumeretur) ditissimusque omnium Dan. XI, 2. defuncto Patri succedit.
- 3539 71 Xerxes anno imperii 21. decedit.
- — Artaxerxes Μαννός, rex rerum potitur, Xerxi succedens.
- 3546 78 anno Artaxerxis septimo mensis 1. die 1. Esdras, regio diplomate instructus, cum magna Judæorum copia e Babylonia in patriam tendens profectus est, Esdr. VII, 6. sqq. VIII, 1. sqq.
- 3547 79 Esdras de affinitate Israelitarum cum exteris certior factus jejunat, luget, & Dei iram publice deprecatur c. IX. Tum populus voto se obstringit Deo, ad alienigenas uxores una cum ipsarum liberis dimittendas c. X, 1. sqq. Post convocatis Hierosolymam omnibus reducibus, convenientibusque in templi atrio mensis 9. die 20. ex sacerdotum ordine duo cognitioni rei præferti sunt, Levitis, qui eos adjuvarent, duobus etiam adjunctis c. X, 7—15. ubi quæstio hujus rei a mensis decimi die 1. usque ad diem 1. mensis primi est habita, atque ita trimestri spacio totum circa uxores alienigenas ejiciendas negotium est absolutum c. X, 16. 17.
- Finis libri Esdræ.
- 3559 91 anno Artaxerxis 20. mense nono Nehemias jejunat & orat. libri Nehem. I. mense Nisan ædificandæ Hierosolymæ potestatem, una cum præfectura Judææ, a Rege obtinet c. II, 1—6. literisque & comitatu a Rege instructus, Hiero-

T t 2

Hiero-



De libro
Esdræ.A, O, C A. Mo-
narch.
Persicæ

- Hierosolymam pervenit, opus aggreditur, & strenue urget c. II. III.
- 3560 92 in festo Tubarum, mensis 7. die 1. universo populo Hierosolymis congregato, lex Dei ab Esdra legitur & exponitur Neh. VIII, 1. seq.
- die 15. sqq. hujus mensis festum Tabernaculorum summo studio & religione celebratur: die 24. Israelitæ reductes separantes se ab omnibus alienigenis c. IX. foederumque cum Deo renovato, ad legis & cultus ipsius observationem se obstringunt c. X. Tum principes populi confederunt Hierosolymis, plebs vero reliqua, sortes coniecit, ut decima pars urbem sanctam incoheret &c. Neh. XI.
- 3571 103 Nehemias, cum duodecim annis Judææ præfuisset, ab anno 20. usque ad 32. Artaxerxis, rediit ad Regem Persiæ Neh. V, 14. XIII, 6.
- Nehemias varias corruptelas, quæ per absentiam ejus irrepserant, emendaturus cum nova potestate Hierosolymam revertitur, gravissimosque abusus severe corrigit c. XIII, 7. sqq.
- Finis libri Nehemiæ.*

X.

Partitio.

Capita libri exhibet X. versus 280. & in tres vulgo partes dispescitur, modo tamen haud omnibus eodem. Hottingerus quidem *Lib. II. Thesaur. Phil. cap. I. Sect. III. p. 507.* partem *primam* narrare contendit ipsam liberationem populi ex captivitate Babylonica capp. IV. *secundam* templi ex rudibus restorationem a c. V—IX. *tertiam* mulierum alienigenarum separationem, autoritate divina factam c. IX. & X. Eidem partitioni Franc. Burmannus inhæret *Comm. in h. l. p. 299.* Nostrates vero, b. Calovius *Bibl. Illustr. h. l. T. I. p. 862.* & b. Waltherus *Offic. §. 868.* Parte I statuunt, libertatem Israelitis a Cyro Monarcha concessam & usurpatam describi capp. I. II. III. P. II, impedimenta cœptæ templi structuræ injecta c. IV. P. III, successum operis, impedimentis superatis c. V—X.



V—X. Nobis vero διχοτομία placet, quam ipsa libri series suppeditat & argumentum. Populi enim e captivitate liberationem & in patriam reditum exponit, qui geminus fuit, diverso quidem tempore factus. Sic ergo *P. I.* tradit ascensum Judæorum e Babylonia *priorem*, duce Zorobabele & Josua, ad templum instaurandum c. I—VI. *P. II.* ascensum eorum *posteriores*, duce Esdra ad ecclesiam reformandam susceptum c. VII—fin. Quæ eadem divisio Heideggero quoque in *Enchir. b. l. §. 4. p. 120.* se probavit.

XI.

Tabula Syn-
optica.

nica

- I. *ascensum priorem*, ad templi refectionem; ubi
- a) Cyri edictum, & revertendi facta potestas c. I.
 - β) ascendentium Catalogus c. II.
 - γ) templi reformatio
 1. suscepta, jactis fundamentis c. III.
 2. impedita, fraude, calumniis ac vi Samaritanorum c. IV.
 3. promota, Haggai admonitione, adversariis apud Dari-um querentibus c. V.
 4. consummata, Darii indulgentia, dedicatione & Paschatis celebratione c. VI.
- II. *ascensum posteriorem*, ad ecclesiæ reformationem; ubi
- a) Esdræ cum magno comitatu ascensio c. VII.
 - β) comitum ejus recensio, regique decreti executio c. VIII.
 - γ) populi reformatio
 1. cœpta per Esdræ pœnitentiam c. IX.
 2. peracta per pœnitentiam publicam, & connubiorum in-auspicatorum dissolutionem c. X.

XII.

Ex Patribus non habeo, quem huc referam interpretem, præter *Commen-*
Venerabilem BEDAM, qui *allegorica expositionis in Ezram libros duos* *tarii*
sat amplius post se reliquit *T. IV. Opp. p. 462.* quibus, ut ipsius verba ha- *Patrum:*
bent, *spirituali sensu eum exposuit, quò manifestius patefaciat, qualiter his,*
qui per negligentiam vel errorem perierant, sit ad pœnitentiam redeundum:
quantum Dei gratia, quanto ipsorum conatu sit admissorum postcenda vel impe-
tranda venia: quomodo item pœnitentes, una cum eis, qui nuper ad fidem



De libro
Esdre.

venerant, unam eandemq; Christi domum edificent, ac pariter in futuro dedicationis illius solennia expectent.

Luthera-
norum:

Lutheranorum interpretum veterum princeps huc spectat JOH. BRENTIVS, cujus in Esdram Commentarius *T. II. Opp. p. 1097.* legitur. Quibus addendus forte CYRIACVS SPANGENBERG in Tabb. editis in fol. Basileæ A. 1563. & e recentioribus JOH. WANDALINVS in *Vestibulo Philolog. de variis questionibus ad literaturam sanctam spectantibus* Hassniæ in 4. A. 1654. Tandem & autor der *Lebensbeschreibung der Biblischen Scribenten P. IV. Person. Esdræ* statim ab initio, annotationes in singula libri hujus capp. exhibet, quas tamen dubito, an huc sint referendæ, cum de verbo ad verbum ex Burmanno descriptæ, ad Reformatorum potius pertineant censum.

Pontificio-
rum:

E Pontificiis suam in hunc librum explicandum operam contulerunt PETRVS BERCHORIVS, Pictaviensis, Benedictinus & Prior Monasterii S. Eligii Parisiensis *Lib. XIV. Moralitatum* Colon. in fol. A. 1631: THOMAS de VIO CAIETANVS, Romæ in 8. A. 1533. ADRIANVS CROMMIVS, Lovanii A. 1632. & 1652. in 4: DIONYS. CARTHVSIVS, *Opp. p. 167. sqq.* Coloniae in fol. A. 1534: NIC. LOMBARDVS, S. I. in *Nehemia & Esdræ commentario literal, morali, & allegorico illustratis*, Parisiis in fol. A. 1643: THOMAS de MALVENDA, *T. III. Opp.* Lugduni A. 1650: JOH. PAUL. OLIVA, S. J. in *commentariis Ethicis in Esdram*, A. 1679. Lugduni in fol: FABRITIUS PAVLVTIVS, Comment. in libros historicos V, T. Romæ in fol. A. 1625: CASPAR. SANCTIVS, Comment. in Ruth, Ezram, Nehemiam, Tobiam &c. Lugduni in fol. A. 1627: JOH. FERVS, cujus in nonnulla capp. Esdræ Commentarius Latine prodiit, tum etiam in Germanicum idioma translatus, lucem adspexit Moguntiae in 4. A. 1551.

Reformato-
rum:

Inter Reformatos hic locum habent STEPHANVS FABRITIUS, ecclesiae Bernensis Minister, qui. A. 1622. in fol. conciones sacras in Prophetas XII. minores edidit, quibus explicationem IV. priorum Capp. Esdræ, homiliis 25. traditam, inseruit: LVDOVIC. LAVATERVS, homiliis 38. in h. l. Tiguri in fol. A. 1586: CONRAD. PELLICANVS, Tiguri in fol. A. 1582: GVILIELMVS PEMBELIVS, in explicatione obscurorum locorum Ezræ, Nehemiae, Danielis, quæ extat in Opp. Anglic. Londini in fol. A. 1635. 1658: ARTHVRVS JACKSON A. 1658. Londini in 4: VI-
CTORIN.



CTORIN. STRIGELIVS, Lipsiæ in 8. A. 1571: JOH. WOL-
FIVS, Tiguri in fol. A. 1570. 1584: FRANCISC. BURMAN-
NVS, cujus in h. l. labores, commentario in libb. Regum & Chronico-
rum subjuncti, Amstelodami Belgice prodierunt A. 1694. in 4. & germa-
nice versi Francofurti in 4. A. 1695: CHRISTIANVS SCHO-
TANVS, de rebus Judaicis sub Monarchia Persarum, T. II. *Bibliotheca
Hist. Sac. V. T. p. 1146. sqq.* JOSEPH HALL, P. II. der Biblischen
Geschichte c. XXI. p. 1213. sqq.

Ex Remonstrantibus JOH. CLERICI Commentarius in iis *Remon-
strantium:*
legitur, quos T. II. Comm. in libros V. T. historicos struxit. Tandem
& inter Fanaticos CASPAR SCHWENCKFELD, in seinen *Fanatico-
rum.*
Missiven (edit. A. 1566. in fol.) p. 455. sqq. brevem librorum Esdræ ex-
plicationem inseruit, qua genio & fanaticismo suo satis promore in-
dulsit.

CAP. XIX.

De libro Nehemiæ.

Libri inscriptio. Cur secundus Esdræ dicatur? Nonnunquam & primi Summari-
libri Esdræ nomine continetur. Hujus inter libros Biblicos sedes ac um capitis.
ordo §. 1. Nehemiæ nomen: an idem & Hattirsatha? idq. quid no-
tet? ejusdem cum Zorobabele confusio: Parens: an ex tribu Levi,
an de tribu Juda oriundus? munia, quæ hinc in Persia obiit, hinc in
Judea: atas ipsi an tam provecta, ut & Zorobabeli, & rursus Jad-
dua Pontifici συγγραφῆ fuerit? an vero duo & distincti sint Nehe-
miæ? elogia: typica ad Christum relatio: mors ac sepultura §. 2.
Idem & libri hujus scriptor: non tamen æque τῶν ἀναρχαφῶν &
ὑπερμαρτυρισμῶν 2. Macc. II, 13. memoratorum §. 3. Argumentum:
Scopus: & varia libri utilitas §. 4. Autoritas Canonica asserta, solu-
tis quæ ex Melitonis Catalogo & testimonio Isidori oriri poterant, du-
biis §. 5. Chronologia. An Jadduam Pontificem vivendo attigerit?
Geminus Jaddua, alius prior Levita; alius posterior Pontifex §. 6.
Partitio §. 7. Tabula Synoptica §. 8. Commentarii Patrum, Rabbi-
norum, Lutheranorum, Pontificiorum, Reformatorum, Remonstran-
tium §. 9.

§. I. Librum



De libro
Nehemiæ.

Inscriptio.

§. I.

Librum Hebræi Codices ספר נחמיה inscribunt, nonnunquam etiam, æque ac Græca & Syriaca versio, Nehemiam simpliciter & sine adjecto in fronte ponunt; vel quod a Nehemia exaratus est, ut mox videbimus, vel quod ejus gesta exponit. Alia vero libri inscriptio ex iis apparet, quæ *cap. præc. §. 1 p. 305.* monuimus. Vulgata enim titulum dedit: *Liber Nehemiæ, qui & Esdræ secundus dicitur.* Consentit Arabs, qui ita habet: *Liber secundus Ezre sacerdotis.* Paria *Synopsis* illa *Athanasiana* tradit, quæ hunc cum præcedente librum uno capite recenset, & Esdræ I. ac II. inscribens, addit: ταῦτα τὰ δύο βιβλία παρ' αὐτῆς ἐκείνης συνεγράφησαν, ἡ καὶ τὴν ἐπιγραφὴν ἐπιφέρουσι. Ἐπεὶ γὰρ Ἐσδρας, ἱερεὺς ὢν καὶ ἀναγνώστης κ. τ. λ. *Hi duo libri ab eo conscripti sunt, cujus & inscriptionem præferunt. Esdras enim ille, Sacerdos & Lector &c.* Quanquam vero Esdræ librum hic noster & illustret mirifice, & per aliquot annorum lustra continuet, ab illo tamen, & autore, & rerum narratarum serie diversus, ad Nehemiam in titulo rectius, quam Esdram refertur. Notandum porro, quod apud veteres sub uno tantum Esdræ volumine comprehensus fuerit, unde cum secundus liber Esdræ inter Apocryphos rejicitur a nonnullis, non hic noster, intelligendus est, sed quem tertium alias Esdræ vulgo dicimus. Hoc Isidorus nos docet, quando *Lib. VI. Origin. c. 2 p. 45. F.* Esdræ, inquit, liber auctoris sui titulo prænotatur, in cujus textu Esdræ *Neemieg.* sermones pariter continentur. Nec quenquam moveat, quod unus Esdræ dicitur liber: quia secundus, tertius, quartus non habentur apud Hebræos, sed inter Apocryphos deputantur. Inde vero ordinis, & qua locatur, sedis ratio apparet. Nec enim potuit, qui Esdræ historiam pari filo continuat, & cum illo in unum volumen compactus olim ab Hebræis & Græcis fuit, non proximum ab illo locum tenere: licet forte ultimo omnium, quod ex Chronologia & Jadduæ Pontificis mentione haud difficulter colligitur, inter V. T. libros hic noster compositus sit & exaratus.

Sedes ac
ordo,

II.

Nehemiæ
nomen:

Nomen נחמיה solatii plenissimum, idem velle ac מנחם *consolatur Dominus*, b. Hillerus tradit *Onomast. Sac. via XI p. 407. & 894.* nec in seite utraque Glossa, Hieronymum & Isidorum secuta, *Consolatorem Domini*, vel *consolatorem a Domino* scil. missum, interpretatur; quæ procul dubio derivatio longe anteponenda est alteri illi etymologia, quæ *pæni-*



penitentem Dominum, vel directionem Domini reddiderunt nonnulli. Quo istud Isidori spectat, quando lib. VII. Origin. cap. 8. p. 61. Esdras inquit, adjutor, Neemias consolator a Domino. Quodam enim presagio futurorum nomina ista sortiti sunt. Fuerunt enim in adiutorium & consolationem omni illi populo redeunti ad patriam. Nam & templum Domini iidem reedificaverunt, & murorum & turrium opus ipsi restauraverunt. Eadem vero התרשטה Hattirsatha vel Aterfatha nomen fuisse, ex Neh. VIII, 9. certum quidem est, incertum vero, idem quid proprie notet. Et alienas quidem prorsus atque contortas vocabuli huius explicationes, ex M. de Calasio a b. D. Pfeiffero Dub. Vex. Cent. III. Loc. 23. p. 477. alatas, consulto præterimus. b. Hillerus Onom. S. via XV. p. 66a. ab ingenio & moribus id nominis hæsisse vult Nehemiæ, & austerum interpretatur, Syrumque non modo & Arabem significationi huic favere, sed & rem ipsam putat: huius, inquit, in iudicando severitatem ex eo colligas, quod Judeos propter liberos, quos e gentilibus fœminis sustulerunt, hebraica lingua ignaros, pugnis obtrusos glabravit. Quæ quidem vereor, ut ratio sufficiat, cum longe extantiora Zeli divini exempla Elias alique sancti viri ediderint, quos tamen eodem nomine, vel Hebraico quodam, paria cum illo faciente, insignitos non deprehendes. Hinc rectius alii officii nomen existimant, quod vel Legatum aut Commissarium Regis Persica lingua sonet, ut vult b. Calovius ad Esdr. II, 1. p. 864. & Burmannus ad eund. loc. vel pincernam designet, compositum ex התיר permisit & שתה bibit, לפי שהיה / לוי של גוים / משקה למלך quam nominis rationem Rabbini reddunt in Juchasin quod sapientes illi permiserint bibere vinum gentilium, (quo ceteris Judæis uti nefas erat, quia gentes plerumque Diis inter bibendum libare confescunt, unde Daniel cum sociis a vino ciboque regio abstinuit) propterea quod erat pincerna Regis; vel ex R. Aben Esræ sententia honoris titulum in lingua Chaldaica insinuet, & Principem aut Ducem significet. Quæ quidem postrema interpretatio locum habere poterit, si cum Franc. Junio, b. Calovio & Burmanno, non soli Nehemiæ nomen hoc fuisse proprium, sed ipsi cum aliis Regis Ducibus, v. g. Esdr. II, 63. cum Scheschbazar, cap. I, 8. Esd. designato, commune existimemus. Quod tamen eo valere non debet, ut cum Zorobabele vel alio populi Duce eum confundamus, qui Judæorum error est, de quo Scipion. Sgambafuso: tum audiamus, qui Archivor. Vet. Test. Lib. II. Tit. 63 p. 406. ita habet: Hebrai quidem in Midras, & in Sanhedrin. C. Dine Memonoth dicunt,

U u

eundem

cum Zoro-
babele con-
fusio:

eundem esse Nehemiam, & Zorobabelem Filium Salathiel, inde conjectura ducta, quod Nehemiæ nulla prodatur series parentum, quod in tam insigni & tam bene de gente sua merito viro minime factum esset, nisi idem esset, qui Zorobabel, convenientibus alioqui utriusq; rebus gestis; sed ut mittam nomen, & parentum, & rerum gestarum (addo & officiorum, temporisque ac reliquarum circumstantiarum) plura discrimina, Ecclesiasticus c. XLIX. (æque ac Esdras c. II, 2. & ipse Nehemias c. VII, 17.) Nehemiam a Zorobabele distinguit. Hunc nostrum porro parente satum fuisse Hachaliah, ex libri initio manifestum est; quem unius literæ quidem transpositione Helchiam appellat Vulgata, sed non succurrit, ex quo fonte Laur. Fabric. *Parr. Cod. Heb.* in Crenii *Thes. Phil. I. p. 354.* Chadium vocet. E qua autem tribu ortum ducat, ambigue disceptatur inter eruditos. Ad tribum Levi referunt e nostris D. Friedlieb. *observ. Biblic. in h. l. Class. 6. p. 457.* e Pontificiis vero plurimi, cum primis Corn. a Lapide, sacerdotem egisse contendens *Proleg. in Lib. Nehem. Comm. p. 31.* autoritate testimonii 2. Macc. I, 21. nixus, seu vulgatæ potius vitio deceptus, quæ Græca illa: ἐκένωσε τὰς ἱερὰς Νεχίας ἐπιγέγων τῷ ὕδατι, mala fide reddit: *jussit Sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua.* Majoris videtur ponderis argumentum ex Neh. X, 1. 8. ubi in Sacerdotum recensione primum locum Nehemias filius Hachaliæ tenet. Qui locus adeo torfit Joseph Scaligerum, ut *animadversion. in Chronologica Eusebii ad A. 1584. p. 105.* geminum comminisceretur Nehemiam, alterum Atherfathem, qui in Sacerdotibus fuerit, alterum Ducem populi, de quo præsens liber agit; utrumque tamen, quod mireris, patre cognomine prognatum. Nec satisfacit Huetius, qui *Dem. Evang. Prop. IV. de libris Esdræ §. 3. p. 358.* nulla ratione addita, istam Sacerdotum notationem ad reliqua, non item ad Nehemiæ nomen, pertinere tradit. Sed omne dubium tollit versus præced. Neh. IX, ult. ubi foedus illud obfignasse leguntur Principes, Levitæ, ac Sacerdotes. Jam inter principes primas tenebat Nehemias, qui primus quoque & ante omnes nomen dabat, quem deinceps, ordine quisque suo, Sacerdotes v. 2. sqq. Levitæ v. 9. sqq. & capita vel proceres populi v. 14. sqq. sequebantur. *Primo quidem loco ponitur Nehemias: inquit. ad h. l. Lavaterus homil. 43. p. 76. b. unde quidam colligunt, sacerdotem fuisse, quia cum aliis Sacerdotibus in textu exprimitur. At ideo primo loco ponitur, quod regis Persici nomine toti populo præfuit.* E nostris in eandem confer sententiam b. Glassium *Philol. S. Lib. IV. Tr. 3. Observ. II. p. marg. 305.* Scipio Sgambatus *loc. cit. p. 407.* utrinque constrictus, hinc Rab-

bino-

binorum autoritate, qui e tribu Juda & ex familia David Nehemiam esse, pro certo habent, hinc testimonii Macchabaici religione, utramque conciliare sententiam & ita elabi nititur, eum ut paterna stirpe ex Aaron, genitum dicat, materna vero e Davide. Sed vero rectius haud dubie pronunciant, qui e tribu Juda tantum oriundum Nehemiam censent; ἐκ φυλῆς Ἰούδα bene inquit Eusebius in *Can. Chron. ad an 1584.* quem absque causa hic carpit Sgambatus: & erudite omnino ad istum Eusebii locum Scaliger idem probat, quia omnes Duces Israelis & Ἀρχιμαλτοῦρχα sunt a stirpe Davidis. Recte igitur apud Cedrenum ex quodam optimo Chronologo 114, 60. Νεμίας Ἰουδαῖος, ἐκ τῆς σπέρματος τοῦ Δαβὶδ. Omnino Ἀρχιμαλτοῦρχα Judeorum ex stirpe Juda omnes fuerunt, hodieque sunt, neque ex alia progenie assumuntur. Quæ bene habent, atque Huetio, reliquisque idem tenentibus faciem prætulere; quanquam regeri adhuc posset, τὸς ἀρχιμαλτοῦρχας Ἰσραὴλ ἡγεῖται ἱππάρχας ἡγεῖται ipsi dictos (de quibus b. Carpzov. vide ad Schickardi *מורה* p. 158. sqq. ipsumque Schickardum p. 80. & Jac. Rhenferdium de *decem otiosis Synagoga* dissert. II. cap. 4. §. 10. sq. p. 195.) suo tantum populo præfuisse Babylone, aut in captivitate, non autem in terra sancta, ubi nullus Ἀρχιμαλτοῦρχα locus fuerit; forte tamen ideo rerum potitus est in patria Nehemias, quod jam principatum tenuisset. Babylone inter suos, tanta quippe Regis gratia suffultus. Quod vero in eandem sententiam C. a Lapide Sulpitium Severum citat & Sixtum Senensem, in eo frustra est, cum gente Judæam saltem isti definiant Nehemiam, nulla tribus avitæ mentione adjecta. Singulari autem Dei providentia factum est, ut *pincerna* in aula Persica munere fungens, intimiori ad Regem accessu gauderet, cujus deinceps autoritate tanta in populum suum merita contulit. Ipse nimirum מִשְׁקֶה לְמֶלֶךְ c. I, ult. se dicit, quem ἀρχινομήτορας τῆς βασιλείας Epitomator temporum in Scaligeri *thesauro temp.* p. 248. & Clemens Alexandr. *lib. I. Stromat.* p. 329. reddit. Idem vero in patriam Babylone redux, Synedrii magni assessor, & Esdræ, Haggæi, Zachariæ, Malachiæ & reliquorum Synagoga magnæ virorum Collega Judæis passim creditur, ut videre est ap. Seldenum de *Synedriis Vet. Heb. Lib. II. c. 16. §. 6. p. 411. sqq.* & Buxtorffium *Tiberiad. cap. X. & XI.* Unde Hieronymus in *Jesaja c. I. T. V. Opp. f. 5. F.* in illud Prophetæ: restituiam Judices tuos, ut fuerunt prius: restituet ergo Judicum similitudinem post captivitatem Babylonicam, ut Judæi volunt, Zorobabel, Esdræ & Nehemiam, & ceteros principes, qui usque ad Hyrcanum populo præfuerunt. Et sane Præsidem inter Judæos egisse, regia forte, quod Lavaterus opinatur,



De libro
Nehemias.

Ætas:

tur, autoritate constitutum, & cum imperio in Republica versatum Nehemiam fuisse, ex cap. V, 14. 15. totoque fere libro ad oculum patet: idem vero num Zorobabeli & Josuæ *צורובבל*, ipsorumque in primo ex captivitate ascensu comes fuerit, nondum satis clare est evictum. Affirmat quidem Esdras c. II, 2. & ipse Nehem. c. VII, 7. unde Hieronymus, paulo ante mox allegata in Jes. verba: *post Babylonicam, inquit, captivitatem sub Zorobabel, & Esdra & Neemia Israel reversus est in Judæam, & antiquum recepit statum.* Quod si vero ille sub Cyro cum Zorobabele Hierosolymam venit, posito, quod 25. annorum tum tantum fuerit (maru-
ræ enim ætatis fuisse, jam inter Duces itineris relatum, necesse est) cum anno 32. Artaxerxis Longimani adhuc floruerit c. XIII, 6. imo tempora, Darii Nothi, & Jadduæ Pontificis ætatem, ut Neh. XII, 22. innuitur, attigerit, eum ultra centum & quadraginta annos vixisse oportet, etiam si statuatur, primis Darii annis Jadduam Pontificem vidisse, & paulo post satis concessisse. Hinc sunt, qui istud ætatis sœtæ naturæ ordinem longe transcendere rati, diversum faciunt Nehemiam primo ascendentem cum Zorobabele Esd. II, 2. ab hoc nostro, qui Artaxerxis pincernam egit. Prolixus in hac disputatione est C. a Lapide, utriusque sententiæ argumenta expendens; & ingenti molimine geminum adstruit Nehemiam b. Barth. Mayer *Philol. S. P. II. p. 110. nam quamvis, inquit, Nehemias cujusdam mentio fiat Esdræ II. inde tamen inferre non licet, illum fuisse Nehemiam Hachaliae filium, ducem populi Judaici. Inde enim sequeretur, Nehemiam illum vixisse inde ab initio Monarchiæ Persicæ usque ad ejus finem, b. e. ultra ducentos annos, quod absolum.* Nehemias enim ille, cujus libellus extat, ultima tempora Monarchiæ Persicæ attigit. Ex nominis ergo parilitate nihil colligitur, cum nihil sit frequentius in historiis omnium gentium, quam ut iisdem nominibus nuncupentur plurimi. Pariatradit Laur. Fabric. *cit. loc. p. 354.* qui historiæ adhuc circumstantias urget, quod cum posterior ille & noster audiret, templum quidem in Judæa perfectum, sed muros urbis adhuc disiectos jacere, impetrata a Rege venia, tum quidem prima vice, anno post solutam a Cyro captivitatem CLXXIV. in Judæam iter suscepit, & ut muro urbs circumdaretur, mandavit. Geminum quoque Nehemiam, sed dispari longe modo, satis evidenter demonstrat b. Glassius *loc. cit. alium filium Asbuk, principem dimidiæ partis vici Bethsur, qui muros struendo pergebat usque ad regionem sepulchri Davidis, & usque ad piscinam, & usque ad domum heroum Neh. III, 16. alium nostrum filium Hachaliae.* Verum num ille prior, revera quidem a nostro

stro



stro distinctus, idem tamen sit cum eo, qui una cum Zorobabele e capti-
vitate primum ascendit Esd. II, 2. quod quidem Joh. Janus in *Apogeo cæ-*
li stellati Bibl. p. 217. contendit, Glassius non definit, nec certo quis alius
poterit. Hinc pro uno eodemque Nehemia, qui & sub Cyro & denuo sub
Artaxerxe ascenderit in Judæam, sententiam ferunt cum Isidoro *lib. de*
vita & obitu Sancti. c. 61. alii, quos inter cumprimis Sanctius est *Comment.*
in I. Esdr. nu. 9. p. 42. sqq. & prolegom. in II. Esdr. II. p. 81. & recentissime
Natalis Alexander Hist. Eccl. V. T. T. II. in 6. mundi ætat. Art. II. p. 235.
haud impossibile existimantes, Nehemiam Dei beneficio sesquiseculum
vivendo explere, & ad extremam usque senectam viribus valere poluis-
se, cum vel hodie, quanquam rarius, talia prostant exempla hominum,
ultra seculum ætatem producentium. Certe paulo ante captivitatem
Joadam Sacerdotem ad 130. annum ætatem produxisse, 2. Chron. XXIV,
15. legimus: longe autem post Nehemiæ tempora, Johannem Aposto-
lum ætate sua seculum transcendisse, imo centesimum vigesimum atti-
gisse annum Chrysostomus *Serm. de S. Job. Apost. T. VI. p. 505.* aliique
perhibent Scriptores. Ut vero ad ducentos annos Nehemiæ cum b.
Mayero ascendamus, necesse non est, ut supra observavimus contra Spi-
nosam *cap. præc. §. 4. p. 313. sq.* Nec est absimile vero, tantæ inter suos auto-
ritatis virum & patriam subinde repetisse, ut, quæ e regentis suæ essent,
disponeret, & rediisse Babylonem, ut pro sua, qua apud Regem pollebat,
gratia, varia genti ac patriæ suæ bona impetraret. Cum vero utriusque
sententiæ argumenta ita sint comparata, ut exceptiones patiantur sat gra-
ves, certi quid in tanta rerum caligine definire nolumus; quanquam
in geminum nos propendere Nehemiam non diffiteamur: alium enim
& a se diversum haud obscure Neh. VII, 7. innuere videtur. Sed hæc
forte prolixius, quam e re fuerat. Ceterum ob insignia in gentem suam
merita, hoc a Josepho *lib. XI. Antiqq. cap. V. sub fin.* elogio ornatur:
ἀνὴρ δὲ ἐγένετο χεῖρος τὴν φύσιν καὶ δικαιοσύνην, καὶ περὶ τὰς δημοσίας φι-
λοτιμότητάς, μνημεῖον αἰώνιον αὐτῷ καταλιπὼν τὰ τῶν ἱεροσολύμων τέχνην,
Vir ad virtutem & justitiam natus, & in populares suos beneficentissimus, re-
lictis sempiterno sui monumento in Hierosolymorum manibus. Theodoro
lib. I. Hist. Eccl. μανδύειν Φερώνυμους ἀνὴρ, καὶ παντοδαποῖς κοσμημένους
ἀρχαῖς, beatus vir nominis sui audit, variisq. exornatus donis. Quibus
gemella fere sunt, quæ in viri laudem concinit Syracides c. XLIX, 15.
Paucis multa complexus Wilh. Momma *Oeconom. temp. lib. II. c. 19. §. 84.*
p. 390. Fuit hic Nehemias, inquit, vir plenus zelo gloriæ DEI, alienus ab



De libro
Nehemix.

typica rela-
tio:

mons ac se-
pultura.

omni idololatria, & superstitione, discipulus Moyses, restaurator cultus, bonam servans conscientiam: hinc toties dicit: Memento mihi Domine in bonum omne quod feci, & parce mihi secundum multam gratiam tuam. Alia variorum, quibus Nehemiam mactarunt, encomia collecta lege in der Lebensbeschreibung der Bibl. Scribenten P. V. c. 9. p. 151. sqq. Cum primis vero huc spectat, quod typum Christi præbuisse nonnullis videtur. Ita sanctus Beda *allegorica Expositionis in Ezzam lib. III. c. 15. T. IV. Opp. p. 345* Nehemias interpretatur Latine consolator Dominus, vel consolator a Domino: qui cum renovaverit muros Hierusalem, & populum Dei ab hostium insultatione liberatum, in divina legis observantia sublimaverit: profecto constat, quia & vocabulo, & opere, & persona sua non inconvenienter Mediatorem Dei & hominum, hominem Christum Jesum designet, qui se ad consolationem pauperum spiritum missum insinuat, cum ascensurus in celum discipulis ait: ego rogabo Patrem, & alium Paracletum b. e. consolatorem dabit vobis. (Joh. 14.) A quo edificandam civitatem Dei, sanctam videlicet ecclesiam, simul & consolandos esse merentes, ostendit Psalmista, cum (Ps. 146.) dicebat: Edificans Hierusalem Dominus, & dispersiones Israelis congregans, qui sanat contritos corde &c. Quæ concisius & paulo obscurius describit Glossa Ordin. sub libri init. Eadem vero uberius declarans C. a Lapide p. 32. optimum Salvatorem adumbrasse dicit Nehemiam 1) nomine solatifico Jec. LXI, 2. 2) genere, vitæ sanctimonia & dotibus, 3) Hierosolymorum restauratione, reipublicæ per saluberrimas leges ac severam disciplinam confirmatione, & animosa pro ejus incolumitate adversus Samaritanos hostes decertatione. Propius vero ad homileticum usum Nehemiæ typum accommodat citatus modo autor vitæ ejus l. c. cap. 10. p. 157. Quæ tandem Lavaterus *hom. 1. in Neh. p. 1. b.* de obitu & sepultura Nehemiæ addit, incerta nituntur fide. Hierosolymis enim vitam in senectute veneranda finivisse, ibidemque fuisse sepultum, & ad moenia quidem urbis, a se exstructa, ut *Fasticulus temporum cap. 32.* tradit, nullus testatur Josephus, ad quem quidem provocat Lavaterus, sed simpliciter Nehemiam profecta jam ætate decessisse memorat, nulla loci vel sepulturæ adjecta mentione. Sed hæc de Prosopographia viri sufficient.

III.

Idem & li-
bri Scriptor:

Scriptorem libri Athanasius in Synopsi, Chrysostomus & Beda, Esdram dicunt, ea cum primis de causa, quod unum hic cum Esdræ librum quondam componeret, ipsiusque nomine veniret. Sed satis con-
venit



venit inter interpretes, haud alia eum, quam ab ipsius Nehemia manu profectum esse, quod res a se gestas ἀποπροσώπως describit, & ad se refert, quae Nehemia Praefidi alibi tribuuntur. Levia sunt, & cap. praecedente jam discussa, quae a temporum ac aetatis ratione in contrarium urget Spinosa, cujus vestigia, omnia alia quidem videri cupientes, studiose legunt Theologi Batavi in *Judiciis de Rich. Simonis Hist. Crit. V. T.* qui ad hunc librum devoluti, omnem ejus consignationem in solidum quidem Nehemiae denegare non audent, neque tamen tribuendam ei censent universam, cum quae c. XII, 22. de Jaddua Pontifice leguntur, Nehemiae per aetatem accepta ferri nequeant. Sed ad hanc pericopam, ut & de aetate nostri, prolixè satis mentem nostram exposuimus supra p. 314. & 340. quae huc repetere non vacat. Praeter hunc vero, alia quoque ad Nehemiam autorem scripta referuntur, cum primis ἀναγραφῶν sive de-
scriptiones ac annales, & ὑπομνηματισμοί, sive Commentarii diurnorum, 2. Maccab. II, 13. commendati, in quibus Sixto Senense teste *Biblioth. S. lib. II. p. 110.* diligentissime ea omnia complexus est, quae Judaeis ex captivitate Chaldaica redeuntibus contingere, praecipue vero inventionem ignis sacri, quem sacerdotes excisa urbe sancta, in profundissimum puteum defoderant, & Bibliotheca a se extructa appanum, ac librorum omnium, tam sacrorum, quam profanorum locupletissimam copiam in ea congregatam. Sixtum ad verbum fere descripsit Sanctius *Proleg. III. in b. l. p. 82.* Verum ut librorum Mascabaicorum sublesta perquam fides est, ut Joh. Rainoldus in eximio *de libris Apocryphis* opere abunde demonstravit; sic illa quoque de abscondito olim, & reperto rursus a sacerdotibus igne sacro, narratio suspecta multis nominibus ac supposititia Johanni Buxtorffio fil. videtur, qui in *historia ignis sacri cap. 3. Exercitationum p. 246.* ex instituto illam sub incudem vocavit. Unde facilis conjectura, ad hos sive annales sive commentarios Nehemiae, qui num ulli lucem viderint, dubitari merito potest, ideo saltem ab autore Maccab. provocari, ut commentò fidem conciliet, & sub tantae antiquitatis testimonii umbra eo felicius fucum faciat incautis.

I V.

Ceterum hic liber, coeptam ab Esdra, restauratae urbis & reipublicae Judaicae historiam persequitur, & tum murorum urbis, ex ruinis per tot impedimenta lente surgentium reparationem, tum reducis populi, nimium sibi indulgentis correctionem, cum primis etiam collapsi cultus divini reformationem, Nehemiae prudentia, autoritate & Zelo ala-

Argumentum.

critex



De libro
Nehemias.

Scopus.

Utilitas.

critur susceptam, feliciterque peractam commemorat. Postquam enim gens Judaica in libertatem rursus emerisset, & templum reedificatum, cultus restitutus, leges stabilitæ, politia ordinata, & judicia essent confirmata, parum firmo tamen omnis isthæc felicitas niti videbatur talo, quoad urbs munimentis orbata, hostium insidiis atque injuriæ pateret. Hæc Nehemiam cura torquebat, qui venia juxta & adminiculis a Rege impetratis, tantæ molis opus strenue aggressus, ringentibus frustra adversariis, pertinaciter urfit, donec ex omnium voto feliciter ad umbilicum perduceret c. VI, 1. 15. XII, 27. sqq. Atque tum demum restitui plenarie coepisse dixeris rempublicam, & ad illam redactam fuisse formam, quam proximis circa Messia adventum temporibus, juxta Prophetarum oracula, referre debebat. Executiebat nimirum pulverem captiva olim Zion Jes. LII, 2. & confidentibus ad jus dicendum principibus populi in Jerusalem Neh. XI, 1. reddiderat ipsi Jehova judices ut primo, & consiliarios, ut ab initio Jes. I, 16. istos quippe מְשִׁימֵי־לֵב Legislatores, viros Synagogæ magnæ, penes quos summa erat in republica potestas, quosque rerum potiri oportebat, donec Schiloh veniret Gen. XLIX, 10. Unde palmarius patet scopus libri, non eum duntaxat in finem conscripti & canonis inserti, ut historiæ V. T. qua sacra, qua civili, sua constaret integritas, sed ut eam quoque reipublicæ & ecclesiæ Judaicæ faciem delinearet, quam a plenaria ex captivitatis miseriis eluctatione & deinceps, donec nasceretur Messias, habituram prædixerant Prophetæ. Ex hoc enim libro colligere debebant fideles, ultimam hanc esse periodum ante Messia adventum, & cum hinc impleta esse omnia perspicerent, quæ de reparanda urbe, & confirmanda penitus republica prænunciata fuerant, nihil amplius reliquum esse, quam ut παρακλησιν τῇ Ἰσραήλ, ipsamque tot votis expetitam λυτρωσιν proxime expectarent; quod a piis quoque factum, ex Luc. II, 25. 38. constat. Ut adeo ad dignoscendum & investigandum Messiam præsens liber luculentis perquam indicis faciat; quo & typica illa, quam §. 2. præc. attigimus, adumbratio pertinet, quæ Christum repræsentans Nehemias, paternum ipsius pro tuenda, præsidio suo munienda, in ordinem redigenda, & ornanda urbe sancta, quæ ecclesia est, curam typice delineat & ob oculos ponit. Atque hinc amplissima libri utilitas in omnium temporum fideles, per saluberrima monita & doctrinarum momenta promanat. Cum enim ecclesiæ typum restaurata exhibeat Hierosolyma, 1. docemur singuli, pro suo quisque munere ac ordine, civitatem Dei spirituales ædificare, concionatores verbi prædi-



prædicatione, proceres Reipublicæ gubernatione, patresfamilias religiosa liberorum educatione &c. 2. Satanæ videmus insidias ac artes miræ energia depictas, quibus per Anti-Christum eiusque satellites omnem movet lapidem, ut remoram ædificationi ecclesiæ injiciat, ne opus procedat; 3. quanta porro opus sit cautione, consilio, virtute, ut idoneis remediis, hostibus ecclesiæ obsistatur, occurratur prodicionibus, urgeatur opus, donec felicem sortiatur eventum; 4. quam inconcusso mediis in tribulationibus pede stet ecclesiæ, quamque optatos, si fortes simus & constantes exemplo Nehemiz, successus largiatur Deus gloriam ipsius & ecclesiæ emolumentum procurantibus. In vitis enim hostibus urbs clausa & munita fuit; 5. quam necessarium sit ac utile, cum Deus ecclesiæ suam restauraverit, de emendanda quoque & munienda republica cogitare, quæ ecclesiæ domicilium præbeat; 6. de usu feriatarum dierum, ut tractationi scripturarum & exercitiis pietatis impendantur; 7. præclara præ cæteris exempla hic nobis sistuntur, pietatis in Deum, quæ ex precibus ardentissime hoc libro conceptis ac fufis elucet: pietatis in patriam, cujus Nehemias memor, ipse licet in re lauta constitutus esset, quiescere tamen non potuit, donec urbs munita esset: obedientiæ erga magistratum, quam subditi præstant, nullis vel periculis vel laboribus inter ædificandum parcentes: principatus laudabiliter gesti, dum Nehemiz religio curæ, omnis autem avaritiæ, omnis fastus odio est. Vid. Lavater. *homil. I. p. 1. sqq.*

Canonica libri auctoritatem fidelis Judaicæ ecclesiæ custodia & pia veneratio testatur, quæ æquali cum ceteris divinis & *ἱερὰ βιβλία* libris Nehemiam prosecuta usque fuit, & Novi Testamenti ecclesiæ per manus velut tradidit, quæ absque ulla hæsitacione in canonis censu hunc cum reliquis librum recepit, & huc usque habuit. Scrupulum movere quidem posset, quod Melito Sardenfis, qui M. Aurelii Imperatoris tempore floruit, in suo Scripturarum Canonicarum, summa cum cura in Oriente, conquisitarum Catalogo, quem Eusebius *Hist. Eccl. lib. IV. c. 26.* integrum nobis servavit, nullam hujus libri mentionem faciat, unde colligi posset, ipsius tempore Nehemiam in Canone Judaico juxta, ac ecclesiæ Christianæ Orientali, locum habuisse nullum. Sed salva res est, dum ultimo loco Esdras nominat, cujus appellatione utrumque ejus librum, phrasi olim usitatissima, complectitur; pari modo ac Threnos, quos seorsim in

Autoritas
Canonica,



De libro
Nehemias.

in Catalogo nullibi recenset, sub Jeremia comprehendit. Habet & hic noster omnia Canonicis propria requisita; tempus consignationis illud, quo Prophetarum ultimi, aut viri certe Prophetici adhuc florebant; Hebraicum idioma; relationem ad Messiam monstrandum & dignoscendum; concentum exactissimum cum cetero canone; scriptorem, si non officio, tamen dono Prophetam; nihil a seipso, nihil a reliquis divinis dissonum & abhorrens; maxime vero testimonium utriusque ecclesiae prae, quae, si spurius esset liber, vel humano saltem studio compositus, in canonem eum ab initio non recepisset, vel de fraude postea certior facta, rursus eiecisset. Et luculentum sane vestigium libri in N. T. deprehendimus, dum illam de lege doctrinam, quod qui fecerit eam, vitam sit in ea habiturus, Rom. X, 5. Gal. III, 12. Apostolus aequali autoritate ac fide ex Lev. XVIII, 5. pariter ac Neh. IX, 29. demonstrat ac probat. Ut taceam, illam urbis portarumque descriptionem, c. II. & III. traditam, multis utriusque foederis locis, in topographia Hierosolymitana, lucem affundere; quin & hanc reparatae urbis ac reipublicae historiam, omnia illa eventu comprobare Prophetarum oracula, quibus *ἡ πόλις* vates restitutionem filiae Zion cecinerunt. Facit huc observatio b. Aegid. Hunnii, qui in *Exam. controversiae* I. General. R. Bellarmini L. I. c. 4. T. II Opp. p. 54. A. *Nehemiae historiam*, inquit, *in hominum animis sancit collatio ejus cum vaticinio Danielis* 9. *Quod enim illic de plateis & muris Hierosolymae in angustia temporum reaedificandis praedixit Angelus Gabriel, id eventu solido & exactissime congruente cum Prophetia impletum esse ostendit Nehemiae liber.* Fit quoque libri hujus mentio implicite Joann. II. & X. ubi adificati templi & *ἐν τῷ αἰῶνι* Evangelista meminit. Quod tandem Isidorus, verbis supra §. 1. allegatis, de secundo Esdrae libro affert, quod apud Hebraeos non habeatur, sed inter Apocryphos deputetur, satis perspicue ipse explicat, non ad hunc nostrum, qui eodem cum Esdrae volumine contineatur, sed ad eum spectare, quem tertium vulgo Esdrae dicimus, & quem Apocryphum esse ultro largimur. Conf. Huetium, c. 1. §. 6. p. 360.

VI.

Chronologia.

Chronologiam supra dedimus p. 331. sq. quod ab Esdrae historia ac temporum serie Nehemiae gesta commode divelli nequeant. Clarissimis autem indicibus c. I, 1. II, 1. V. 14. XIII, 6. tempora signat, & duodecim annorum ambitu, ab Artaxerxis imperii XX. ad XXXII. historiam suam hic liber circumscribit. Sed post Artaxerxem Longimanum exaratum demum



demum fuisse, illa recentioris ætatis vestigia evincunt, quæ c. XII, 22. deprehenduntur, ubi Jadduæ Pontificis & Darii Persarum regis, illius Codomanni & Monarchiæ Persicæ ultimi, ut multis putatur, sit mentio. Sed prior etiam ille Darius, cognomine Nothus, intelligi potest, nec adeo necesse est, Alexandri M. exceptionem a Jaddua Pontifice factam, vivendo attigisse Nehemiam. Potuit enim Jadduam in sacerdotio vidisse sub Dario Notho, temporibus ejus postremis, a cujus regno usque ad devictum Darium Codomannum & Alexandrum M. anni fluxere 46. Artaxerxis Mnemonis, 21. Ochi, 2. Arogi, 4. Codomanni. Summa est 73. annorum. Unde si decedente Nehemia Jaddua statuatur vidisse annum 31. obviare Alexandro potuit 164. annos natus, Nehemias vero decessisse jam sub Darii Nothi extrema tempora, ut calculum ponit b. Calov. *Bibl. Ill. T. I. p. 170.* Quanquam dubitari adhuc posset, an idem sit Jaddua, Nehemiæ memoratus, cum illo Pontifice Jaddua, cujus occursum Alexandro M. factum memorat Josephus. Conferenti enim v. 8. cum 11. cap. XII. Neh. ad oculum patet, a Sacerdotum ordine, qui v. 7. in Jedaja, & rursus v. 21. in Jedaja filio Nathaneele desinit, Jadduam distinguere, & utrobique v. 8. & 22. in Levitarum solum redigi classem. Et cum inter capita populi Jaddua quoque aliquis c. X, 21. recensatur, a Sacerdotum ordine distinctus; quid prohibet, quo minus diversis temporibus alius in Levitis florere potuerit Jaddua, alius dein Pontificatu fungi? Jesua sane, a quo recto ordine generationis descendit noster Jaddua, c. X, 9. distinctus a sacerdotibus, primum inter Levitas locum tenet. Nec est, ut obvertatur, proavum Jadduæ nostri, Eliasibum, (c. XII, 10. 11.) diserte Sacerdotem vocari c. XIII, 4. Nam & hic alius & distinctus ab Eliasibo Levita esse potuit. Nec insolens id adeo, ut cognomines reperiantur Hebræi, cum vel tres distinctos Josuas legamus his ipsis capitibus; alium nempe, filium Asania c. X, 9. alium filium Kadniel c. XII, 24. alium denique filium Jozadak c. XII, 26. omnes tamen ex ordine Levitarum. Quo observato, omnes circa longævitatē vel Nehemiæ vel Jadduæ, facillime expediuntur triæ, ut mirum sit, viros doctissimos qui in isthoc solvendo adeo defudarunt nodo, tam evidentem Scripturæ responsionem fugisse. Quam ut nemini obtrudo, ita si quis posthabere velit consuetæ aliorum temporum putationi, illam ex præcedentibus, & c. præc. §. 4. petendam relinquimus.

VII.

Capita liber numerat XII. versus 406. quamquam Masorethæ hujus & Partitio.

X x 2

præce-



præcedentis libri versiculos in unam redigentes summam, 688. dicant, quorum medius Neh. III, 32. Partibus alii tribus constare, cum b. Walthero asserunt *Offic. S. 876.* ita ut *P. I.* habeatur oratio Nehemias pro Judæis ad Deum fusa c. I. *P. II.* dimissio ejus in Judæam c. II. *P. III.* facta illius in Judæa a c. II, 11. ad libri finem. Alii duabus partibus comprehendunt, sed diversimode. Qui ad rerum gestarum diversitatem respiciunt, cum Heideggero *Enchir. b. l. p. 125.* primo ascensionis Nehemias Hierosolymas ad instaurationem urbis cap. I—VII. secundo cultus divini reformationis narratione c. VIII—fin. absolvi tradunt historiam; quod ita eloquitur Reimannus *quest. Biblic. in b. l. p. 232.* partem primam civilia tradere, de urbis restauratione, secundam ecclesiastica; ubi tamen capitum ordinem turbat, & ex c. III, 1—12. legis prælectionem publicam capiti septimo postponit. Qui vero ad loci ac temporis discrimina cum b. Calovio attendunt, ut in historia partienda fieri par est, *P. I.* de iis agere observant, quæ *in Persia* obtinuit Judæorum bono Nehemias c. I. II. *P. II.* de his, quæ *in Judæa* per ipsum sunt gesta c. III—fin. quæ in libro VIII.

TabulaSyn-
optica.

- Tradit ergo liber historiam gestorum Nehemias
- I. exulis in Persia, in venia restaurandæ patriæ impetrata
 - a) seriis precibus a Deo c. I.
 - b) circumspccta intercessione a Rege c. II, 1—10.
 - II. reducis in patria, ubi acta ejus
 - a) civilia,
 1. preparatio c. II, 11—20.
 2. felicissimus progressus c. III.
 3. triplex obstaculum a Nehemia superatum, scilicet
 - N. Sanballathi conspiratio c. IV.
 - D. sumptuum defectus, ob famem & usuras populi c. V.
 - N. novæ Sanballathi falsorumque fratrum, insidiæ c. VI.
 - qua Politicæ restitutionem, & recensionem habitatorum urbis c. VII.
 - b) ecclesiastica, ubi
 1. Reformatio prior, ad quam spectant
 - N. instituta legis prælectio c. VIII.
 - D. publica populi poenitentia & confessio c. IX.
 - J. foede-

1. foederis cum Deo initi confirmatio c. X.

7. ejusdem consequentia, ut sunt

p. habitationum pro populo in urbe & agro distinctio c. XI.

p. Sacerdotum recensio, murorum dedicatio, & functionum in templo confirmatio c. XII.

2. Reformatio posterior abusu post secundum ascensum Nehemiæ c. XIII.

IX.

Inter Patres rursus nemo est, qui data opera Nehemiam explicarit, ^{Commentatores} nisi BEDA, ^{Patres:} qui *allegorica expositionis in Ezram, libro tertio* (non tribus libris, ut mendose tradit autor *Personalium Nehemiæ c. 7. p. 35.*) a cap. XV—XXXVII. T. IV. *Opp. p. 543.* eodem, ac Esdram, modo hunc nostrum enarravit.

E Judæis, præter communes illos totius fere Scripturæ interpretes, ^{Rabbini:} R. Salom. Jarchium & Aben Esram, in Buxtorffianis Bibliis obvios, Bartoloccius P. IV. *Biblioth. Rabb. p. 412.* laudat שמעון בן ירוקים R. SIMEONEM ben Joachim vel Jehojakim, cujus in Esram, Nehemiam & Paralipomena commentarium Venetiis dicit excusum apud Bombergum. Huc quoque Don JOSEPHI filii Don David Abhen Jechija נחמן יחיאל sive Commentarius in V. Megilloth & Hagiographa: nec non R. ISAACI bar R. Salomo Jabez תורת וסדר *Lex Misericordiae* s. expositio super Hagiographa & Megilloth pertinet, cujus utriusque jam superius suo loco facta est mentio.

E nostris JOH. BRENTIVS T. II. *Opp. p. 111.* tria priora ^{Latberani:} capp. Nehemiæ perquam utilibus illustravit *annotationibus*, nec tamen ulterius perrexit: ERASMVVS SARCERIVS, ut quamplurimos alios, ita & hunc librum *Scholii* suis declaravit: nec eum in Tabulis suis præteriiit CYRIACVS SPANGENBERG, ad præced. Esdræ librum jam allegatus.

Amplior longe Pontificiorum in h. l. commentatorum numerus ^{Pontificii:} est, in quibus THOMAS de VIO CAIETANVS est: ADRIANVS CROMMIVS: DIONYS. CARTHVSIANVS: JOH. FERVS: THOMAS MALVENDA: JOH. PAVL. OLIVA: NICOL. LOMBARDVS: quorum omnium creberrimam in præced. mentionem fecimus: cum primis vero CASPAR

Xx 3

SAN-



De libro
Nehemiæ.

SANCTIVS laudem meretur, cuius in Nehem. commentarius illis in Ruth, Ezram, Tobiam &c. junctus prodit Lugduni in fol. A. 1627.

Reformati:

Ex Reformatis nominari hic cum primis merentur LVDOV. LAVATERVS, cujus LVIII. in Nehemiam homiliæ plenum commentarium exhibent, paulo post autoris obitum a Joh. Gvil. Stuckio Theologiæ Professore Tigurino A. 1586. in 4. editæ, præmissa autoris vita: FRANC. BYRMANNVS, cujus Sermones Belgico conscriptus in h. l. Commentarius Regum, Chronicorum & Esdræ libris junctus Amstelodami prodit A. 1694. in 4. germanice versus Francofurti A. 1695. VICTORIN. STRIGELIVS, scholiis in Lib. Nehem. Lipsiæ in 8. A. 1575: JOH. WOLFFIVS, cujus Nehemias de instaurata Hierosolyma, seu commentarius in Librum Nehemiæ Tiguri in fol. A. 1570. lucem vidit: CHRISTIANVS SCHOTANVS, qui *T. II. Bibliothecæ Hist. Sac. V. T. p. 113. sqq.* ubi de rebus Judaicis sub Monarchia Persarum agit, Nehemiæ gesta librumque ordine exponit, vel saltem *παραφράσεις*: & inter Anglos GVILIELM. PEMBELIVS, cujus explicatio locorum obscurorum ut ex Ezræ, Daniele & prioribus decem capp. Zachariæ, sic & ex libro Nehemiæ, in Operibus ejus Anglic. legitur Londini in fol. A. 1658. JACOBVS PILKINGTON, Episcopus Dunelmensis, qui anglico idiomate commentatus est in Nehemiam A. 1562. in 8.: & JOSEPH. HALL der Biblischen Geschichte P. II. p. 1250—1290.

Remon-
strantes.

De JOH. CLERICI Remonstrantium Professoris Amstelædamensis in omnes libros Historicos, & in his quoque in Nehemiam Commentario jam supra dictum est.

CAP. XX.

De libro Estheræ.

Summari-
um capitis.

Libri inscriptio מֶגִּילֵּת אֶסְתֵּר ἐσθηρῶν vocatur. Sedes ac ordo, in codicibus Hebraicis juxta ac Græcis & Latinis §. 1. Esthere profapia; nomen Hadassæ, ad quod Zach. I, 8. non respicitur, & Esthere: educatio apud Mardocheum: forma præstantia: typica præfiguratio. Esthere Polonica, Judæorum Patrona §. 2. Esthere maritus Abas verus certis characteribus dignoscendus; isq. non Astyages: non Darius Medus: non



non Cambyſes: non Artaxerxes Longimanus: non Mnemon: non Estheræ.
 Oebus, ſub quo nimium provecſta ætas Mardocheo eſſet tribuenda, in
 captivitatem ex Judæa primo translato: non Darius Hyſtaſpis: ſed
 Xerxes: de quo Judæorum fabulæ & Chriſtianorum Doctorem allego-
 ria §. 3. Scriptor libri, aliis Eſdras, aliis Jojakimus, aliis Synagoga
 magna, aliis Mardocheus. Certe non Scriba principum Judaicorum:
 non Helleniſte Judæi: non ipſa Eſther §. 4. Argumentum libri, ve-
 ram hiftoriam non fabulam tradens, quod per calumniam b. Luthero
 imputatur. Scopus. Utilitas §. 5. Autoritas Canonica, agnita He-
 breis & Patribus Eccleſiæ primitivæ, aſſerta, & a quatuor objectionibus
 vindicata; a b. Luthero quog, in dubium nunquam vocata §. 6. Qua
 tamen non gaudent apocrypha illa ſupplementa, vel Partes in
 Eſther §. 7. Chronologia §. 8. Partitio §. 9. Tabula Synopti-
 ca §. 10. Commentarii Patrum, Rabbiorum, Lutheranorum, Pon-
 tificiorum, Reformatorum, Remonſtrantium §. 11.

§. I.

Librum Hebraei מְגִלַּת אֶסְתֵּר volumen Eſther, Græci & Latini Inſcriptio.
 ſimpliciter ἐσθῆρ, vel ap. Clem. Alexand. l. 1. Stromat. ἐσθῆρ,
 Eſther inſcribunt, quod præcipuæ in univerſa hac hiftoria Eſthe-
 ris ſunt partes, quæ in tori regnique conſortium ab Ahaſvero
 adſcita, univerſam gentem ſuam, Hamanis malitia ac technis certo peri-
 turam, divino beneficio ſervavit. Idem ergo hic, quod in libello Ruth
 jam obſervavimus, uſu venire videmus, ut ab argumento & principe ejus
 perſona, nomen libro imponatur. Recte autor Synopſeos T. II. Opp.
 Athanaſii p. 101. ΕΣΘΗΡ. ἔτι καλεῖται τὸ βιβλίον, ἐπεὶ καὶ τὴν περὶ
 τῆς Ἑσθῆρ ἱστορίαν περιέχει, πῶς ὁ θεὸς δι' αὐτῆς, μέλλοντας ἀπολλύσθαι
 παγγενὴ τὰς Ἰουδαίους, αὐτῆς μὲν δίδωσιν, τὸν δὲ Ἀμάν, τὸν θελήσαντα
 ἐπιβεβαῦσαι ἐπ' αὐτῆς. Sic vocatur hic liber, quod hiftoriam de Heſther com-
 plectitur, quo modo per illam Deus univerſam Judæorum gentem jam jam
 perituram ſervaverit, & Amān, qui excidium illius inſidioſe machinabatur,
 percufferit. Ut adeo mirum non ſit, ut viſum fuit Oliver, Bonartio, Hie-
 ronymi inhærenti veſtigiiis, hunc æque ac Ruthæ & Judithæ librum, a
 fœmina in fronte nomen fuiſſe ſortitum. Quanquam vero in V. Me-
 gilloth cenſu, hic noſter Judæis ultimo loco veniat, de quibus ſupra c. XI.
 §. 1. p. 196. diximus: præ ceteris tamen & καὶ ἐξ ἑκχλῆν ἡ מְגִלַּת אֶסְתֵּר volumen,
 abs-



De libro
Estheræ.

Sedes ac
ordo.

absque addito appellant recutiti, haud alium quam nostrum intelligunt librum, quod a primis inde temporibus seorsim ille, & peculiari volumine, in Synagogæ & festi Purim usum, & quidem sine ullis distinctionum, notis, consignari consueverit, quali antiquissimo exemplari se gavisum Buxtorffius memorat *de orig. Punct. p. 49.* & nitidissime in membrana picto & circumvoluto Wagenfeilianam instructam me vidisse Bibliothecam probe recorder. Eundem porro Hebræis sæpe מגלת אסתר *libellum Abaseri* vocari Scipio Sgambatus tradit *Archiv. V. T. lib. II. Tit. LXI. p. 392.* Ceterum pro codicum diversitate, diversam quoque in ordine librorum Biblicorum sedem nactus est ille. Hebræorum alii, V. Megilloth Pentateucho statim subnectentes, post Coheleth Josuæ eum præmittunt, ut in Bombergii editionibus Venetis A. 1521. 1528. in Nisseliana Lugdunensi A. 1663. aliisque factum: alii suo loco inter כתובים sive Hagiographa referentes, inter Coheleth & Danielem medium faciunt, ut in Buxtorffianis Bibliis Basileensibus, & recentioribus Leusdenianis & Francofurtensibus videmus. A Græcis quibusdam, velut Athanasio in *Synopsi* post Prophetas omnes in proximum ante Juditham & reliquos Apocryphos locum rejicitur. In Vulgata Latina post IV. Esdræ libros Tobiam & Juditham sequitur, Jobum autem cum reliquis Poëticis libris proxime antecedit; quem quid in ordinem in Concil. Trid. Sess. 4. quoque servatum Bonartius *Præloqu. III. Comm. in b. l. p. 7.* ex eo capite tuetur, quod valde probabile sit, hoc pacto ordinem temporum teneri, quo historia Estheræ contigit; siquidem multorum doctorum virorum judicio res gestæ ab Estheræ posteriores sint tempore Judithæ, & de Holoferne victoria, unde etiam merito liber Esther volumen Judith subsequatur. Verum hoc pacto Canonici cum Apocryphis temere permiscerentur, & Judithæ liber, nec Propheticus, neque Canonicus, nostro divinam in Canone auctoritatem obtinenti, anteponitur. Quare rectius b. Lutherus in Germanica versione Nehemiæ statim subjunxit, loco perquam conveniente, quod ad eandem aut proximam tamen temporum periodum hæc historia pertinet, ut adeo ultimum in libris historicis V. T. locum teneat, licet Nehemiæ liber se longe protendat ulterius, qui tamen ab Esdræ historia, quæ inde a Cyri orditur imperio & ad Artaxerxem pergit, divelli commodè non poterat.

Estheræ
propheta:

Illa vero Esther quæ fuerit, & cujas, dispiciendum nunc paulo est curatius. De cujus quidem genere & ortu dubitare nos non sinit Scriptura,



ptura, quæ Esth. II, 15. coll. cum v. 4. **בִּתְאֶכְיָאֵל** *filiam Abichailis* Estheræ, dicit, qui de tribu Benjamin oriundus, **אֲבִי** *patrius* erat Mardochæi, qui utroque parente orbam in curam suam tut. lamque accepit puellam, & liberaliter habuit. Nomen ipsi erat gëminum; alterum a Parentibus haud dubie inditum, **הַדַּסָּה** *Hadassa*, in Vulgata *Edissa*, Drusio & aliis, *nomen Hadassa*, sed perperam, *Atossa*; quod *Targum secundum Esth. II, 7.* interpretatur: *dassa*, **נֹחַדַּסָּה** *quasi dicas: myrtus*, & sic appellari tradit ideo, quod esset iusta: iustos enim in scriptura cum myrto conferri; & addit: *Prourrica ascendet myrtus* (Jes. LV, 13.) *sic pro regina Vasti regnabat Esther: & mox: nam sicut myrtus non arescit æstate vel hyeme, sic iustus est pars in seculo hoc & in seculo futuro.* In *Medrasch Megilla Esth. II, 5.* alia adhuc nominis ratio redditur, ita quippe vocari Estheram, quod odor myrti dulcis sit, sed gustus amarus: sic Estheram suavem fuisse Mardochæo, at amarum Hamani. Confer Buxtorffii *Lex. Talm. p. 154. & 597.* Ut nesciam, quid sibi cum Rabano velit *Glossa Ordin.* cui Edissa idem est ac *miseri cordiam consecuta*, & ecclesiam gentilium, collato Os. I, 10. præfigurat. Neque tamen evictum hinc satis est, quod *Zach. I, 8.* per myrteta, inter quæ vir super equo rufo Prophetæ apparebat, Hadassæ nostræ nomen, mores, familia & familiares designentur, ipsaque sub idem vixerit tempus, quo Zacharias istud oraculum percepit; ut est ap. Corn. a Lapide, Jacob. Tirinum, aliosque Pontificios in cit. loc. *Zach.* interpretes. Ex quorum mente inter myrteta, id est, inter Estheræ familiares & assecclas, Mardochæum, Esdras, Nehemiam, Zorobabelem, Jesum filium Josedec, stabat cum suis comitibus ecclesiæ præses & princeps Michael, novum de cælo illis beneficium significans, & per hanc familiam toti genti Judæorum, connubium scilicet cum Ahasvero, & liberationem populi sui a tyrannide & calumniis Hamanis. Licet autem per myrteta humilem pressamque ecclesiam, & per myrtos fideles symbolice significari, interpretes nostri b. Jo. Tarnov. *Comm. in Proph. Min. p. 1337. 1345.* b. Jo. Schmidius in *Proph. Min. p. 1383.* b. Calov. *Bibl. Ill. T. II p. 924. sq.* largiantur, fusiusque per tertia comparationis declaraverint; tamen nec angelum creatum ecclesiæ præsidem, sed Christum intercessorem apud Patrem Prophetæ colloquutum esse, solide demonstrant; nec tam beneficium in Chaldæa vel Perside, quam in terra sancta Judæis exhibendum promitti, ex ipso contextu declarant. Unde Ribera Pontificius, quanquam pro Michaelle creato ex hypothese ecclesiæ suæ sententiam ferat, per myrteta tamen *viros iustos, qui erant in Judæa, & qui relictæ erant Babylone*, intelligere mavult, *utrorumque enim*

Yy

curam



De libro
Estheræ.
Estheræ:

curam gerebat hic angelus. Comm. in Proph. Min. p. 640. Sed hæc ὡς ἐν
παροῖα. Alterum nostræ nomen cum nova dignitate impositum a
Persis, quibus nominum mutatio, ut ex Danielis exemplo apparet, solen-
nis erat & frequens **שְׁתֵּר** stellam notat, & in secundo Targum c. II. Esth.
7. per stellam Veneris explicatur, quæ **שְׁתֵּר** Græce dicitur
ἀστὴρ. Huc spectat, quod Scip. Sgambatus Lib. II. Archivor. V. T. Tit.
LX. p. 389. observat: quidam hoc nomen Esther idem esse dicunt, quod apud
Græcos ἀστὴρ, & volunt ab Ethnicis Estheram in Deos relatum, ipsamque esse
Astræam, quæ gladium vindicem vibravit, opportunitate capta e. Græcis ver-
bis (c. IX, 31.) καὶ Ἐσθήρ λόγῳ ἐσησεν εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ ἐγγράφη εἰς μνη-
μόσυον. Et Esther sermone stetit in æternum, & scripta est in memoriam. Ac
si sermonibus scriptisq. in cælum relata, & sideribus addita, æternitatem glo-
ria consecuta sit. Stellam autem vocari tradunt interpretes a pulchritu-
dine corporis, & animi elegantia, quam cum stellis Orientales contem-
dunt, v. g. Cant. VI, 9. *Bellissime nomen astri regina nostræ adscribitur,*
inquit Bonartius *Comm. in Esth. II. num. marg. 41. p. 84. quæ in densissimis*
nebulis gentilitatis & foedisissimis Judaicæ calamitatis tenebris, tanquam ful-
gentissimum sidus apparuit. In Medrasch Jalkut in hanc historiam fol.
171. col. 1. paria traduntur: sed & alia vocis originatione a **סתר** quod est
occultare, affertur, **שְׁמִסְתֵּר** quia occultabat verba sua, ut dicit Scriptura
(Esth. II, 20.) Esther autem non indicaverat cognationem suam. Quæ li-
cet Judaica potius sit allusio, in Glossam tamen fuit adscita, quæ: Hester,
inquit, dicitur absconsa: nec improbat hanc derivationem Joh. Henr.
Ursinus de Zoroastre Sect. 4. p. 23. & cum præcedente stellæ notatione
combinat, cum & stellæ suæ habeant latibula, & interdiu abscondant se
omnes. Posset hoc illustrari, quod ab abscondendo Hebræis virgo
עלמה dicatur, quasi abscondita, quod magna diligentia veteribus virgines
absconderentur, & ab omni fere virorum accessu prohiberentur, ut solide
ac erudite demonstravit Huetius *Dem. Ev. Propos. IX. cap. IX. §. 2. p.*
763. sq. & ex Basilii tract. περὶ τῆς ἐν παρθενίᾳ ἀληθῆς ἀφθαρσίας T. I Opp.
p. 609. constat, virginibus prodire in publicum, priusquam desponsæ ma-
ritis essent, non licuisse. Huc itaque faceret, si verum esset, quod ex
Jalkut in Esther. nu. 1053. refert Scip. Sgambatus c. l. p. 386. quod abdide-
rit se Esther, ita ut nulli hominum conspiciendam se daret annis XXIV. Quo
haud dubie Victorin. Strigelius respexit, cum Schol. in Esth. p. 121. inquit:
fortassis abscondita nominata est, quia non prodit in publicum, ne forme
struerentur insidie. Sed si dicendum quod res est, Persica omnino non
Hebræa



Hebræa est vocis origo. Hinc alii demum a *felicitate* vel *fortuna* ita dictam cupiunt, quam Persas vocabulo *starch* designare Castellus notavit. *Lex. Heptagl. col. 329.* Ceterum Judæorum nœniæ sunt, quas præter *educatio*: Scripturæ fidem in *Bereschith Rabba Sect. XXX.* (quam Jalkut in *sectionem Noë* refert) Rabbini blaterant, quod Mardochæus Estheræ posthumæ, & matris etiam obitu in lucem editæ, postquam nutricem diu frustra quæsisset, divino præter sœtutem naturæ ordinem munere dotatus, virile pectus præbuerit, suoque illam lacte nutritur. Eodem censu veniunt, ipsorum nugæ, quando Mardochæum illam uxorem duxisse fabulantur, insigni fontium corruptione, qua Esth. II, 7. pro: *accepit eam לְבֵיתָא* in *filiam*, substituunt *לְבֵיתָא* domum duxit, in quo confutando figmento prolixus est Jul. Bartoloccius *P. III. Biblioth. Rabb. p. 455.* nervosior vero & concisior Drusius *annotat. in lib. Esth. p. 78.* Firmiori nituntur talo, *forma*: quæ de præstanti puellæ forma Sacra pagina disserit, *וְהָיָה מִרְאָהּ* *יִפְתָּהּ תֵּאֵר וְטוֹבָה מִרְאָהּ* quod *puella formosa specie & pulchra aspectu* fuerit, ubi rursus supra quod scriptum est sapiunt Rabbini, ita eam in Jalkut *num. supra cit.* ex antiqua traditione describentes: *הָיְתָה בִּינִית לֹא אֲרוּכָה וְלֹא קֶצֶר וּרְקִיקָה הָיְתָה וְחֹשׁ שֶׁל חֹסֶר מִשְׁךְ עָלֶיהָ* *Mediocris erat statura, nec procera, nec brevis, pallidula* (subviridem, subfulvum alias colorem vocabulum notat ap. Buxtorff. *Lex. Hebr. Min. Rad. יִרְקָה* & *filum gratia extensum super ipsam.* Reliqua ipsorum commenta scientes prætermittimus: Patrum vero & Christianorum Doctorum encomia, quibus Estheræ formam pariter ac virtutes ornarunt, collecta vide ap. Bonart. *sub finem præloquiorum Comm. in b. l. p. 13. sqq.* & recentissime ab Autore *Personal. Mardochai & Esther cap. XI. p. 97. & cap. XII. p. 107.* Mirum autem non est, illam formæ pulchritu line reliqua sui sexus decora longe antecellentem, inter alias virgines in Gynecæum accersitam, Regique præ ceteris tori sociam fuisse lectam; quam fidem denuo excedit, quod Judæi in *Bereschith Rabba* fabulantur, jam quadragenariam aut eo majorem fuisse, cum ad Ahasverum duceretur. Sed de ipsius matrimonio mox ex instituto dicemus. Istud cum *typica præfigura*: primis laudi ipsi est, quod typum & figuram præbeat, non quidem *Maguratio ecclesiæ*: virginis, ut Pontificii interpretes Corn. a Lapide *Comm. in Esth. p. 142. sqq.* Oliver. Bonartius *Comm. in c. XV. num. marg. 81. p. 424.* Sanctius *Comment. in b. l. p. 357.* Nierembergii *Strom. XIV. Lib. 3. cap. 12. sqq.* & alii passim pertendunt: sed ecclesiæ cum primis, quam ratione orbitatis, pietatis, castitatis, venustatis, protectionis porro, exornationis,



De libro
Estheræ.

cognomi-
nis in Polo-
nia Estheræ.

nis, & in thronum regium elevationis, præfigurasse D. Christiani Matthiæ *Theatr. Hist.* p. 307. & ex S. Prospero Nieremberg. *cit. loc. c. 14. p. 417.* demonstrat: quodque alia suppetit Christianismi nostri symbola, quæ Autor *Personal. ejus* collegit c. XIV. p. 146. sqq. Istud obiter adhuc ob-
servo, tactum quoque leviter a Grotio in *prolog. in b. l. Regis Poloniæ* Casimiri III. Magni concubinam Judaicam, nomine Estheram, seculo XIV. multum contulisse, ut tam præclara Judæis in Polonia privilegia indulgerentur, teste Hübnero *quest. Histor. P. IV. p. 508.*

III.

Estheræ
maritus A-
hasverus.

Maximi vero momenti quæstio est de Ahasvero, Estheræ marito, quæ solide discussa universæ libri Chronologiæ, tum & reliquis historiæ circumstantiis lucem affundit: sed adeo perplexa illa, & variis interpretum sententiis implicata est, ut perlectis omnibus propemodum, ex b. D. Pfeifferi judicio, usurpare queas Terentianum illud: *Fecisti probe: incertior sum multo, quam dudum.* Qui enim שֵׁשְׁתָּרֵם nostro auctori salutatur, distinctum quidem ab Ahasvero, inter Cyrum & Darium intermedio, & acerrimo Judæorum hoste Esdr. IV, 5. 6. tum quoque in Persia rerum potitum fuisse, ex Esth. I, 14. 18. 19. satis manifestum est: quem vero in ordine Regum Persarum teneat locum, & quo in profana historia nomine veniat, vix Oedipus quis dixerit. Nos ut in compendium mittamus, quæ alii prolixè disputant, certos observabimus characteres, & notas veluti diacriticas, quibus conspicuus Ahasverus noster, cum demum e Regibus Persarum respondere sibi evincet, in quem eadem quadrare constabit requisita. Sunt autem, α) latissimum ejus imperium, ab India ad Æthiopiam patens, Esth. I, 1. β) favor in Judæos plane singularis, anno regni demum duodecimo incipiens Esth. III, 7. γ) ætas Mardochei congrua, translata adhuc e patria in captivitatem, sub Jechonia Esth. II, 6. δ) Senatus summus septem Persiæ principum Esth. I, 14. ε) Regina Judæa: ζ) parallelismi ex Ctesia, Herodoto, aliisque profanis scriptoribus cum Σαρπηδών nostro collati, quos Scaliger cum primis & Dion. Petavius studiose observarunt. Hinc itaque non *Astyages* apparet, frustra esse, qui I. cum Gerh. Mercatore in *Chronol. Temporario lib. III. Demonstr. Chron.* p. 185. Rud. Gualthero *homil. I. in b. l. p. 2.* & Melch. Cano *L. II. LL. c. 6.* Cyri Socerum *Astyagem* hunc nostrum esse, cupiunt Ahasverum, cujus tamen tam late nunquam patuit imperium: non *Darius Medus* frustra quoque, qui II. vel *Darium Medum*, vel *Cambysem* Estheræ faciunt maritum, & posteriorem cum primis, Esdr. IV, 6. Ahasverum appellatum,



latum, cum nostro confundunt, quod Judæi tradunt in *Seder Olam Rabba* Estheræ. *c. 29. edit. Jo. Meyeri p. 86. & in Seder Olam Suta edit. ejusd. p. 108.* in eandem descendantibus sententiam Lyrano, Vatablo, Genebrardo; cum tamen prior ille post subjectam sibi Babylonem, dilatatosq; imperii fines, vix duobus annis adhuc rebus interesset humanis, posterior vero in universum saltem septem annis imperium tenuerit: frustra, qui III. ad Artaxerxem aliquem, vel Longimanum, cum Josepho *Lib. XI. Antiq. c. 5.* Sulpicio Severo *Lib. II. Hist. Sac. c. 14.* (ubi Artaxerxem secundum appellat, sub quo Hierosolyma est restituta, primum enim Cambysem dixerat) Petavio *Lib. XV. de Doctr. Temporum c. 27.* Joh. Menochio *annot. ad b. l. Saliano T. V. Annal. A. M. 3590. a num. 2. & deinceps,* Joh. Lightfoot *Chron. Tempor. V. T. T. I. Opp. p. 137. sqq.* & Joh. Clerico *Comm. in Esth. I. 1. & Tab. III. Chron. ad A. M. 3476.* vel Mnemonem cum Hieronymo in *Ezech. IV.* Eusebio, Beda *de 6. mundi etat. ad A. M. 3588.* vel Ochum denique cum Serario, Gordono Huntlaeo, & Lud. Capello *Chronol. S. Tab. XI. ad A. M. 3743.* Estheræ matrimonium referunt; cum tamen & nomen Artaxerxis semper in Scriptura S. Arthasasta, nuspiam vero Ahasverus reddatur, (Ahasveri enim & Arthasastæ nomina ejusdem viri, & Hebraice idem esse, *מְעַשְׂתָר אֲחַשְׁתָּר* existimo Scip. Sgambati *l. c. Tit. 61. p. 392.* & autoritate Græcæ versionis nondum satis evictum;) & gravissima hanc sententiam circa Mardochei ætatem difficultas premat, quem si quinquennem saltem fuisse dixeris, cum deportaretur Babylonem, sub Longimano minimum 150. sub Mnemone 200. sub Ocho 250. habuisse annos, necesse erit. Cujus quidem vim argumenti ut eludant sententiæ Patroni, non de Mardocheo translationem, sed de proavo ejus Kis intellectam volunt, quem relativum *qui Esth. II. 5. 6.* proxime respiciat, ut Cajetanus, Nicol. Serarius, & Joh. Clericus *Comm. ad b. l.* vel Mardocheum non in propria persona, sed in suis parentibus abductum existimant, ad eum modum, quo Gen. XLV, 27. Deut. X, 22. in illis 70. animabus, quæ cum Jacobo in Ægyptum descendisse leguntur, etiam duo filii Joseph in Ægypto nati comprehenduntur, ut Salianus, Sa, Steph. Menochius, Tornicellus *Annal. ad A. M. 3456 & 3590.* & Pererius *lib. X. & XIII. in Daniel.* Verum nimis luculenta verba textus sunt, quam ut vel de parentibus, vel ipso, sed in Parentum lumbis, intelligas: si enim in captivitate natus, cum Jechonia sane deportatus dudum in captivitatem dici nequit, & cum temporis articulum aliquem, hac observatione addita, indicare Spiritus S. voluerit, nihil egisse videbitur, si avum aut proavum ejus translatus dixisset,



De libro
Estheræ.

nōn Darius
Hystaspis:

de quo alias per se constabat, si noster in Persia lucem demum aspexisset. Unde literæ claritate conuicti Sanctius & Bonartius, in propria persona deportatum fuisse Mardochæum fatentur. Superest itaque, ut vel Xerxi, vel Dario Hystaspidi Estheræ conjux ad latus jungatur. Et pro Dario quidem sententiam ferunt Suidas in dictione Ἀμάρ, quem προσωστὰ vocat Ἰων βασιλῆος πρεσβυτέρων Δαρσίς, Jac. Tirinus *annot. ad b. l. Nierembergius Strom. Sacr. XIV. Lib. I. cap. 20. sq. p. 360. & Lib. II. cap. 34. p. 403.* Lud. El. du Pin *Dissertat. Prelim. in Biblioth. Autor. eccles. b. l. p. 89.* Jac. Usserius *Annal. V. T. ad A. M. 3485. T. 1. p. 160. sqq.* Frider. Spanhemius *T. I. Opp. p. 401.* cum primis vero b. Lutherus noster, b. Calovius in *Chronico Bibl. T. I. Bibl. Ill. p. 116. & T. II. p. 669.* b. Brentius *Comm. in b. l. T. II. Opp. p. 115.* & Funccius in *Chronol. ad A. M. 3445.* Estheram nostram eandem esse dicentes cum Avossa Darii conjuge, quod in ejus temporæ ætas Mardochæi optime congruit, idemque hujus Regis benignitas in Judæos, alibi quoque decantata, commoratio in Susis, diuturnitas imperii, uxorumque pluralitas sva det; nec diffiteor, minimis hanc sententiam, chronologiæ ac temporum respectu, incommodis preui, ut eidem subscribere nullus dubitarem, nisi nomen obstaret. Nullum enim Darium in Scriptura legas Ahasverum nuncupari, cum creberrima tamen nominis דָּרְיוֹשׁ Darii mentio fiat, Esdr. IV, 5. 24. V, 5. 6. 7. VI, 1. 12. 13. 14. 15. Nen. XII, 22. Dan. V, 31. VI, 1. sqq. IX, 1. XI, 1. Hagg. I, 1. II, 1. 11. Zach. I, 17. VII, 1. Ahasveri autem commune apud Persas omnibus Regibus nomen fuisse, ut Pharaonis apud Ægyptios, nondum evictum satis est. Duos enim in Scriptura Ahasveros tantum legimus, Cambysem & hunc nostrum, reliqui Persarum Reges suis quisque nominibus propriis insigniuntur; quod secus fit circa reges Ægypti, qui omnes in Scriptura Pharaones dicuntur. Et qui factum demum fuerit, aut quæ ratio, ut cum Darii, nomine suo proprio ubivis in Scriptura, a diversis licet scriptoribus, designentur, in libro Estheræ tamen id nec fiat ullibi, nec indicio ullo prodatur, Ahasverum eundem cum Dario esse? Quæ vero de Avossa afferebantur, historiæ profanæ reclamant, quæ illam Cyri dicunt filiam: cetera de sede regali Susis constituta, favore in Judæos, diuturnitate imperii, uxorum pluralitate, in alios nonnullos Persarum reges non minus, quam in Darium quadrant. Quare salva tantorum nominum autoritate, Xerxem tandem Estheram in tori regniq. consortium adscivisse statuimus, sententiam secuti Joh. Scaligeri *Lib. VI. Emend. Temporum,* & in animadversionibus Eusebianis p. 101. 103. Drusii in *annot. in Esther. & ad loc.*



loc. Sulpic. Severi *supra cit.* Christ. Schotani *Biblioth. Hist. Sac. V. T. T. II.* p. 1178. Burmanni *Comm. in b. t.* Jac. Bonfrerii in *Append. ad Cap. VII. Proloqu. in Script. S.* p. 1071. & e nostratibus b. Gerhardi *Exeg. Loc. I.* §. 132. b. Waltheri *Offic. Bibl.* §. 887. b. Strauchii *Breviar. Chronol. Lib. IV.* c. 27. qu. 4. p. 814. b. Pfeifferi *Dub. Vex. ad Esth. I.* 1. qu. 2. p. 482. b. Danhaweri *Idea Boni Interpr.* p. 157. aliorumque, diversalicer in subsidium adhibentes argumenta. Quod enim nonnulli cum Scaligero nominum Ahasveri & Xerxis identitatem urgent, ridiculum sane videtur: nec minus certum, imo manifesto falsum, Estheram eandem esse, nomine & persona, cum uxore Xerxis, quam Amestrem Herodotus appellat, cum illa Judaicam, Amestris gentilem agnoscat originem, illa pietate & legis observantia celebris, hæc crudelissima, ex edito plusquam tyrannico in Masystæ uxorem facinore, feratur. Sit itaque licet Ahasveri nomen, sit quoque cum Esthera conjugium, Herodoto & profanis scriptoribus ceteris, in vita Xerxis incognitum vel silentio prætermisum, ut pleraque reliquorum Medorum Persarumque Regum nomina & facta in sacris literis celebrata: congruunt tamen characteres, supra a nobis observati. Congruit nimirum α) regni amplitudo, quæ tanta Regum nulli quam Xerxi obtigit, iisdem pene verbis ab Herodoto *Lib. VII. c. 9.* descripta: Σάκας μὲν καὶ Ἰνδῆς, καὶ Αἰθιοπίας καὶ Ἀσσυρίης, ἅλλα τε ἔθνη καὶ μεγάλα, δύναμιν προσκλιθεὶς καλέμενοι, κατεστραφεῖσιν ὁ δὲ λαὸς ἔχουσιν. β) temporis ratio, annus regni tertius Esth. I. 3. Secundo namque anno a Darii morte Ægyptus subjugata est, qua Xerxes poritus, consilium principum Persicorum, ut de bello Græciæ inferendo deliberarent, convocavit ap. Herodot. *lib. VII. c. 7. & 8.* & convivium, ob diuturnam deliberationem longe protractum, in quo Vasthi Regina repudiata est, celebravit Esth. I. Herodot. *lib. IX. c. 109.* Hac deliberatione peracta, Xerxes expeditionem in Græciam suscepit, indeque reversus, anno regni septimo, Estheram duxit: γ) ætas Mardochei provec̃ta jam quidem satis, neque tamen fidem omnem excedens: δ) Senatus septem Principum Medo-Persicorum, a Magophonis institutus, ut Regi semper in consiliis adsint. Esth. IV. 14. Herodot. *lib. III. c. 84:* ε) Lex de non adeundo rege, nisi quis ab eodem fuerit vocatus Esth. IV. Herodot. *lib. III.* Reliqua argumenta ap. Scaligerum ejusque sequaces vide. Nec habent secus sentientes, quod in medium prolatis jure opponant, nisi tum incommodam, nominum conciliationem, quam ipsi supra repudiavimus, tum quod anno septimo & sequenti, gravissimo in Græcia & Jonia bello implicatus

Xer-



De libro
Estheræ.

Judæorum
de ipso fa-
bula.

Christiano-
rum allego-
ria.

Xerxes, Estheram alta pace Susis duxisse, aut amoribus indulgisse dici ne-
queat. Sed cur non? Sexto enim anno (quadriennium nempe in appa-
ratu belli insumtum, & quinto demum anno bellum illatum Græciæ fuit)
bello ipse interfuit, sed exiguo tempore. Cum enim res ex voto non
succederent, relicto in Græcia Mardonio, regressus Xerxes Sardibus hye-
mavit, verno autem tempore Susas reversus Estheram duxit, anno 7. re-
gni, mense Thebet, qui decimus est Esth. II. Sed hæc sufficiant. Quæ
de cetero a Judæis Ahasvero nostro affinguntur, obtinuisse imperium di-
midium in orbem; optasse vehementer, regiam sibi sedem fieri similem
ei, qua Salomon jura dans sedebat, nec id ullo tamen cujusquam artificio
consequi potuisse; cum Esthera, antequam Judæam esse cognosceret,
interprete adhibito semper locutum, velut affatum ac sermonem exteræ
dedignaretur, at postquam id resciverit, sine interprete cum ea sermonem
contulisse, quod Hebræus sermo magno apud omnes esset in precio; &
id genus commenta alia fabulosum gentis superbæ genium spirant. Idem
vero cum a nostratibus, mox Deum Patrem typice referre, mox sceptrum
ejus aureum Evangelium adumbrare dicitur, ut est ap. D. Christ. Matthiæ
Theatr. Histor. p. 306. 309. & cum primis apud Nierembergium *Strom. XIV*
lib. III. passim, id forte longius petatum, & summa cum cautione adhi-
bendum est, ne plus justo allegoriis indulgentes, veritatem cœlestem lu-
dibrio exponamus.

IV.

Scriptor
libri.

vel Esdras

vel Jojaki-
mus:

Æque autem incerta, sed minus ponderosa, de scriptore libri quæ-
stio agitur inter eruditos, qui pro sententiarum, quod faciunt, divortio
in quatuor veluti familias abeunt ac sectas. Esdræ enim acceptum,
referunt Augustinus *Lib. XVIII. de Civ. Dei c. 36.* & Isidorus, qui *L. VI.*
Origin. c. 2. p. 45. F. *Hæster librum*, inquit, *Esdras creditur conscripisse.*
Eusebius vero in *Chronicis A. M. 4734.* quem huc citari quoque video, li-
bri hujus autorem Esdra fuisse posteriorem arbitratur, quod hanc histo-
riam, ad Artaxerxis Memoriam tempora a se relatam, post Esdræ demum
fata contigisse credit, nec vero censet simile, tam celebrem historiam præ-
termisurum fuisse Esdram, suis illa temporibus si evenisset. B. Gerhardus
tamen *Lib. II. Conf. Cathol. Art. I. c. I. Sect. poster. p. 39.* illam de Esdra
sententiam comprobatur, quod *Esdras V. T. canonem constituisse, i. e. cano-
nicos libros in unum volumen collegisse, consentiens est Hebræorum & Chri-
stianorum sententia.* Contra vero ea, Jojachimum Pontificem Hebræo-
rum Jesu, sacerdotis magni filium, adhortante eum per literas Mardo-
chæo,



chæo, librum scripsisse perhibet non Pseudo-Philo tantum in *Chronographia sua*, sed R. Azarias quoque in *מרי בינה* cap. 2. vel *fojakim* ubi ex Iedidæo Alexandrino refert: *והיו יויקים בנו שב שנית לכהונתו הגדולה משך ארבעים ושמונה שנים עד שנת שנים עשרה לאחשורוש ארתחשסתא הגדול וזה כתב מגלת אסתר:* *Tunc Iojakim filius ejus (Iesu) repetiit summum suum sacerdotium spacio quadraginta & octo annorum usque ad annum duodecimum Abasperi Artaxerxis magni. Et hic conscripsit librum Esther.* Rursus alii Synagogæ vel Synagoga magnæ libri scriptionem tribuunt, qui ex du-Pin judicio, inde *ga magna*: conjecturam capiunt, quod Festi Purim origo & cerimonia hoc libro traduntur, eumque in finem scriptus esse videatur: *Disserit. prelim. in Autor. Eccles. p. 23.* Est autem hæc sententia Talmudistarum, qui *tr. Bava Bathra cap. 1.* ita sanciunt: *אנשי כנסת הגדולה כתבו יחזקאל ושנים עשר דניאל ומגלת אסתר: Viri Synagogæ magna scripserunt Ezechielem, & duodecim minores Prophetas, Danielelem, & volumen Esther.* In quam præter alios, Iudæos cumprimis, petibus ivit Huerius *Demonstr. Evang. Prop. IV. de libro Esther §. 2. p. 371.* ubi hanc sententiam reliquarum omnium compendium censet: *Hac sententia superiores omnes fere continentur sententia, tum eorum, qui Esdræ, qui- que Mardocheum autorem agnoscunt; tum & eorum, qui Ioachimium, quippe qui Synagogæ interesse potuit, utpote Iosua Pontificis filius. R. Isaac ben Aramah in præfat. Comment. sui in Esther eandem ita declarat, quod viri Synagogæ magnæ rogatu Estheræ, e fastis Persicis historiam hanc in canonem transtulerint, Spiritu Sancto ipsos verum a falso discriminare docente. Verum si Synagogæ scripsit, certe non universa, sed per virum aliquem, harum rerum peritum, ex ordine suo exarasse dicenda est: quo pacto iterum ad unum aliquem deveniendum erit scriptorem; nisi forte ideo ad Synagogam referant, quod ejus & jussu & censura ac approbatione liber concinnatus sit, ubi tamen cavendum, ne qua *τῆς Συνεργίας* libri injuria inferatur. Longe ergo plurima pars & Hebræorum, ut Aben- Esra, & Christianorum Doctorum, Mardocheum scripsisse statuit, qui haud exigua libri pars est, & testis *αὐτόπης* rerum gestarum; maxime cum haud obscure id ipsum innui videatur Esth. IX, 20. 23. 26. scripsit itaq; Mardocheus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Judæos: suscep- runtq; Judæi in solennem ritum cuncta, quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardocheus literis faciendâ mandaverat. Et cuncta quæ gesta sunt, epistola vo- lumine continentur.* Ubi quidem Mardochei scriptio non tam de uni-

vel Mardo-

cheum:



non scribe
principum
Judaico-
rum:non Helle-
nistæ Judæi:

verso libro, quam de literis, rerum gestarum nunciis, & agendarum porro institutis intelligi potest, maxime cum, qui v. 20. *ספרי* libelli dicuntur, v. 26. per *תפארת* epistolam explicentur. Interim sententiæ huic pressè inhærent Clemens Alexandr. lib. I. *Stromat.* p. 329. ubi, cum de Mardochæo sermo fuisset, statim subjungit: *ὁ φέρεται βιβλίον, ὡς καὶ τὸ τῶν Μακκαβαίων*, *cujus habetur liber, sicut etiam Maccabæorum*: b. Dannhauer. *Hodosoph. Phenom.* 1. p. 49. *Libri Esther*, inquit, *scriptorem esse Mardochæi patet ex Esther. IX. 20. 27.* Sanctius *Comm. in I. Esdræ* p. 31. D. Bonfrerius *Append. ad Cap. VII. Præloqu. in Scr. Sac.* p. 1070. b. aliique complures. Nobis eorum placet modestia, qui cum b. Brentio, b. Calovio, aliisque in tanta conjectandi licentia nihil certi quidem, qua personam, definiunt, respectu temporis tamen ante collectum ab Esdra canonem exaratum librum censent, nec respectu originis supremæ, *θεοπνευσία* ullo reliquorum librorum Canonis esse inferiorem, ut facta testæ ejus constet auctoritas: quæ salva ac integra manebit, quamcunque ex præcedentibus eligas sententiā; e quibus tamen illa, quæ Mardochæum constituit autorem, reliquis palmam præripere videtur. Periculosa autem & veritati adversæ sunt opiniones recens confictæ, tum a Spinoza *cap. X. Tract. Theol. Pol.* p. 131. sq. quod hic æque ac Esdræ, Nehemiæ & Danielis, liber post reparatum demum a Iuda Macchabæo templi cultum & chronologia, sive annalibus sit excerptus, quos Scribæ sive historiographi principum Judæorum in secundo templo successive concinnarunt, quique injuria temporum perierit. *Et sine dubio hic ille est liber, (vide Esth. IX. 31.) de quo modo locuti sumus, ubi edictum Esteris & illa Mardochæi scripta erant, quemque cum Aben Hezra periisse diximus. Ex hoc igitur libro omnia, quæ in hisce (quatuor supra dictis) continentur, desumpta vel descripta videntur; nullus enim aliis ab eorum Scriptore citatur, neque ullum alium publicæ auctoritatis novimus.* Quæ ut eo faciunt, ut omnis hujus libri *θεοπνευσία* eludatur, nec fides ei humana & historica, utpote apographo, satis constet, sic meris nitantur conjecturis, eadem, qua adstruuntur, facilitate respuendis. Tum & conficta ab Autore *Bibliotheca Universalis* (quem Joh. Clericum & Acta Erud. Lips. A. 1687. p. 33. & publici omnium rumores ferunt) *Tom. III. A. 1686. p. 47.* quod per Hellenistas Judæos collecta fragmenta complectatur hic liber, quo pacto rursus & veritas ejus & *θεοπνευσία* periclitabitur. Quanquam deinceps in *Dissertatione de Scriptor. Libror. Historic. V. T.* Commentario præmissa §. 10. nihil definiat Clericus, sed *Libri Estheræ auctorem indicare velle perinde esse pro-*

pronunciet ac huiusmodi se profiteri: certum tamen, *stante imperio Persico* conscriptum esse, semperque ab Hebræis inter libros sacros habitum & admis-
sum. Conficta demum ex versionis Græcæ vitio, quæ quoniam c. IX, 19. non *Esther*.
ita legit: καὶ ἐγγράφην ἐδίδρυ ἡ βασιλισσὰ, θυγατὴρ Αἰνιβάδα, καὶ Μαρ-
δοχάου, ὁ Ἰσραηλῆς, ἀπέκτισαν, inde Nicol. Serarius & Oliver. Bonar-
tius *Comm. in b. l. præloqu. 4. p. 8.* perperam colligunt, Mardochæum,
& Esther operas suas simul ad libelli hujus scriptionem contulisse, & fuisse
in scribendo Estheræ quoque partes, quam tamen fontes subscriptione
forte nominis, מרדכי-ה-א-ת-ר-ה *omnem corroboracionem* literis, quibus Pu-
rim feriatio instituebatur, addidisse perhibent tantum, universo autem
libello huic operam suam impendisse, vel omnia gesta sua descripsisse,
omnino tacent. Conf. præter allegatos, de libri scriptore Vinc. Placcium
Theatr. Anonym. cap. I. n. V. p. 5. sq.

V.

Argumentum libri Hieronymus *Epist. ad Paulinum T. IV. Opp. p. 3. b.* ad hunc modum tradit: *Hester in ecclesia typo populum liberat de pericu-
lo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii & diem
celebrem mittit in posteros.* Historiam enim liber, Ahasvero, quem Xer-
xem diximus, rerum potiente gestam tradit, liberati a præsentissimo in-
ternecionis periculo populi Dei, ejus quidem, qui reditum in patriam
aspernatus, in Persarum ditione ac imperio perstitit; cui exitium mo-
litus Haiman, Estheræ reginæ & Mardochæi consiliis atque prudentia,
ignominiosa morte multatur, versaque rerum facie Judæis hostes inva-
dendi tollendique e medio potestas datur, condito in rei memoriam ac ad
persolvendas Deo grates, festo anniversario Purim. Merito ergo Pet.
Dan. Huetio vapularent Anabaptistæ ac b. Lutherus noster, si quod *de
origine fabularum Romanensium p. 25. edit. Lips.* ipsis impingit crimen,
quasi *de Estheræ historia eandem, quam de libro Jobi, animo sententiam im-
biberint, meram esse parabolam ab Hebræis excogitatam, ex fide dignis ipso-
rum monumentis demonstratum* ivisset. Idem ἐγχευµα non sine stoma-
cho repetit in *Demonst. Evangel. Propos. IV. de libro Esther S. 2. p. 371. sqq.*
ubi: *Minari ergo subit, unde tanta Anabaptistas ac Lutheranos nonnullos
passania incesse, ut commentitiam historiam hanc ac confictam esse arbitra-
rentur.* Sed prodidisset vellem loca, ex quibus tantæ criminationis hau-
sisse sibi videtur fundamenta. Et Anabaptistæ quidem ipsi viderint, quo-
rum ego causam hic non peroro, quanquam nec in ipsorum, neque qui
horum recensent & discutiunt errores, antagonistarum libellis simile
quid

Z z 2

quid



De libro
Estheræ.

quid me legisse unquam meminerim: b. Luthero vero, quem invidiose perquam illis ad latus jungit, manifeste injuriam facit Abrincensis. Quoties enim cunque ad res hoc libro narratas data occasione provocat. Megalander, v. g. *T. I. Altenb. f. 104. a.* de porrecto Estheræ sceptro aureo, & *f. 437. a.* de annalibus regum Persarum: *T. VI. f. 929. b. & 946. a.* de indicto Estheræ autoritate jejunio publico: *T. IX. f. 327. a.* de certo statoque tempore, cujus tractu ornabantur virgines, ad torum regium deducendæ, & *f. 1240. a.* de vestibus albis, Satrapis & Regum amicis olim usitatis & solennibus, &c. historiæ veritatem semper agnoscit nec obscure fatetur, nullibi vero suspicioni quidem, de sinistra circa libri argumentum sententia, locum relinquit. Haud dubie itaque eadem Lutheri circa hanc historiæ mens erat cum b. Brentio, qui *præfat. in Comm. h. l. T. II. Opp. p. 1114.* diserte fatetur: *certe majores nostri, quia commendarunt nobis hoc scriptum sua autoritate, testimonium etiam ferunt, quod quæ in eo continentur, non sint fabula Comica aut Tragicæ, qualis fortassis videntur esse Tobias & Judith, sed res vere gesta.* Sed vero calumniæ inde videtur esse nata occasio, quod supposititia libri supplementa repudiaverit Lutherus, & in germanica Bibliorum versione e Canone exclusit, quod ad universum Estheræ libellum perperam traxit & applicavit Huetius, frequenti omnino Pontificiis in nostrates criminatione, de qua §. seq. ex instituto dispiciemus. Eo autem magis mirari subit, qua fide vel dexterritate Autor der Lebensbeschreibung der Bibl. Scribenten *P. IV. cap. 17. p. 310.* Huetium jure merito absurdam hanc notasse & profligasse sententiam laudet. Scopus libri non tantum in demonstranda Dei erga ecclesiam suam providentia prorsus singulari versatur, qua interire illam, rebus licet jam conelamatis, non sinit; sed memorabili quoque historia, denuo signat & illustrat populum, e quo oriundus olim erat Messias, ut cognitione ac fide ejus, quem multo jam ante tot vaticiniis in Perside cecinerat Daniel, imbuerentur quoque gentiles, quos inter hæc gerebantur; tum & animos addit reversis in patriam Judæis, ut promissionibus de nascituro e gente sua Messia nixi, eo confidentius in reipublicæ æque ac ecclesiæ pergerent restauratione. Sed ulterius longe libri patet utilitas, quam scite paucis complectitur *L. c.* Brentius noster: *continet illustre exemplum ecclesiæ Dei, in summo ac difficillimo tempore conservatæ: & commemorat, quanta severitate Deus ecclesiam suam ab hostibus & adversariis suis vindicet. Docet præterea, Deum clementer erigere abjectos & afflictos, potenter autem dejicere arrogantes & insolentes. Quare hic libellus utilis est*
ad

Scopus.

Utilitas.

1.

2.



ad docendam fidem & timorem Dei, ut pii non frangantur adversis, sed invocantes nomen Domini ex fide, concipiant certam spem salutis, impii autem alieno supplicio terreantur, & ad pietatem convertantur. Quod enim Deo plena cecinit Maria Luc. I, 52. deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles, id illustri hæc historia documento comprobatur, in qua, ut commode monet b. Calovius T. I. Bibl. Ill. p. 876. *eminet humiliatio superbiorum, Vasthi scilicet & Haman: & exaltatio humilium, utpote Estheris & Mardochei.* Docemur insuper, quanta Dei in poenitentes ac deprecantes exitium sit indulgentia, & quod spes confixa Deo nunquam confusa recedat, testibus Judæis, cladem cervicibus suis jam imminentem, jejunio ac poenitentia solenni avertentibus: tum &, quam impotens sui, quam sævum ambitio malum sit, quæ animos, quibus paulo altius insedit, in cædes ac sanguinem, in technas atque rapinam, inque propriam tandem perniciem præcipites agit: quam lubrica & anceps sit aulæ fortuna, qua incauti tolluntur in altum, ut casu graviore ruant, & abjecti rursus atque humiles ad summum derepente honoris fastigium emergunt, manifesto vanitatis mortalium documento: tandem quæ Festorum instituendorum & religiose colendorum ratio sit, quis modus. Speciatim & Reges omnesque qui in imperio versantur, habent in Ahasvero, quam imitentur in fidis famulis remunerandis justitiam, quamque fugiant credulitatem nimiam ac levitatem: & foemina principes in Vasthi, a qua sibi caveant, arrogantiam, & in Esthera rursus, quam sectentur prudentiam, humilitatem, religionem, in vestitu modestiam, pro populi salute curam & zelum, ac in sublevandis oppressorum ærumnis, studium: & purpurati denique atque aulici, quid ex Hamanis exemplo vitandum, quid amplectendum ex Mardochei institutis ac vita discant. Plura interpretes dabunt, Bonartius, Wolphius, Burmannus, alii.

VI.

Canonicam divinamque libri dignitatem asserere atque tueri nulli dubitamus, cum ecclesia Judaica, cuius fideli custodiæ concredita erant τὰ νόγια & ספרים, pariter ac prima illa Christiana in canone eum venerata usque fuerit, parique cum reliquis canonicis scriptis censu habuerit & loco. Quod enim Rich. Baxterus de ætern. Sanct. quiet. Part. IV. p. 369. refert, adeo indigne Judæis Estheræ volumen habitum olim fuisse, ut in terram illud ante projicere in more habuerint, quam id legerent; nescio id unde hauserit & an fide dignis evincere testimoniis queat. Quanquam enim *כְּתוּבַת אֶסְתֵּר* per Spiritum Sanctum duntaxat

Auctoritas
Canonica

agnita Hebraeis,

Zz 3

scri-



De libro
Estheræ.

Et Patribus
Eccles.

15.11.1030
15.11.1030

asserat,

scriptum apud Maimonidem *More Nev. lib. II. c. 45. p. 317.* asserant, & inter Hagiographa referant Hebræorum magistri; tanta tamen illud, ab antiquissimis inde temporibus, veneratione prosequuntur, ut Prophetarum anteponebant scriptis, pari cum lege Mosaica religione istud venerationem. Hinc tanta in hunc librum encomia congerunt, quæ insignem ejus præ reliquis prærogativam docent. Testis rursus Maimonides, qui e gentis suæ Doctorum sententiâ in *Jad Chas. Hilch. Megilla cap. 2. sect. 18.* omnes libri, inquit, *Prophetici & Hagiographi abolebuntur diebus Messie, excepto libro Esther, qui aequè stabilis est atque Pentateuchus, & Lex oralis, quæ nunquam cessabunt.* Licet itaque scrupulosissimi semper essent Hebræi, ne præceptis Moysi 365. negativis, & 248. affirmativis quicquam adderent, lectionem tamen Megillæ, ob dignitatem libri, adjiciendam non dubitarunt. Sic in *Megillat Taanith cap. 12. R. Josua filius Korcha inquit, a tempore quo mortuus est Moses, non surrexit Prophe- ta, qui innovaverit præceptum Israeli, præter præceptum Purim.* Et Raf Alfes apud Schickardum *de Festo Purim in not. S. 3. (Tom. VI. Bibl. Critic. edit. Francofurt. p. 490.)* Tradunt Magistri nostri, 48 Prophetæ ac 7 Prophetissæ vaticinati sunt Israeli; nec minuerunt quicquam aut addiderunt, ad id quod scriptum est in lege, ne unicam quidem literulam, præter lectionem hujus Megillæ. Quæ utut putidam gentis arrogantiam & superstitionem quodammodo sapiant, summam tamen, qua Estheræ librum prosequuntur, religionem demonstrant ac docent; quam ex instituto & erudite pluribus docet b. D. Pfeifferus peculiari Programme, quod appendicis loco *Thesauro suo Hermeneutico* subjecit p. 597. sqq. Æque autem primitivæ ecclesiæ Doctores canonicam hujus libri agnoscunt & fatentur auctoritatem, Concilium Laodicenum *can. 59.* Origenes in *Ps. I.* ubi referens Vet. Testamenti libros, vigesimum numerat Iob, vigesimum primum Hesther; Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi IV. de libris V. T.* ubi duodecimum dicit Hester; Epiphanius *lib. de ponderibus & mensur.* Damascenus *lib. IV. de orthodox. fid. c. 18.* Hilarius *præfat. in Ps. I.* Hieronymus *epist. ad Paulin.* Rufinus in *Symb. Apost.* Augustinus *lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 8.* multique alii, quorum prolixam texunt seriem Iodoc. Coccius *Thef. Cathol. Controv. T. I. lib. 6. art. 10 p. 640. sqq.* & Commentatores, paulo curatius hanc controversiam expendentes. Nec deprehenditur in eo quicquam vel sibi ipsi, vel libris ad Canonem pertinentibus, adversum aut ita comparatum, ut ideo a divinæ dignitatis fastigio deturbari mereatur. Sane apocryphi humanam fallacemque origi-



originem suam haud obscuris indicis facile produnt, uberrimamque momentorum farraginem, cur a Canone excludendi merito sint, suppeditant, de singulis copiose collectam a b. Gerhardo *Exegef. Loc. I. de Script. S. cap. 8. §. 174. sqq.* b. Schrœdero *de principio Theolog. p. 122. sqq.* b. Frœreisenio in *Scrutinio Panopl. Bellarmin. Vol. I. Diss. II. p. 12. sqq.* reliquisque, qui in hoc argumento data opera versantur, Theologis nostratibus. At nihil tale, quod vel mendosum, vel non divinum satis, vel veritati aut morum honestati adversum sit, in hoc libro animadvertes: plana omnia, scriptis Prophetis consona, divinæque majestatis plena, ut dicam ei nemo sanus scribere unquam potuerit. Accedunt reliqua, quæ scripti canonici & divini sunt, *κειμήλια* externa, quod & lingua Prophetica, & a viro Prophetico exaratus, & in Hebraico Iudæorum Canone comprehensus, primæque antiquitatis calculo comprobatus sit; & ad fidei tandem, speique confirmationem, ad emendationem morum, ad afflictorum consolationem egregie faciat, & Locum, de Dei pro ecclesia sua providentia & cura, mirifice illustret. Quæ cum ita sint, miramur tamén, in dubium aliquando vocari potuisse libri divinitatem. Et Patrum certe aliqui, Melito Sardonensis in epistola ad Onesimum fratrem, quam Eusebius servavit *lib. IV. hist. Eccles. cap. 26.* Iunilius, Episcopus Africanus *Sec. VI. de paribus divina legis cap. 3.* Gregorius Nazianzenus in carmine de genuinis Scripturis *T. II. Opp. p. 98.* in recensione librorum Canonice Estheræ historiam silentio prætermittunt, eoque e Canonis censu excludunt. Athanasius vero in *epist. XXXIX. Festali*, cujus fragmentum, recensione Canonice & Apocryphorum librorum tradens *T. II. Opp. p. 44. sqq.* legitur, Estheram una cum libro Sapientiæ, Syracide, Tobia &c. refert ad *βιβλία, ἃ καὶ νομιζόμενα μὲν, τελευτωμένα δὲ παρὰ τῶν πατέρων ἀναγινώσκονται τοῖς ἀπὲρ προσερχομένοις, καὶ βελομένοις κατηχεῖσθαι τὸν τῆς εὐσεβείας λόγον, libros qui non quidem Canonem constituunt, sed propositi sunt a Patribus legendi eis, qui primum accedunt, & simpliciter edoceri volunt sermonem pietatis*, id est, ad Apocryphos. Paria in *Synopsi* tradit *p. 63. & 133.* quanquam *p. 63.* non dissimulet, Estheram *καὶ νομιζόμενα παρὰ Ἑβραίων, apud Hebræos in canone haberi*, & alteri cuidam libro, velut Ruth libro Judicum, connumerari, ut numerus XXII. librorum Vet. Test. illibatus permaneat. Hoc ipso autem non improbabilem nobis subministrat conjecturam, a Melitone, Junilio & Nazianzeno ideo diserte eum non nominari, quod sub alio aliquo ex iis, quos recensent, hunc librum comprehendant. Bene Rivetus *Ca-*
thol.

ab objectio-
nibus vindica-
ta.



De libro
Estheræ.

thol. Orthod. qv. 13, S. 14. T. III. Opp. p. 92. Melitonem sub Esdræ nomine intellexisse censet Nehemiam & Estheram per Synecdochen, quos Hieronymus jungit in petitione Domniani & Rogatiani, qui ab eo interpretationem eorum poscebant. Tertius, inquit, annus est, quod semper scribitis & rescribitis, ut Esdræ librum & Esther, vobis ex Hebræo transferam. Nonnullis accipientibus librum Estheræ pro appendice Esdræ & Nehemie; quia teste Isidoro, Estheris librum Esdras creditur conscripsisse. Nec adeo absurda illa est aut improbanda hariolatio, quia Canonem Hebræorum dicti Patres receperunt, in quo locum ille habet. Quanquam etiam affinitas nominum Esdræ & Esther facere potuit, ut librarius, qui Melitonis catalogum descripsit, dum prius posuisset, omiserit posterius; sive quod festinaret, sive quod utrumque pro eodem haberet, & alterutrum redundare existimaret: qualia παροψύματα nonnunquam in priscos libros a primis aut proximis exscriptoribus injecta, posterioribus multis imposuisse negari non potest. Quod si autem Melitonis textus vitio descriptoris fuit corruptus, facile item fieri potuit, ut etiam Nazianzenus, antiquum ejusmodi Melitonis exemplar præ oculis habens, Estheræ librum omitteret, quæ b. Kortholti *de Canone Scripturæ S. C. 7. S. 2 pag. 67. sqq.* conjectura est. Quod si quis tamen pertinacius pertendat, silentium dictorum Patrum in Apocryphorum numerum Estheram omnino rejicere, nihil tandem inde adversus tantam reliquorum Patrum secus statuentium nubem conficere poterit amplius, quam Melitonem & qui cum ipso faciunt, humani quid in hac sententia fuisse passum, sua vero Estheræ libro facta tecta adhuc constabit autoritas. Nil moramur, comode inquit b. Ægid. Hunnius *Exam. controversiæ primæ generalis Bellarmini L. I. cap. 7. T. II. Opp. p. 61. a. quid unus atque alter ex Patribus contra senserit.* Nam quia liber Esther in Hebræo Canone comprehenditur, non habuit vel Athanasius, vel Melito, vel Nazianzenus causam ex Canone illum secludendi. Sed & istud præterea contra libri auctoritatem urgeatur, quod in universo illo Dei nomen nullibi compareat, quale quid in alio Scripturæ libro haud facile animadvertes. Quanquam enim nomen essentiale יהוה nec in Coheleth, nec in Cantico occurrat, in illo tamen אלהים in hoc יהוה nomen utrumque divinum legitur. Verum uti exerta formalisque Dei appellatio librum nullum reddit Canonicum aut etiam divinum, ita nec appellationis hujus defectus divinitati Biblici alicuius libri derogat quicquam. Sileatur nomen, dummodo Dei in illo opera, miracula, beneficia celebrentur, agnosci sane inde



inde Deus poterit; maxime cum hic noster Canonem solus non absolvat, sed partem saltem ejus constituat integram, & ex reliquis sibi libris lucem mutuetur, si qua in re tam evidentem ipse non habeat. Vbi ergo cetera divinæ originis & canonicæ autoritatis indicia Estheræ libro adsunt, de diserta Dei appellatione, in illo desiderata non multum laborabimus. Conf. Guil. Saldenum *Orij. Theol. Lib. III. Exercit. V.* quæ est de libri Estheræ divinitate, p. 487. sqq. vbi in hoc solvendo nodo cumprimis laborat. Id autem inde esse censet Hottinger. *Theol. Philol. Lib. II. Cap. I. Sect. 3. p. 488.* quia hæc historia in usum populi magnam partem translata est ex Chronicis Regum Persidis. Intererat autem fidelitatis narrationis, ne quid temere immutaretur. Si cui tamen hæc in Θεοπνευσίας libri paulo videantur iniquius dicta, causam aliam allegat b. Waltherus *Offic. §. 886.* Persarum quippe ἰδίῳ ἀποθέσῳ, forte etiam, quia in eo describuntur res mere aulicæ. In aulis autem gentilium veri Dei, quem illi penitus ignorant, nulla habetur ratio. R. Aben Esra, cujus vestigia legit R. Isaac Arama in *pref. comm. in b. l.* studio id factum a Mardochæo existimat, ne nomen Dei apud Persas idololatrias profanaretur, & cum alio quodam Deastrorum suorum nomine commutaretur. Græci tamen interpretes, nec non utrumque Targum, Dei nomen interposuerunt, ubi argumentum videbatur postulare, ut ne lectores offenderentur, si Deum ne nominari quidem animadverterent, in historia rerum divino consilio gestarum. Addit b. Pfeiffer. *loc. cit. p. 614.* novum, quodque majorem forte, quam præmissa, veri speciem præ se fert, dubium, quod liber Estheræ ex omnibus Scripturæ libris solus careat approbatione Christi & Apostolorum in N. Test. qui tamen allegatione librorum V. T. eos ceu canonicos ecclesiæ commendare solent. Sane in rationibus, ob quas a Canone rejiciuntur Apocryphi, cumprimis illam allegant Theologi, quia libri isti a Christo & Apostolis ejus in N. T. nusquam in Canonem sunt asserti, ut videre licet ap. Schröder. *de Princip. Theol. c. I. p. 138.* Sed solide respondet Pfeifferus primo cum b. Hunnio, recte quidem illud argumentum in notandis scriptis Apocryphis, quæ jam aliunde constat, in canonem nunquam cooptata esse, ad reliqua in cumulum adjungi, seorsim vero contra librum, de cujus canonica autoritate ex aliis *νεκρῶσις* abunde constet, non esse adhibendum; & uti sola allegatio libri in N. T. eum canonicum non protinus faciat, ita solum Novi Test. silentium apocryphum librum non reddere. Deinde Estheræ quoque librum in N. T. plane taceri negat, eum relatio de transportato Babylonem Jechonia c. II, 6. verbis fere iisdem apud

Aaa

Mat-



De libro
Estheræ.

4.

Matthæum c. I, 11. repetatur; & Paulus, quando Ebr. XI, 34. sanctos per fidem effugisse acies gladii & corroboratos esse ex infirmitate commemorat, digitum haud dubie ad Estheram, Mardocheum, gentemque Hebræorum universam intendat, Dei fiducia ex præsentissimo gladii & internecionis periculo ereptam, quin & hostibus mox superiorem factam. Demum, nullum ut reliquum faciamus scrupulum, istud cum primis contra canonicam Estheræ autoritatem urgeri meminimus, quod nullum de exhibendo Messia oraculum, imo ne vestigium quidem prodatur, cujus defectus Apocryphorum a Theologis constituitur character. Certe b. Schröderus *cit. loc. p. 131. sq.* hanc regulam fundamenti loco subternit: *Quicumque liber Veteris Test. Spiritu Prophetico conscriptus, ideoque proprie canonicus est, idem Prophetico testimonio Christum, in Novo Test. in carne exhibendum, docet & præsignificat: juxta Luc. XXIV, 27. Act. III, 21. 24. X, 43.* Sed iterum hic valet, quod ex b. Hunnio antea observabatur, characteres istos divinitatis librorum sacrorum conjunctim sumendos, nec ex unius defectu contra reliquos, qui adsunt, argumentandum esse. Porro quoque necesse non est, ut clara & disertata de Messia oracula liber contineat, qui canonicis annumeratur; quid enim fieret de Ruthæ libro, in quo nihil de Messia prædictum legis: sed sufficere censetur, si scopo suo ad Messiam tendat, quod sane circa hunc quoque librum locum habet *χρίστου*, ut supra §. 5. p. 354. ex scopo ejus constituit. Vnde b. Calovius cum T. I. *Loc. Theol. p. 493.* docere vellet, omnes V. T. libros ad Messiam respicere, probe observat: *ne excepto quidem libro Ruth & Esther, quorum ille ob genealogiam Christi, hic ob conservationem populi, e quo Messias oriri debuit, mirabilem, uterque ob promissionum de Christo veritatem statuminandam, necessarius fuit.* Hinc si non de Christo, sane propter Christum scriptus hic liber, ex Augustini observatione, qui lib. XII. contra Faustum c. 17. accurate: *omnia, inquit, que Prophetarum libris continentur, vel de Christo, vel propter Christum dicta*

a b. Luthe. sunt. Quod superest, non absque insigni injuria b. Lutherum in impugnantium libri Estheræ autoritatem trahere partes satagunt Pontificii, Jod. Coccius *loc. supra cit. Serarius Comment. in Esth. prædic. 4. p. 284.* & ex his Bonartius *prælogv. 2. p. 1. Comm. in b. l. alique passim*, & ut convicio veritatis speciem conciliant, ad verba Lutheri *de servo arbitrio* (edit. Sebast. Schmidii Argentor. A. 1664. in 8.) p. 118. provocant, quæ ita habent: *Liber Esther, quamvis hunc habeant in Canone, dignior omnibus, me judice, qui extra Canonem haberetur.* Sed recte ibi observat b. Schmidius, *comparante, non absolute* beatum Virum loquutum fuisse, & libris Salomonis

non



non plane exaquare censuisse; tum quoque ad Estheræ librum respexisse addo, non prout in Hebræorum canone legitur, sed qualis a Pontificiis una cum peregrinis istis e Græca versione laciniis canonibus intruditur, & bona malis, genuina spuris mista exhibet in Vulgata; quo sane sensu nullam libro Canonico Estheræ injuriam intulit Lutherus, sed spuria saltem ista libri additamenta rejecit. Quæ alterum quoque nodum solvit responsio, cum ex *Colloqu. Conviv. Lutheri c. 1. fol. 80. b.* ea cum primis verba urgent, quibus huic & posteriori Maccabæorum libro adeo infensum se proficitur, ut optaret, neutrum eorum extare, cum nimium judaizent, & multa habeant, quæ gentilium sapiant superstitionem. Quanquam enim simpliciter repudiare possemus hoc argumentum e libro petitum, multo post obitum Lutheri edito, & de quo incertum, an vera semper prodatur, & ad eum modum fideliter verba reciteretur, quo protulit ea Lutherus: ad oculum tamen præterea patet, ipsi de fragmentis Estheræ spuris tantum sermonem esse, quæ & in his verbis, & in Bibliis Germanicis inter Apocrypha, quibus corrigendis operam tunc dabat, conjunxit, unius quippe ponderis, Spiritus & autoritatis. vid. b. Joh. Müller. *defensio. defensi Lutheri p. 631. sqq.*

VII.

Quæ enim hætenus de autoritate libri Esther prolixè disputavimus, ad ea tantum pertinent X. libri capita, quæ in Hebræo codice extant: neutiquam vero ad *Partes Esther vel supplementa* illa, quæ VII. postremis absoluntur capitibus, & e Græcis codicibus in Vulgatam translata, apud Pontificios, autoritate Concilii Tridentini ad Canonem referuntur. In qua quidem discutienda controversia eo nobis licet esse brevioribus, quo copiosius pertractarunt illam Theologi, præter citatos S. præc. Hunnium, Froereisenium & Kortholtum, magnus Gerhardus *Conf. Cathol. Lib. II. P. I. Art. 1. p. 36. & Exeg. Loc. I. de Scriptura S. 198. sqq.* & b. Scherzerus in *Anti-Bellarmino Disp. II. p. 87. sq.* Quæcunque enim pro evincenda supplementorum horum autoritate & auctoritas urgent Pontificii Patrum & antiquioris ecclesiæ suffragia, tanti sane, vel tam evidentiæ non sunt, ut eorum anteponi possint testimoniis, qui e Canone illa eliminarunt. Unum audiamus Origenem in *epist. ad Julium Africanum* ita pronuntiantem: ἐκ τῆς Ἑσθῆρ, ὅτε ἡ τῆ Μαρδοχαίου εὐχὴ, ὅτε ἡ τῆς Ἑσθῆρ, οἰκοδομησάι δυνάμεναι τὸν ἐντυγχάνοντα, παρ' Ἑβραίων φέρονται. ἀλλ' αἱ ἐπιστολαί, ὅτε ἡ τῆ Ἀμάν ἐπὶ κατὰ κράτος τῶν Ἰουδαίων ἐθνῶς γεγραμμένη, ὅτε ἡ τῆ Μαρδοχαίου, ἐξ ὀνόματος

non tantum
referenda
ad supple-
menta vel
Partes im-
Estheræ.

Aaa z

Ap-



De libro
Estheræ,

Ἀπολύσει ἀπολύσει τὴ θανάτω τὸ ἐθνὸς. Ex Esther historia, neque Mardochei preces, neque ipsius Estheræ, quæ edificare legentem possunt, apud Hebræos (in Canone) feruntur: sed neque epistole vel Hamanis, de gentis Judæorum interitu conscriptæ, vel Mardochei, nomine Artaxerxis, a morte gentem absolvens. Cum itaque canonici V. T. libri Judaicæ ecclesiæ traditi sint Rom. III, 2. adeo ut Judæos Augustinus *cont. Faustum Manicheum* lib. XII. c. 13. *librarios nostros & capsarios* vocare soleat, qui studentibus Christianis codices portent, ut illi portando deficiant, hi legendo proficiant; Christiana certe ecclesia canonicum censere nullum potest, quem ex Hebræorum canone exclusum, per manus velut traditum ab illis non accepit. Hinc porro certum est, supplementa illa non Hebræo, sed Græco exarata fuisse sermone; nec a Propheta vel viro Prophetico, cum post Prophetarum demum tempora, constitutumque & clausum ab Esdra & Synagoga magna canonem, procusa demum sint; multo minus ab eodem, qui librum Hebraicum Esther concinnavit, autore profectæ, ob insignes illas ἀντιρροφίας, quibus adversa fronte invicem pugnant, a b. Gerhardo annotatas c. I. *Exegesi*. §. 201. Unde, vel ipso fatente Bellarmino, cordatiores Papistæ, ante Concilium Tridentin. quidem, Dionys. Carthusianus, Hugo Cardinalis, Thomas de Vio Cajetanus, & post Concilii definitionem, Sixtus Senensis, a Canone illa secludunt. Obiter tandem hic observo, quod Græca Hebraici libri Esther versio multum & a fontibus, & a seipsa, in diversis editionibus, abeat. Geminum totius libri græce versi, una cum suis laciniis hinc inde insertis, exemplum doctissimus Jacob. Usserius *Synagmati de LXX. Interpretum versione* in calce subnexuit, ex Arundellianæ Bibliothecæ codice MS. mutuo sumptum: quorum alterum, Origenicum, asteriscis ea signat, quæ in Hebræo reperiuntur, a LXX. omissa fuerunt, obelis vero ea, quæ Hebraicæ veritati sunt adjecta; alterum longe contractius, verus tamen & illud; unde documentum capere licet, quam fluxo & incerto nitamur fundamento, si a fontibus Hebræis discedentes, in dignoscendo textu Bibliorum authenticis, Græca stare velimus versione.

VIII.

Chronologia,

Circa chronologiam, quæ dubium movere poterant, maximam jam partem sunt discussa & expedita §. *præc.* 3. quo Xerxem Estheræ maritum, eundem cum Ahasvero, demonstravimus, cujus anni diserte in Estheræ libro signantur. Hujus igitur anno regiminis tertio splendidum istud celebratur convivium c. I, 3. septimo Estheræ in regium adsciscitur torum c. II, 16. duodecimo de Hamane contra Judæos conspi-

rante



rante supplicium sumitur c. III, 7. VII, 10. hinc ad Xerxis obitum, qui annis 21. præfuit in universum, novem annis imperii consors Estheræ fuisse creditur, ita ut summa regiminis administratio penes Mardocheum esset; quo pacto annorum 18. & amplius, ambitu totus hic definendus sit liber. Post solutam autem captivitatem convivium istud in 53. incidit annum, Estheræ in regale solium eVectio in quinquagesimum octavum, Hamanis suspensum in 62. qua ratione Mardocheus centenarius quidem major, Dei tamen beneficio vegetus, animoque & corpore pollens, administrationi regni sufficere adhuc potuit. In tabulam si redigantur anni, ita habebunt:

A.O.C.

- 3519 Xerxes regnum capessit, in libro Estheræ Ahasverus dictus.
 3522 convivium instituitur, in quo repudiata Vasthi Esth. I.
 1526 Estheræ Xerxi jungitur conjux Esth. II, 16.
 3531 Haman Judæis exitium molitus, suspensio ipse perit c. III, 1. 7. IX, 1.
 3539 Xerxes ab Arbano Præfecto occiditur.

IX.

Ceterum capitibus liber absolvitur X. vers. 166. quorum medius Partitio, est c. VI, 10: & aliis in tres, aliis in duas dispecitur partes. Qui tripartitam instituunt partitionem, vel admodum Dramatis, pro ratione personarum vel actuum, in Protasin, epitasin & catastrophen dispecunt, ac Partem (I.) Estheræ c. I. & II. (II.) Hamani c. III—VII. (III.) Judæis tribuunt, quæ b. Walthero arrisit ratio *Offic.* §. 883. a quo non adeo multum abit Hottingerus, cui in *Thef. Philol.* L. II. cap. 1. Sect. 3. p. 489. P. (I) euectionem tradit Estheræ, ad connubium Regis Ahasveri & regnum Persicum c. 1. 2. (II) subijcitur exitiale illud Hamanis consilium, de delenda tota Judaica gente c. 3—6. (III) subnectit gloriosam populi a præsentissimo exitio per Mardocheum & Estheram liberationem, simulque summam Mardochei in regno Persico dignitatem, c. 7—fin: vel ad naturalem historię structuram propius respiciunt, ut b. Balduinus, quo in *Idea Disposit. Bibl.* c. 4. p. 87. iudice I. *πρὸς τὴν ἐστὴν*, quæ sint regis Ahasveri majestas, repudium uxoris Vasthi, assumptio Esther in aulam & desponsatio cum rege, ac decretum de interficiendis Judæis, procurante Hamano c. 1—3. II. *πρὸς τὴν ἐστὴν*, ut persecutio Judæorum ex mandato regis, luctus Mardochei hanc ob causam, intercessio Esther pro Judæis, retractatio regii mandati & Judæorum vindicta de hostibus suis c. 3—9. III. *ἐν τῇ ἐστὴν*, novi quippe festi institutio, nominis divini celebratio &c. c. 9.

Aa 3

10. ex.



De libro
Estheræ.

10. exponuntur. Qui vero duas saltem constituunt partes, ad historiam contenta, seu primarium rei gestæ actum, qui liberatio populi Judaici est, digitum cum primis intendunt, adeoque *P. I.* Estheræ ob populum Domini exaltationem c. 1. 2. *II.* populi Domini ab internecione per Estheram liberationem c. 3—fin. asserunt tradi, quorum cum b. Calovio *Bibl. Ill. in b. l. p. 376.* vestigiis nos quoque insistemus.

X.

Tabula
Synoptica.

Tradit itaque liber

I. Estheræ ob populum Domini evectionem, cujus

α) occasio, convivium Ahasveri & repudium Vasthi est c. I.

β) actus cum concomitantibus c. II, 1—13.

γ) consequens, regis ab insidiis, vitæ ipsius structis, per Mardocheum liberatio v. 10—fin.

II. populi ab internecione, per Estheram, liberationem, ubi

α) antecedentia, quæ sunt

1. consilium adversus Judæos sanguinarium c. III.

2. Mardochei luctus, datumque Estheræ consilium c. IV.

β) concomitantia factum,

1. convivium Estheræ prius c. V.

2. Mardochei primi honores c. VI.

3. convivium posterius, in quo Regina supplicatio & Hamanis suspendium c. VII.

4. Mardochei honores insigniter aucti, & literarum missio c. VIII.

5. hostium Judæorum internecio c. IX, 1—16.

γ) consequentia,

1. tripudium Judæorum, & instituta festivitas Purim v. 17—fin.

2. honorum Mardochei complementum c. X.

XI.

Commen-
tarii Pa-
trum:

Mirari sane subit, qui factum sit, ut Patrum quidem, quorum nostra adhuc ætas volvit scripta, nullus omnino curas suas atque operam in illustrando explicandoque Estheræ libro ponere voluerit, qui tamen apocryphos v. g. Tobia, Judithæ &c. libros commentariis ornare non dubitarunt. Quod enim D. Friedlieb *Theol. Exeg. h. l. p. 453.* e Patribus BEDAM huc citat, in eo frustra est, cum per octo Bedæ Opp. tomos nihil in hunc librum reperiatur scriptum.

Rabbino-
rum:

Eo autem frequentiores spissioresque dedit in h. l. commentarios Synagoga, gentis suæ gloriam inde aucupatura. Præter Medrasch enim,

R. AB-



R. ABDIAM SPHORN, R. ELISAM GALIKO, R. IOSEPHVM TITATZACK, R. ISAACVM ARAMAH, R. MOSEN ALMOSCHNINO, R. IOSEPHVM IACHIJAM, R. ABRAHAMVM fil. R. Moſis Germani Heilbrunnensis, & RABOTH in quinque Megilloth, de quibus singulis ſupra jam c. XI. §. 8. p. 206. ſq. actum eſt: a Bartoloccio in *Biblioth. Magna Rabb.* ſuis locis adhuc citantur R. ISAAC LEON ben Elieſer ben Salomon, Hiſpanus, cujus in h. l. commentatio Venetiis prodiit in 4. ap. Joh. de Gara An. 1565: R. SALOMON ben ZEMACH, qui tribus libris, תפארת ישראל *gloria Iſraelis* ex Thr. II, 1. inſcriptis expoſitionem in Eſther edidit Venetiis: R. ABRAHAM ben R. Iſaac TZAHALON (quem R. Abraham Tſabulon appellat. Hottinger. *Smegm. Orient. Lib. III. P. II cap. 1. p. 10.* & Heidegger. in *Enchirid. p. 132.*) Hiſpanus, abbreviate רבניץ dictus, qui literalem, allegoricum & moralem, ex antiquorum gentis ſuæ Doctorem ſcriptis commentarium in h. l. compoſuit, ישע אלדום *Salus Dei* inſcriptum, & procuſum Venetiis in 4. A. 1595. ap. Joh. de Gara: & R. SAMVEL ben R. Judæ Valerii, qui commentarium in XIV. explanationes diviſum, in h. l. concinnavit, quem יד המלך *manus Regis* ex Eſth. I, 7. inſcriptum, Venetiis edidit in 4. A. 1585. His addatur R. SALOMO LEVI ALCABAZ (Normanno ex *Siphte Jeſchen.* R. Salomo Levita Elkalim dictus) cujus ſuper lib. Eſtheræ expoſitio Venetiis in 4. edita סנות דורי *portiones Levitæ* inſcribitur, ap. Placcium *Theat. Anon. cap. XVII. n. 280 p. 706.* R. LEO Pragenſis, cujus commentarius in Eſther Pragæ in fol. A. ſupputat. min. 360. lucem adſpexit, אור חדש *Lumen novum* appellatus, ap. Placc. *cit. loc. n. 37. p. 683.* qui & *præc. n. 35. pag. 682.* anonymum in h. l. commentar. allegat, אור תורה *Lux legis* dictum, cuius tamen, præter Hottingerum & Bartoloccium, neminem meminiffe obſervat: R. SAMVEL, filius R. Pinehas Sacerdotis juſtitia, expoſitionem ſuper Targum Eſther, qua ipſum quoque librum & hiftoriam, declarat, תורת דברי שמואל *principium verborum Samuelis* inſcriptam, publici iuris fecit Pragæ in 4. A. ſupp. min. 361. Præter hos ab Hottingero & Heideggero *cit. loc.* in Eſtheræ commentariis recensentur, מויר יין *pretium vini* ex Jeſ. LV, 1. R. MOSIS filii R. Iſrael, Iſerle: אגביט דאסטרין *augebit doctrinam* R. ELIEZARI Germani: porro anonymi duo, דאסטר *Dux Eſtheræ*, & משה משה *iter Moſis* inſcripti. R. SALOMONIS JARCHI in h. l. commentarium, latina verſione illuſtratum ſeorsim edidit in 4. Pariſiis A. 1623. Ludov. Henric. Noſtra

De libro
Estheræ.
Lutheræ-
morum:

Nostratum huc spectant. JOH. BRENTIVS, cujus commentarius latinus *Opp. T. II. p. 114.* legitur, tum & in Anglicum sermonem translatus, Londini in 8. A. 1584. sub tit. *A Discourse upon the Book of Esther* produsse fertur: & qui vernaculo sermone Estheram explicavit, GOTTFRIED MEISNERVS, niedrige/ober nachmahls erhöhere Esther/ mit Biblisch-Historischen Schmuck angethan/ Hamburg in 12. A. 1687: BALTHAS. KERNER, Ehre-Crone der demüthigen Esther/ Ulm in 4. A. 1666: WOLGANG. LUDOV. ASSVM, der Kirchen-Regiment und Hauff-Spiegel/ Nürnberg in 8. A. 1672: HERMANN. EWALD, qui XLV. in h. l. homiliae evulgavit Smalcaldia in 4. A. 1618. Tandem & AHASVERI FRITSCHII *Biblische Seelen-Gespräche P. IV. p. 67. sqq.* huc facere censentur.

Pontificio-
rum:

E Pontificiis OLIVERIVS BONARTIVS S. J. commentario literali & morali, multa sane ac varia referto eruditione, h. l. enarravit, Coloniae in fol. 1647. Tum & huc spectant PETR. BERCHORIVS *Lib. XIX. Moralitatum p. 162. sq.* DIDACVS CELADA S. J. cujus comm. cum duplici tractatu, de convivio Ahasveri mystico, i. e. de Eucharistia, & de Esther figurata, i. e. beata Virgine, Lugduni prodit in fol. A. 1648: HVGGO de S. CHARO *T. I. Opp.* Lugduni in fol. A. 1645. ADRIAN. CROMMIVS Lovanii in 4. A. 1632: LAVRENTIVS CVPÆRVS, Episc. Tornacensis & Carmelitarum per Belgium Provincialis, Moguntia A. 1600: DIONYSVS CARTHVSIVS, cujus enarrationes in lib. Hester aliis ejus commentariis junctæ prodierunt Coloniae in fol. 1534. p. 158. *sqq.* IOH. FERVS cujus explicatio Estheræ germanica Moguntia excusa est in 4. An. 1567: FRANCISC. FEVARDENTIVS Coloniae in 8. An. 1595: THOMAS de MALVENDA *Tom. III. Opp.* A. 1650: RABAN. MAYRVS *T. III. Opp.* Colon. in fol. An. 1627: LEANDER de MVRCIA Madrit. in fol. ap. Alph. de Paredes An. 1674: FABRIC. PAVLVTVS in Commentario in libros Historicos V. T. suo loco, Romæ in fol. A. 1625: RVPERTVS TVITIENSIS: CASPAR SANCTIVS Antwerpæ in fol. A. 1627. & 1632: NICOL. SERARIVS, commentario in Tobiam, Judith, Esther, & Maccabæos, Moguntia in fol. A. 1610: JOH. EVSEBIVS NIEREMBERGIVS *Stromatum sacrorum XIV.* quod Assuerus inscribitur, p. 344—422. Lugduni in fol. A. 1642.


Reformato-
rum:


E Reformatis nominandi hic veniunt FRANCISC. BYRMANNVS, & pius nobis laudatus, cujus ultimus in hunc librum labor exegerit fuit: RVDOLPH. GVALTHERVS, cujus *homiliarum Sylva 6el Archetypi* Tiguri excudibantur in 8. A. 1587: LVDOVIC. LAVATERVS, cujus XLVII. homiliae in Estheram, a Job. Pontifella latinitate donatae, Tiguri prodierunt in fol. A. 1586: CONRADVS PELLICANVS *Tom. II. Comment. Biblic.* Tiguri in fol. A. 1583: VICTORIN. STRIGELIVS: FRANCISC. TAYLOR, cujus Targum prius & posterius in Estheram latine versus Londini prodit in 4. A. 1655: JOH. WOLFIVS Tiguri in fol. A. 1570: ARTHVRVS JACKSON: JOSEPH. HALL *Bibl. Gesichte P. II. p. 1290. sq.* CHRISTIAN. SCHOTANVS *Biblioth. Hist. Sac. V. T. P. II. p. 1178. sqq.* Tandem quoque referri huc poterit CORNELIVS ADAMI, qui *observation. Theologico Philolog. cap. II.* e Persarum ritibus totum librum Estheræ secundum ordinem capp. & commatum persequitur & illustrat. Prodiit Groningæ in 4. A. 1710.

Remon-
strantium:

In JOH. CLERICI in V. T. commentariis ultimum locum ille tenet in Estheram, in quo inquit ipse præmissæ *Dissertat. de Scriptoribus Libror. Historic. §. 10. librum illum ita illustravimus ex iis, quæ veteres Græci de Persis, deq. imperio Persico scripserunt, ut pauca obscura reliquerimus, præ iis, quæ a Scriptoribus Græcis lucem non dubiam acceperunt.*











Landesbibliothek Oldenburg

Carpzovii
introduc
in libros
historicos
biblicos

Theol II

B h

2